DE
ANIMORVM
PERTVRBATIONIBVS.

OCTAVII BRANCIFORTII PHILIPPI QVARTI HISPANIARVM, ET SICILIAE REGIS A CORTINA DE PONTIFICI SVMMO VRBANO VIII.

ASSISTENTIVM COLLEGIO, IAM CEPHALAEDITANI, NVNC CATANENSIS EPISCOPI, COMITIS MASCALARVM & Studiorum Vrbis eiuſdem Catanæ, Præſecti Cancellarij.

DE ANIMORVM PERTVRBATIONIBVS SVBSECIVARVM COGITATIONVM.

PARS SECVNDA.



IN NOSTRO CATANAE PALATIO.

Per Ioſephum Biſagna Typographum Cameralem.

M. DC. XXXXII.

LIBER PRIMVS.

DE AMORIS PERTVRBATIONE.

AMOR iure tuo primas omnino obtines, haud contra eo polles, & potes omnia. face, telo, & cæcus terres. quid ni is eſſes? ex hoc te Principe loco, neque exturbarem rixas me tecum aggredi id ætatis id inſtituti, id muneris, id valetudinis? habe ergo primas, & abi.

SECTIO I.

AMORIS, VIS, ET DIGNITAS.

Amor choragus, ſons, dux. magiſter perturbationum. eius exercitus ex tribus legionibus: harum duces, & milites: Pugna: Deſperatio: Victoria: neque quies in hac: Amoris victoris familia inquieta: Amor omnia moderatur: Mundi gubernator, Principium, anima ex Heſiodo, Platone, & ſacris literis: Geneſis locus elucidatur: ſed amor hic diuinus. Cypriani ſententia de philoſophis. eſt alius amor naturalis in rebus vnionem ſouens: Vacui odium: aquarum, ſaxorum celeritas deſcripta contra vacuum: bombardarum ſonitus, & proiectorum motus vnde. Amor elicitus naturali ſimilis.

AMOR primus occurrit ceterarum perturbationum chorum agens, ſons, vnde affectuum omnium riui dimanant; dux cuius nutu eorumdem exercitus pendet, quo reſiliente coniunctim omnes fugam capeſſunt; inſiliente, hoſtium turmas, cuneoſque, pari conatu conſequuntur: deferueſcente eo ſtatim hæ deliqueſcunt; vim ſuam reprimunt, gradum ſiſtunt; creſcente augentur, decreſcente minuuntur, & quo amor demum progreditur, aut regreditur, eo omnes perturbationes feruntur. huius temperamentis, momentiſque ſuas illæ ſeruant moderationes, & nunc incitatiore greſſu feſtinant; nunc à feſtinatione reuocatæ modeſtiorem ad gradum deducuntur: eius flatu noſtrarum actionum incitationes impetum accipiunt, optatoſque ſtationum ſinus adipiſcuntur. Onus eſt, quo deprimimur, penna qua in ſublime raptamur; aura, qua recreamur: turbo, quo in girum, orbemque circumagimur. Itaque eo pacto totius vitæ ratio ab vno amo-

Singulæ perturbationes tractantur. Primus amor.

Hic choragus fons & dux caterarũ.

Ab eo omnes vim, & moderationem capiunt,

re ducitur, vt eius curſum, inflexumque facilè, ſi modo vnum in nobis amorem diligentius examinemus, habere poſſimus. Vbi enim rem aliquam, quam ſe dignam putet, boni ſcilicet ſpeciem, aut vmbram præſeferentem nactus eſt Amor; ilico ei rei conſequendæ bellum expeditionemque molitur; ſortiſſimorum militum, equitumque delectum ſuo facit imperio, ea demum omnia, quæ Imperatores, ac Duces in arcibus expugnandis præſtare ſolent; cogit, atque exponit. Tres ergo legiones Amor ex ceterarum perturbationum delectu conſcribit; his ad pugnam inſtat; ac prælia capeſſit; prima Deſiderio ductore procedit; in ea gemitus, ſuſpiria, lacrymæ, feſtinationes, ſalutationes, ſupplicationes, vota, literæ, nuncij, laudes, ad rem amatam conſequendam belligerantur; His munera, promiſſa dona, data, danda in ſupplementum, auxiliares turmæ adiunguntur. atque hæc quidem legio medium in acie locum obtinet. Siniſtrum cornu, qua parte validiſſimi conſueuere hoſtes rei amatæ conſecutionem impedientes ingruere; venenatis armata mucronibus, ac telis legio ſecunda contuetur. Inibi ſub duce Odio, primi pili Auerſiones ſunt; inimicitiæ, ſaggittariorum choors: rixæ fundabularij: contentiones, maledicta, obſtinationes varijs armorum inſtructæ generibus. Quod ſi hoſtilis exercitus viribus aduerſariorum, aut par ſit, aut ſuperior; & impetum Amoris contra obnitentis ſuſtineat, ſeu frangat: tum triſtitia primum ægritudine, & dolore conſociata Amori ſubſidiaria procedit; ac flebiliter contendens rem concupitam adipiſci nititur, quod niſi id ipſum iuuerit, receptui canit Amor, victus: at minime debellatus, reparabit exercitum, redintegrabit pugnam, Victoriam fugientem perſequetur. Sin vero Amori ſemel ſuperato hoſtis cum ferro, pertinaciter inſtet iterum: Ille in apertam planè ibit deſperationem, & amor eſſe deſinet. Interim dum belligerandi ardor feruet, & ferro res cernitur à dextro cornu ſpes pro amore depugnat, eam audaciæ, confidentiæ, alacritates, minæ, ſollicitudines, animoſitates, inſultus, obſidiones, aggreſſioneſque comitantur. Vbi pugna feliciter ceſſerit, & pro Amore Victoria ſteterit; triumphus paratur. Amor ſpebus ſuis potitus laurea coronatur, voluptas, exultatio, lætitia, tripudium, circumquaque diſcurrunt; animum ſuauitatibus ſuauiſſimis permulcent, hic choreas muſæ agunt: Gratiæ cum Nimphis, Nimphæ cum Satyriſcis laſciuientibus colludunt. Et cum illa quidem prælia agitarentur, ac dubio per vtramque partem Victoria Marte volitaret nemo eſt, credo, qui tunc res agi cum quiete putet, nam

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Et ſpes, quæ differtur affligit animam. In victoria autem, & triumpho quando Amor in poteſtatem omnia adegit, quis tunc credat

Amoris exercitus.

Triplex legio.

Primæ legionis ductor, & miles.

Secunda legio.

Quid in fuga, & deſperatione Victoria.

Tertia legio.

Quid in Victoria.

Ouid epiſt. 1.

Neq; in hac quies Prouerb.

omnia eſſe turbarum plena, multa exterius ſunt, quæ Amantes victores, aut circumueniunt, aut fallunt, aut vexant. multa interius, quæ etiam medijs in gaudijs pungunt, ſanguinem eliciunt. ipſemet triumphans Amor, timoribus inquietatur, ſollicitudinibus exagitatur, contumelijs obruitur: donarijs, congiarijs, præmijs, ſtipendijs depauperatur. Quies ibi nulla; vel momentanea, vel breuiſſima, Timor amoris perpetuus comes, perpetuas excubias iubet, formido perdendi, ſollicitudo tuendi, Timoris Amoriſque ſtipatores; ægritudines, pœnitudines, æmulationes, hoſtilitates, clientes eorundem ſunt, in tentorijs excubant, in amoris familia numerantur, ſingultus, cordolia, defectiones, deliria, deliquia, furores inſaniæ, in intimis ædibus in penetralibus, in cubilibus turmatim commorantur, agminatim ſpatiantur, & diù, noctuque pernoctant. nimirum amore perturbato, ſuſque deque omnia deferuntur, & diſſonum quid, ac tumultuoſum canunt.

Comes amoris Timor.

Amoris familia.

Eo turbato hac turbatur. quieto quieſcit.

At ſi domi integer ſui compos, & quietus amor commoretur, familia omnis perturbationum ſedula muneri ſuo inſiſtet, intra legis humanæ, diuinæque fines. Deſiderium paucis contentum ſaturum, non auidum, non inſatiabile. Voluptas ſincera. Spes firma, & lætabilis, Audacia fortis, non ſine modo. Ira ſine inſania, rationem adiuuans, eique obſecundans non obruens. Triſtitiæ, Fugæ, Deſperationes procul in exilium amandatæ, & pater ipſe familias Animus videlicet ſe ipſo contentus, ſui potens, ſui dominus, liber; & nulli addictus, ſapiens, beatus, rex, pœnè Deus.

Igitur Amorem nonnulli philoſophorum regere omnia putauerunt, ipſum ijs, quæ in cælo ſunt dominari, ipſum aſtra ſuo temperare nutu, ipſum volucribus animantibus, brutis, piſcibus vires ad ſui conſeruationem miniſtrare; ipſum rebus vniuerſis efficacitates tribuere, vt in perpetua mutatione, ac temporum viciſſitudine, dum intereunt, ac deſtruuntur, rurſus ad vitam in prole ſua redeant, ac reuiuiſcant. nempe tam magni nauigij qualis eſt mundus, in puppi ſedens Amor gubernaculis præeſt.

Amoris dominatus. Stob. ſerm. 61.

Omnibus vitam, & incrementum præbet.

Mundus nauis Amor gubernator.

Quid quod amorem Heſiodus totius mundi principium conſtituit. Plato verò animam omnibus, ac ſingulis mundi partibus vitam, motumque impartientem, quam quidem animam ſapientiſſimè Maro noſter ſpiritum appellauit.

Heſiod.

Amor mundi anima.

Plato apud Stob. ſerm. 61.

Principio cælum, ac terram, campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ; Titaniaque aſtra.
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Virg. Aeneid. 6.

Nec poeticè; accedit enim ad ea verba *in principio creauit Deus cælum, & terram, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, vt multum mirer à quibuſdam, hoc ſcripturæ ſacræ loco, ſpiritum pro vento, aut aere accipi, quem nondum crearat Deus, magis autem admi-

Geneſis cap. 1.

Quorundam explicatio reijcitur.

admirer qui negent pro Spiritu Sanctum poſſe Spiritum, ac Ieſum intelligi; cum, vel Aetnicus ita poeta ſenſerit, iſque à Platone etiam Aetnico fuerit mutuatus. Spiritus ergo diuinus, ideſt amor increatus à voluntate diuina procedens, omnibus vitam præbet, omnia vitali aura confouet, confota animat, atque alit, animata ſuis exornat dotibus, atque diſtinguit. Spiritus tempora in annum digeſſit, annumque in partes quaternas diſcreuit; ac docuit tellurem diſtinctis anni partibus diſtinctos fœtus concipere, edere, atque educare. Spiritus cælum ſideribus colluſtrauit, ſidera diſtinxit aſtris, aſtra nunc obeuntia quædam, & obitu ſuo pluuijs terras veluti lacrimis irrigantia fecit, nunc alia inter exurgendũ ſerenitate mundum reuerentia.

Cyprian. ſenſus de Platone, & Philoſophis. Lib. de ſpiritu Sancto.

Atque hæc quidem, quæ de Aetnicis nos ſcriptoribus enunciauimus, abſtinuiſſemus fortaſſe, aut hæſiſſemus dicere, niſi multi ante nos, ſua ſententia, præiſſent, & luculenter Ciprianus vir in primis omni eruditione vallatus, celebri conteſtatione firmaſſet. *Hic*, inquit, *Spiritus Sanctus ab ipſo mundi initio, aquis legitur ſuperfuſus, non materialibus aquis, quaſi vehiculo egens quas potius ipſe ferebat, & complectentibus firmamentum dabat congruum motum, & limitem præfinitum. Huius ſempiterna virtus, & diuinitas, cum in propria natura ab Inquiſitoribus mundi antiquis Philoſophis propriè inueſtigari non poſſet, ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt coniecturis compoſitionem mundi, compoſitis, & diſtinctis elementorum affectibus præſentem omnibus animam affuiſſe, quæ ſecundum genus, & ordinem ſingulorum vitam præberet, & motum, & intranſgreſſibiles figeret metas, & ſtabilitatem aſſignaret, & vſum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum eſſentiam animam mundi Philoſophi vocauerunt. putantes cæleſtia corpora Solem dico, & lunam, & Stellas, ipſumque firmamentum huius animæ virtute moueri, & regi, & aquas, & terram, & aerem huius ſemine impregnari. Qui ſi Spiritum, & Dominum & Creatorem, & Viuificatorem, & Nutritorem crederent omnium, quæ ſub ipſo ſunt, conuenientem haberent ad fidem acceſſum.* Hæc Cartaginenſis Antiſtes.

Amor rerum naturalis.

Sed nobis non de hoc amore diuino rerum omnium auctore ſermo. alius amor eſt, quem ille in rerum omnium ſiue animatarum, ſiue anima carentium intima, vt ita dicam, viſcera infudit; quo vnaquaque res impulſa ſui, proliſque ſuæ, rerumque ſuarum conſeruandi, confouendique cupiditate flagrat; non modo, vt ſingulæ rerum ſpecies, formæque prorogatione quadam, ac propagatione perdurent: ſed ne vniuerſum hoc quod mundum Latini, Græci Coſmon appellauere, de ſua coagmentatione, ac pulchritudine quidquam, vlla ex parte deperdat. ea enim partium inter ſe complexione ſuam ſingulæ contineri ſalutem natura interius commonente, perſentiſcunt. itaque illam quaſi communi Sacramento, atque impetu ſuſcepto contutantur.

Hinc

Vacui odium in creaturis.

Hinc illud eſt, tantum in rebus omnibus, inanitatis admittendæ odium, vt in partes minutiſſimas diſſilire ſolida corpora, atque diſcerpi ament potius, & contra naturale ſuum, ſeſe mouendi ſtudium conuolare repentè, ac ferri quouis incitatiſſimè velint, modo ne vacui quidpiam, à quo, immanè quantum abborreant, interiectum, tam arctam rerum amicitiam, coniunctionemque interimat.

Motus naturalis deorſum in aquis vehemens.

Aquæ, videlicet, quæ rapidiſſimo ad ima curſu defluere natura propellente conſueuerunt; quarumque impetus, neque oppoſitis aggeribus cohiberi, neque repagulis infrenari, neque foſſis obrui, neque diuerticulis eludi, neque ſublicis attenuari poteſt; quo minus obſtantia perrumpant; deuaſtent, oppleant, deplanent, ſubmerſent omnia; Aquæ inquam, quæ cuncta ſine dente exedunt, ſine terebra penetrant, ſine ferramento excauant, ſine manu perueſtigant, ac rimantur omnia: omnemque adhibent vim, atque ingenium delabendi, euadendi, erumpendi. Denique quibus quies ac fides nulla, donec ad imum conquieſcant, aut oceano ſe ſe commiſceant. Illæ tamen, vbi inanis imminentem præſentiam pertimeſcunt, illico feruntur in ſublime raptim nullo attrahente: ibique ſponte ſe ſiſtunt, pendentes immotæ; & hoſti locum præripiunt cum ſtupore aſpectantium, & miraculo naturæ. Hinc antliarum, ſambucarum, Tuborum luſiporum, fiſtularum vſus, ductuſque aquarum varij mirabili ſubtilitate ingeniorum, ſed facili naturæ documento adinuenti, per quos, ſcilicet cum ſuperiore ex parte detractus eſt aer, aquæ ex inferiore confeſtim ſubſiliunt, neque deſinunt afluere vnquam, donec aut canales per rimas aerem admittant, aut fons exareſcat.

Eorum ad inane impediendum motus ſurſum vehementiſſimus.

Ars inuenta attrahendi aquas.

Saxorum grauiſſimorum immobilitas.

Addo exemplum alterum, & domeſticum ne in externis, aut remotis vagemur. Colles hos ad Aetnam vides? tamquam ſub ingenti arbore (ſi magna paruis comparare liceat) ad vmbram arbuſculas conſedentes? & immania circum circa ſaxorum corpora, moleſque grauitate ſua ſtantes, & ſuapte pondere radicitus infra tellurem conſtabilitas, quibus neque Cretenſes fodinæ, neque Chalibum labor, neque Cyclopum folles ſint ſatis euellendis. Ad quæ eruenda vectes ferrei, harpagones, vncini cunei hamatæ manus, & omnis ferramentorum paratura exancletur, quibus promouendis, neque ſubſtructæ contignationes, neque ſubſidiariæ coaſſationes, vel hilum proficiant, quibus ſubleuandis ſpiræ colligantes effringantur, funes ductarij diſrumpantur, trocleæ cum ſuis axibus, contorqueantur. Epegones iugatæ machinæ, lignariæ molitiones omnes diſſoluantur. Hæc tamen omnia ingenium omnium circum operantium, machinariorum, laborem, boum pertinaciter attrahentium, & operarum ſuſque deque deſudantium cum anhelitu, ſudorem deridentia ſaxorum iuga, ſi propinquo

Etiam cum omni arte mouendi.

Eorumdē motus ſpontaneus ad excludēdum inane. monte verticem concutiente, aut latera exurente, intus flamma commorante periculum ſit, ne inani intromiſſo, compago rerum tantiſper hiet; antigerio vniuerſa ſponte conuellent, euertent, motabunt, inijcientque ſeſe in apertos hiatus, & inani obtrudent ante pedes ſurſum, deorſum, altrinſecus, vndequaque, dum inanitas extrudatur adamatæ vnionis pernicies. Vſque adeo Amor rerum inter ſe mutuus vehemens eſt, ac pollens.

Bombarda. Iam vero, cui non hac tempeſtate notum ſatis, ſuperque eſt bellicum illud ex aere fuſili tormentum, ad vrbium tutelam, hoſtiumque terrorem, auorum noſtrorum æuo excogitatum, neſcio commodo ne hominum maiore, an damno; longioris, graſſiorisque tubi inſtar, ore circinato, corpore tereti, & concauo, quo ſulphurea, ac nitroſa in arenulas formata materies immittitur vſque ad intima tormentariæ balliſtæ; & ſtupeis obturamentis in arctum cogitur. In hanc à poſtica parte perforamen ſuperne ad interiora ſe ſe demittens ignis intromiſſus attactum puluerem repente ſuccendit, flammamque excitat, quæ occludi neſciens, atque etiam indignans vi, violentiaque in apertum cælum prodiens horrendum fragorem, ac ſonitum ciet tonitrualē. ludicra, ac ridi-
Virg. l. 6. cula exiſtimaſſent præ hoc inuēto Salmonei aliorūq; machinamēta.

Bombardarum ſonitus vnde? Sed quæſo te vnde formidabilis ille fragor, ac tumultus? à flamma ne erumpente? & in aerem appoſitum impingente? minime hercle, ſed ignis exiens tormenti viſcera dum relinquit pœne exi-
Ad vacuum impediendum. nanita, periculum imminet vacui; huic periculo aer vicinus interea dum occurrit, ſe ſe intra os balliſtæ præcipitat, eumque, quem audis fragorem edit admirabilem, in naturæ periclitantis ſubſidium. Sed ſubſidium ſane periculoſum. neſcias à quo naturæ maior trepidatio à vacuo ne hoſtili, an ſubſidiario tonitru.

Proiecta. Quid, quod Philoſophorum, neque vero ignobilium, bona pars, quæ etiam Stagyrita duce gloriatur, exiſtimat ea omnia, quę ex proiectu mouentur, non virtute à proijcientibus ſibi impreſſa, ſed aere impellente moueri. Ita ferrei de machina ænea globi per
Cauſſa motus eorum. ignem depulſi dum per ſudum feruntur, eatenus motum habent celerem, tardioremue, quatenus retro aer maiore, minoreue impulſu protrudit. Sic ſagittæ ab arcu demiſſæ, ſic è fundis balearibus globuli deuolantes; & alia ſexcenta. Hanc vero vim poteſtatémque motum conciendi nanciſcitur aer, ne vacuitas in rebus detur; vtque Amor ille, qui ſua coniunctione rebus vitam vniuerſis compartitur, ac ſeruat, integer, inuiolatus, æternuſque foueatur.

Hic Amor omnibus, vt dixi, rebus inſitus, ſi tantas nactus eſt
Naturali amore non minus pollet amoris perturbatio. vires, vt admirabilia, & quæ fieri nequaquam poſſe, putantur, facillimè præſtet: certè non minore poſſet efficacitate alter ille Amor, qui ſolis in amantium pectoribus, ſed præcipuè in huma-

nis

nis verſatur, aliturque cuius naturam, & conditiones excutiendas aggrediamur.

SECTIO II.

DEFINITVR, ET DISTRIBVITVR AMOR.

Definitio. Amor duplex. Vita duplex. Amor ſecunda vita eſt. S. Auguſtini ſenſus. Progreſſus animi vſque ad actum amandi. Fundamentum in amando neceſſarium, ſimilitudo, & hæc qualis. Amoris vires, & nomina ex Sophocle, & alijs Catulli verſus obſcurus, & à nemine illuſtratus. Diuiſio Amoris enucleatur dupliciter. Quis ſit Amor amicitiæ, quis concupiſcentiæ, & quotuplex ſimilitudo. Amicus qualis ex Zenone, & alijs. Ariſtippi de ſe opinio, & amor, & vnde. Aenæas cur in tempeſtate timet. Seruij, & aliorum iudicium reprehenſum. Ex Virgilio. Vera cauſſa ex Marone, & Ouidio. Gabrielis de Amore ſentẽtia diſcutitur noſtra de definitione, & diuiſione Amoris affertur, & firmatur. Catulliano verſui, atque Epigrammati, lumen, & explicatio duplex. Dilectio quid ſit.

CElebris apud Philoſophos, & Theologos vſurpata Amoris ex Ariſtotele definitio. *Amor eſt velle bonum alicui, ſeu volitio boni alicui.* Vnde primum illud addiſcimus Amorem actionem eſſe vitalem, elicitam ab anima per facultatem appetitiuam; quæ duplex eſt, vt ſæpe dixi, rationalis, ac ſenſitiua; cuius vtriuſuis immutatio facta ab obiecto appetibili, quod bonum, aut pulchrum, aut iucundum ſit, (horum enim in præſentia parum nobis differentia curanda eſt) Amor appellatur. Hinc manifeſtum eſt: Amorem perturbationem eſſe, cum eum, qui in parte ſenſitiua oritur; tum qui in appetitu rationali verſatur. Et Ariſtotelis quidem definitio, ſi ipſius Philoſophi propoſitum ſpectemus; eo ſolum fortaſſe tendit, vt voluntatis ratiocinatiuæ Amores includat: docet enim quemadmodum hi in Animis iudicum, dum iudicia de reis exercent, ab oratore ſint excitandi.

2. Rhet. c. 4. *Amoris definitio* *Actus eſt voluntatis.* *prima ſecunda q. 26. art. 2.* *Amor duplex.*

Itaque falſi ſunt, qui Amorem in quadam vnione affectiua, ſeu in complacentia ſtatuunt; omnem actum voluntatis antecedente, & hoc quod eſt bene velle, effectum aſſerunt eſſe Amoris iam ante exorti. Quos contra etiam eſt Sancti Auguſtini dictum. *Quid eſt Amor, niſi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens; Amantem ſcilicet, & quod amatur?* cum enim iuxta Ariſtotelem, & Philoſophos, duplex vita ſit, prima, vt appellant, & ſecunda.

Grand. *Amor non præit volitionem.* *Auguſt. l. 8. de Trinit. c. 10.* *Vita duplex.*

prior

Prima. Secunda. prior autem ipſa anima ſit, corpus informans, atque in numero viuentium conſtituens: poſterior in ipſius operatione animæ verſetur, tamquam vitæ vita. Cumque certum ſit animæ eſſentiam Amorem eſſe non poſſe, quando anima, quæ anima ſemper eſt, amare tamen ſempèr non poteſt, reliquum fit, vt vitæ nomine Auguſtinus operationem animæ vitalem intellexerit. Quod ex eo etiam patet, quia vitam vocat appetentem copulare, aut copulantem animam, quæ amat cum obiecto amato. hæc enim, quid eſt, ſi operatio appetens non eſt? appetens, inquam, formaliter, non effectiuè. Quamobrem miror eos, qui contra de Amore ſentiunt, hunc Sancti Auguſtini locum pro ſua opinione laudare.

Amor vita eſt ſecunda.

Raynaudus.

Scio Auguſtinum paulò aliter à Sancto Thoma explicari, & quidem in vita copulante, operationem intelligit, ſeu vnionem affectiuam: vt & nos accipimus: ſed per vitam copulare appetentem, vnionem accipi vult effectiuam; non vero animam, ſed deſiderium; quæ vnio conſequitur ad Amorem, ſeu ad vnionem affectiuam, & formalem. nego tamen Sanctum Doctorem vnionis affectiuæ nomine, aliud intelligere præter operationem animæ, quæ affectionis plena eſt, imò ipſa affectio de qua diximus. Sit igitur Amor volitio.

D.Th.1.2.q.28. art.1.

Progreſſus animæ ad actum Amoris.

Quod vt luce clarius pateat, exponendus eſt animæ rationalis in Amore eliciendo progreſſus. Primum ergo obiectum, vt ad ſui Amorem alliciat; appetibile ſit, oportet; ideſt conueniens ei, qui ſit amaturus. *bonum enim*, inquit Ariſtoteles *cuique ſuum, & quiſque id Amore proſequitur, quod ſibi bonum videtur*. Atque hæc conuenientia, aut congruitas, ſimilitudo à Theologis appellatur, aut vnitas ſimilitudinis inter animam amaturam, & obiectum amandum. Hæc ſimilitudo, quæ (vt vulgo fertur) ac re apſe ita eſt; cauſſa Amoris eſt, & fundamentum, debet prius à facultate cognoſcente, tamquam talis apprehendi, atque cognoſci; tum voluntati proponi. Ad eam propoſitionem ſequitur actus voluntatis, ſeu volitio obiecti, & in obiectum propoſitum tendens, quæ vnio affectiua amantis cum re amata dicitur, & complacentia eiuſdem de re, & in re illa.

Obiectum debet eſſe conueniens amanti.

L.8.ethic.c.2.

Similitudo cauſſa amoris.

Quid ſit. D Th 2.2 qu.8. art.1.

Hæc debet præcognoſci.

Huiuſmodi vnio pro diuerſis obiectorum qualitatibus, & amantium complexionibus, mirabiles in hominum pectoribus ingenerare ſolet effectus, vt dictum eſt. Hæc ipſiſſimus Amor eſt. Hinc illi quam plurima, eaque diuerſa, atque etiam aduerſa apud ſcriptores nomina. Fax, Telum, Sagitta Vulnus, Vita, Mors, Ignis, Flamma, Incendium, Voluptas, Moleſtia, Cura, Quies labor, Mel, Fel, Inſania, Sapientia, Poculum, Ardor, Imber, Deus, Dæmon. Nam vt rectè ab Euripide.

Sect.1. Amoris vires, & nomina. Euripides. Sophocles.

In Venere multa inſunt diuerſa, nam, & oblectat maximè, & plurimum moleſtat homines.

Apud Stobeum ſerm.63.

Quid

Quid igitur mirũ ſi tot Amor nominibus exceptus? En Sophoclẽ. *Stobæus ibid.*

O pueri, certè Venus non ſolum Venus eſt,
Sed omnium particeps nominum.
Hæc eadem eſt Pluto, & inuicta neceſſitas
Hæc eſt rabies furioſa, hæc & Cupido
Mera, & luctus eſt, denique ei inſunt omnia.
Serium tranquillum, violentum. *Athen.l.13.c.2.*

Sed venuſtè Plutarchus apud Athenæum de Amore diſſerens carmen illud ex Alexide profert.

Mihi quidem iguorare videntur pictores
Qualis Amor ſit, vt abſoluam pauciſſimis quotquot,
Huius dæmonis ſtatuas faciunt
Nec enim mas ille eſt, nec fæmina,
Nec Deus, nec homo, nec fatuus,
Nec prudens, ſed coagmentatus
Ex omnibus in vno exemplari multas
Oſtendens ſpecies.

Sed definitioni Amoris reclamaſſe videtur Poeta ille cum dixit. *Catullus obijcitur*

Cogor amare magis. ſed bene velle minus.

Si enim Amor volitio boni eſt, qua ratione Amor dum augetur; volitio boni decreſcere queat? Quem Catulli verſum à nemine ſatis declaratum videre me memini, niſi forte Muretus aliquid tetigiſſe viſus eſt: nos ei infra lucem afferemus, poſt quam de Amoris diuiſione dixerimus. *A nemine diligẽter declaratus.*

In Amorem ergo amicitiæ, & Amorẽ concupiſcentiæ Amor diuiditur, his autẽ modis vterq, hic Amor explicari à doctis viris ſolet. vt primo Amor cũ velle alicui bonum ſit, duos habeat, ad quos tẽdat, velut ſui motus terminos; primũ illũ ipſũ, cui bonũ volumus, qui Amor amicitiæ dicitur; ſecundum, ipſum bonum, quod ei volumus; qui concupiſcentiæ amor appellatur. *S.Th. 1. 2. qu. 26. art. 4.* *Amor amicitiæ qualis.* *Amor concupiſcentiæ quis.*

Iá cũ Amor duos ad terminos ſupradictos ſemper feratur; quidá exiſtimarunt duplicẽ in omni Amore ſẽper intercedere actionẽ diſtinctá Amãtis. vná qua feratur in illũ, cui bonũ vult; alterá, quæ terminetur in bonũ, quod ei vult. Hoc ſi de hoc, aut illo ſingulari bono dictũ velint, quæ ſubinde diuerſis temporibus diuerſa concupiſcimus, ei quem olim amore proſequi occepimus; verũ fortaſſe eſſe poterit. Alio enim volũtatis actu nũc erga Paulũ v.g. feror amãdo cui craſtini bonũ aliquod peculiari actu concupiſco. Sed ſi de eo actu ſermo illis eſt, qui Amor eſt, nego poſſe fieri, vt amor vllus, aut amicitiæ ſine Amore cõcupiſcẽtiæ, aut cõcupiſcẽtiæ ſine amicitiæ amore eſſe poſſit. Duo hi ſimplex actus ſunt duos habens terminos, vt dictum eſt. *Scotus 2. dist. 6. qu. 2.* *Gabriel q.1. ar. 2.* *Quorumdam de actu amoris opinio.* *Explicatur in bonum ſenſum.*

Etenim vero ex his, inquies, ſequitur Amorem illum amicitiæ, & alterum concupiſcentiæ vnum Amorem eſſe. Id ipſum aiunt, qui *Amor vterque vnus actus eſt ratione non re diſtinctus,*

Sanctum Thomam ſectantur, vnum ſcilicet voluntatis motum, & vnum Amorem, re ipſa eſſe, duo vero, non re, ſed ratione diuerſos, eamque diuerſitatem à terminis, vt dictum eſt oriri.

Diſtinctio oſtenditur.

Differentia autem Amoris vtriuſque in hoc ſita eſt, quod ille, qui amicitiæ dicitur, directo, ac primo intuitu tendat in id, cui bonum appeto, & in quo mihi complaceo: indirectè autem, & tamquam ex obliquo in bonum, quod illi appeto. Contra eſt in Amore concupiſcentiæ.

Obiectio contra hanc expoſitionẽ.

Porro his poſitis. Video nodum in hac tela intricatum; nullum ſcilicet eſſe Amorem amicitiæ, qui erga alterum feratur. Nam ſi amare neminem valeo, niſi ipſum in bonis meis eſſe, atque adeò aliquid mei exiſtimaro, ſequitur, vt illum non niſi propter me, & vt ita dicam, mihi amem, ac velim bene, nihil igitur extra me amore eo proſequar, qui amicitiæ dicitur præter me. Sed ſolutio in hunc modum paratur.

Solutio.

Vnitas duplex ſimilitudinis, & identitatis.

Narciſſi amor. Ouid. met. 3.

Cum quis ſemetipſum amat, Amore amicitiæ amat, & huic Amori præcurrit vnitas, non quidem ſimilitudinis, de qua in ſuperioribus, ſed alia quædam maior, atque arctior, quam identitatis vocant, quæ ſubſtantialis eſt inter ſe amantẽ, & ſe amatũ. Quemadmodum de Narciſſo cecinit Poeta.

Se cupit imprudens, & qui probat ipſe probatur;
Dumque petit, petitur, pariterque accendit, & ardet,

Sed de Narciſſi inſano Amore alias. Iam vero cum alterũ Amore amicitiæ amo, non illum conſidero, tanquam aliquid mei, aut vt quidpiam à me diuerſum, quod ego deinde mihi in vſus meos concupiſcam; hoc enim eſſet Amore concupiſcentiæ ferri, ſed feror erga illum, tamquam ſi ipſe idem. atque ego, eſſet, & tamquam ſi ipſe memet amarem, ad quod explicandũ rectè illud Zenonis afferre poſſumus. interrogatus enim quid re vera eſſet amicus. *Alter ego*, reſpõdit, & illud Horatij de Virgilio ſuo amico. *Dimidium animæ meæ*, & aliud alterius, *Vna in geminis corporibus anima*.

Zenonis dictum de amico.
Horatij aliud l. 1. od 3.

D. Tho. ſententia,

De amore amicitiæ.

Id ipſum paucis, ſed expreſſis verbis Sanctus docuit Thomas; *quædam* inquiens, *Vnio eſt eſſentialiter ipſe Amor, & hæc eſt Vnio ſecundum coaptationem affectus, quæ quidem aſſimilatur Vnioni ſubſtantiali in quantum amans ſe habet ad amatum in amore quidem amicitiæ Vt ad ſe ipſum, in amore autem concupiſcentiæ Vt ad aliquid ſui*. Atque hæc de priore explicandi modo.

Secunda expoſitio Amoris amicitiæ & concupiſcẽtiæ.

Gabriel.

Alter modus eſt Amorẽ cõcupiſcẽtiæ tũc eſſe cũ aliquid volo cũ ordine ad me ipſũ, hoc eſt ad meũ cõmodũ, & bonũ. Amorẽ amicitiæ cũ aliquid volo alteri, quẽ amo in ordine ad ipſum, nulla inde mea vtilitate, aut commodo quæſito. Ita Gabriel, cui doctrinæ viſus eſt adſtipulari olim Ariſtoteles, cũ dixit *Amor eſt Velle alicui bonũ illius cauſſa, ſed nõ ipſius*, videlicet amãtis. Subſcripſit, & Sãctus Thomas dicẽs in Amore concupiſcentiæ amantem propriè amare ſe ipſum.

Videtur poſſe ad priorem expoſitionem vocari.

Eſt qui hanc diuiſionem reuocet ad priorem, faciatque Gabrielem

lem re quidem cum alijs ſentientem ſolo diſſonantem nomine. Atex opinione hac conficitur, Amorem erga nos noſtrum, ſemper eſſe concupiſcentiæ, quod falſum eſſe, & vidimus: & hoc nunc argumento probamus. Intellectus noſter ita videre in nobis aliquod pulchrum, aut bonum poteſt, quemadmodum in alio: igitur eodem pacto nos ipſi amare nos poſſumus, ſicut alium; hoc eſt propter ipſum. Atque adeo Amore amicitiæ. Ex hoc credo intellectu, atque affectu prodijt, quod Ariſtippus ille Stoicus Philoſophus à quodam interrogatus, quare in maxima maris tempeſtate timuiſſet, cum ipſe minimè eſſet deterritus, reſpondit. *Quoniam tu quidem non magnopere ſollicitus es pro anima nequiſſimi nebulonis, ipſe autem pro Ariſtippi anima timeo.* Ex hoc eodem capite ortus eſt ille Aenęæ naufragantis timor, & gemitus.

Excutitur hac ex poſitio argumẽtis.

Gellius 19. c. 1.
Ariſtippi timor in tempeſtate.
Eius opinio, & amor de re.

Aeneæ timor in naufragio unde. Aeneid. 1.

O terque quaterque beati
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Nam recta virtutis æſtimatio, quo ſe bono ornatum videbat Aenęas, cogebat, vt indignum ſe putaret, qui in vndis periret ignotus, inglorius, ac non periſſet potius proſpectante mœnibus Priamo pro patria, & patrijs Dijs vitam profundens vbi mortis pretium, fama, & gloria ſempiterna.

Sed alia Seruio cauſſa viſa eſt cur Troius Heros ingemuerit. *Non propter mortem*, inquit, *nam ſtatim ait beatos eſſe, qui obierunt, & ipſe obijſſe cupit, ſed propter genus mortis. Nam anima, quæ ignea eſt naturæ, contrario perit elemento.* Erras Serui, quod paulò poſt docebo. Melius putaſſes eamdem Dardanio duci fuiſſe tunc mentem, quæ Sulmonenſi fuit naufraganti.

Seruius.

Error Seruij de cauſſa timoris Aeneæ.

Non mortem timeo genus at miſerabile leti;
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Ouid. de triſtibus Elegi.

Niſi fortè, & hunc etiam dixeris eamdem ob cauſſam gemuiſſe; ſed alias prætexit cauſſas.

Ouidij timor in naufragio vnde.

Eſt aliquid fatoque ſuo, ferroque cadentem
In ſolida moriens ponere corpus humo.
Et mandaſſe ſuis aliqua, & ſperare ſepulchrum,
Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.

Video Seruij dictum arriſiſſe nonnullis? exiſtimaſſe, ſcilicet antiquos, animas in mari omnino interire, atque extingui, velut ignem in aqua. Quam ad opinionem, ſeu inſaniam potius multa affert Cerda ad locum Virgilij. ita Naſcimbenius, Germanus, Delrius, & alij docti viri. Nullum nobis hac de re diſputandi otium. Vnum aſſero Virgilium longe ab hoc errore abfuiſſe, neque hac mente Aenęam induiſſe, quod ex eo colligo, quia poſtea illum colloquentem facit in infernis ſedibus cum amicis, qui in aquis perierint.

Seruij opinio aliquibus arriſit.

Cerda in primũ Aene id.
Naſcimbenius.
Delrio.
Reijciuntur à nobis.

B 2 *Cernit*

Virg. l. 6.

Cernit ibi mæſtos, & mortis honore carentes
Leucaſpim, & lyciæ ductorem claſſis Orontem;
Quos ſimul è Troia ventoſa per æquora vectos
Obruit auſter aqua inuoluens, naueſque, viroſque.

Hoc ſcilicet eſt præcipuum cur naufragio mori timerent, nempe quia mortis honore, ideſt ſepulchro caruiſſent, quod Maro retulit, & Palinurus in ipſis etiam vndis obrutus ab Aenæa ſuppliciter petijt.

Aeneid. l. 5.

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portuſque require Velinos.

Ad Gabrielem regreſſus. Eius opinio rationibus diſcutitur.

Et hæc per tranſennam, nunc ad Gabrielis, aut alterius cuiuſque ſecundam de Amorum duorum definitione opinionem perſcrutandam reuertamur. contra quem in hunc modum arguimus. neminem amore amicitiæ proſequi poſſumus, quem prius non agnouerimus nobis ſimilem, atque conuenientem. Amor enim in æqualitate fundatur. *Prima ratio.* Igitur ſi concupiſcentiæ Amor ſit, amare quidpiam in ordine ad nos: omnis Amor amicitiæ erit, etiam Amor concupiſcentiæ. *Secunda.* præterea amare in nobis ipſis virtutes, & diſciplinas poſſumus, quare autem is Amor ad concupiſcentiæ Amores referetur, cum eaſdem in alijs amare ad Amorem amicitiæ referatur?

Tertia. Amplius ipſum concupiſcentiæ vocabulum oſtendit, Amorem illum non eſſe ſine aliquo deſiderio, quo ſcilicet concupiſcamus bonum aliquod alicui, hoc autem tam poteſt eſſe dum alium amamus eique bona volumus; quam dum nos nobis cur. igitur Amorem concupiſcentiæ in Amore noſtri ſolo ponit?

Noſtra de amoris definitione ſententia.

Hæc de Amoris definitione, ac diuiſione ſecundum diuerſas opiniones diſſerta ſunt. Nos ſic exiſtimamus, cum definitur, Amorem eſſe volitionem boni alicui; ſuperfluè apponi illud alicui; ſic enim ſolus Amor concupiſcentiæ ſecundum Sanctum Thomam, & ſolus amicitiæ iuxta Gabrielem definiretur, *Amoris definitio* Amoris ergo definitio eſt volitio boni, aut velle bonum. Quamquam enim omnis Amor ſit velle aliquid propter ipſum, aut velle aliquid propter aliud, vel alicui, tamen ab hoc vtroque velle, abſtrahi poteſt ratio quædam vniuerſalior, quæ ſit velle aliquid, quod eſt Amor definitus ab Ariſtotele, qui præſcindens, ſeu abſtrahens eſt; vt Philoſophi loquuntur, ab Amore amicitiæ, & Amore concupiſcentiæ.

Amor amicitiæ qualis. Qualis amor concupiſcentiæ.

Iam quando quis amat cum negatione ordinis ad aliud Amor ille, Amor amicitiæ erit, ſiue ſe amet, ſiue alium. Quod ſi volitio hæc boni erit cum ordine, ſcilicet propter alium tunc conſurget Amor concupiſcentiæ. Siue hic alius ipſe ſis, qui amas; ſiue alter à te. *Amari poteſt aliquid ſine amore alicuius propter illud.* Aio, præterea poſſe me Amore amicitiæ ferri in aliquem, quin ferar eodem actu in aliquod tertium, quod amem

prop-

propter illum aliquem, nam virtutem amo, & alia huiuſmodi multa, quibus tamen nihil concupiſcimus, & Deus damnatorum in Tartaro ſalutem amat, quibus tamen; ſeu propter quos, alia non amauit, ſeu præparauit. nego autem poſſe me quidpiam Amore proſequi, propter alium, quin hunc alium Amore complectar, & cum alicui bene volo, amem illum neceſſe eſt, & Amor menſura eſt bene volendi alicui. Cur igitur inquies Catullus Seſtiæ ſuæ dixit?

Velle alteri bonū non poſſum quin alterū hunc amē.

Cogor amare magis, ſed bene velle minus.

Reditur ad Catullum.

Receperam in ſuperioribus me hunc verſum Catulli explicaturum. Stabo promiſſis, & vt ſoluam, totius epigrammatis argumentum propono. Seſtiam amabat Catullus non vt amicam tantum; qui Amor concupiſcentiæ eſt, ſibi enim illam concupiſcebat. Sed vt Pater filium, aut generum, qui vterque Amor ei ſimilis eſt, vt vidimus, qui amicitiæ dicitur; itaque dicit.

Argumētum Catulliani epigrāmatis.

Dilexi tum te non tantum, vt vulgus, amicam
Sed pater vt gnatos diligit, & generos.

Peccauit poſtea Seſtia in Catullum, & facta eſt illi *vilior, & leuior*, quamobrem extinctus eſt in Catullo Amor ille amicitiæ, quo illi bene volebat, propter illam, & remanſit, aut exarſit Amor concupiſcentiæ ſolum, quo illam tantummodo appetebat propter ſuos vſus. Nam vt Sanctus docet Thomas *Zelus, aut Zelotypia naſcitur ex intentione, & feruore Amoris, & in Amore concupiſcentiæ quicumque aliquid vehementer concupiſcit mouetur ardentiſſimè contra omne illud, quod repugnat conſecutioni, vel fruitioni quieta eius, quod amatur.* Hinc Catullus ex iniuria ſibi inflicta impenſius vri ſe aſſerit. Itaque cogitur Seſtiam amare magis, Amore concupiſcentiæ ſibi illam optando, ſed minus amare Amore amicitiæ, ac propterea minora illi bona velle propter ipſam; quia indignam ſe præſtitit, quæ tali amore decoraretur, atqu hæc eſt Catulliani carminis luculenta explicatio.

Explicatio Catulli vna.

Zelotypia vnde naſcitur.

Alia etiam addi poteſt non incommoda, vt Seſtiam olim honeſtam, & dicis cauſſa, pudicam amaret, Amore ſenſitiuo, & concupiſcentiæ; diligeret vero Amore amicitiæ propter ipſius ſcilicet bonam indolem. Cum vero poſtea per libidinem de ſua æſtimatione deciderit, euanuit quidem dilectio, qua illi propter eius virtutem bene volebat, remanſit autem ſolus Amor illam recuperandi. nam vt Sanctus Thomas docet dilectio ſupra Amorem addit electionem præcedentem, vt ipſum nomen ſonat, vnde dilectio non eſt in concupiſcibili, ſed in voluntate tantum, Amor autem aliquid communius eſt, & animalibus etiam competit, atque ita idem erit Catullo bene velle Seſtiæ minus, atque illam minus diligere; ex electione ſcilicet; amare vero magis, ex ſenſu, & concupiſcentia.

Expoſitio altera.

Dilectio quid.

SEC-

SECTIO III.

AMOR IN DEVM OPTIMVS.

Amore dignum obiectum Deus; cætera Amorem fallunt. exemplum à Terentio ſumptum mirificè tractatur: Amor in vana cæcus: creata non verè pulchra ex Boetio: Reipulchræ hipotipoſis Tellus quam parua: Deus pulchri fons: Roſa, Lilij, Hyemis, Veris. Autumni, Aeſtatis deſcriptio: Deus omnium cauſſa ex Eſaia. Amor res eſt nobilis ſi abijcitur cruciat: Auarus deſcribitur: Dignitates non beant: earum effecta: forma humaua amabilis videtur: exemplo Adami: Eua proſopopeia: formæ muliebris ponderatio: Bucephali ſimilitudine amor tractandus: Equi inceſſus deſcriptio: Amor turpium, an Amor? minimè: ſimilitudo aptiſſima. auctoritates: Res creatæ an amandæ: Platonis, & Auguſtini doctrina: Deus, & Dominus cur vnus: quomodo amandus: voluntas ſemper amat, ſi noxia, ſibi nocet: Mentis Amor qualis. In Deum ſcilicet: An Amor ſenſibilis huc transferri poteſt? multa in hanc rem, & explanantur duo Dauidis loca.

Amor res præ-tioſiſſima. Igitur Deo dandus. PRetioſiſſima res Amor eſt, In Deum igitur rem certè omnium opulentiſſimam, omne exſuperantem pretium, omni mercede quærendam expendendus. In quem omnis Amor etiam copioſiſſimus. leue pretium eſt. *Capaciſſima.* Capaciſſima res Amor eſt. non niſi igitur ab immenſo explendus Deo; erga quem omnis Amor anguſtus eſt. *Felicitas.* Felicitas, Amor eſt, vel certæ felicitatis complementum. in re igitur pulcherrima, immutabili æterno Deo collocandus. *Alia amorem deludunt.* Deludunt enim cetera Amores, quia fluxa; quia temporaria. Deſerunt: quia mutabilia, decipiunt. audi adoleſcentem *Exemplum ex Terentio.* illum Chæream ſeruum ſuum Parmenonem ita apud Comicum alloquentem. *De adoleſcente Chærea amante.* *Chær. Amo. Par: Hem. Chær nunc te Parmeno oſtendes, qui vir ſi es. ſcis te mihi ſæpe pollicitum eſſe. Chærea aliquid inueni modo quod ames, in eare, vtilitatem ego faciam; vt cognoſcas meam. Cum in cellulam ad te patris cœnam omne congerebam clanculum. Par, age ineptè. Ch. Hoc herclè factum eſt. fac ſis nunc promiſſa appareant; ſiue adeo digna res eſt, vbi tu neruos intendas tuos. Haud ſimilis Virgo eſt Virginum noſtrarum, quas matres ſtudent demiſſis humeris eſſe, vincto pectore vt graciles ſient. Si qua habitior paulò, pugilem eſſe aiunt. Deducunt cibum: Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas. Itaque ergo amantur Par. Quid tua eſt hæc? Ch. noua figura oris P. Papæ Ch. color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum. Par. Anni? Ch. anni ſexdecim Par. Flos ipſe. Ch. hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas vſque dum po-*

tiar

tiar modo.

Hæc illi, & quidem ludicro. At ego mi adoleſcens, ſeu quicumque hæc legis, in hunc te modum alloquor, & ſeriò. Amas nè? Amo, inquies. Hem te miſerum, cum in vanis hæres. Heu quanta laboras in Charybdi, digne puer meliore flamma. In amore iſto tuo obſtinatus auxilium poſcis, & nunc, inquis, oſtendes, qui vir ſies, pollicitus enim es amoribus te meis auxilium eſſe præbiturum. Stabo promiſſis, & manum præbebo, vt te eruam. Age, inepte, à viliſſimis iſtis amoribus abſcede, eripe te moræ; & ab hoc igne recipe; ne te peſſum det, ne rogum faciat. Haud ſimilis, inquis, Virgo eſt Virginum noſtrarum, hanc quam amo. Ain vero? an hæc tua, non de mulieris vtero, ſed de cerebro Iouis Virgo enata eſt? crede mihi, quæcumque illa eſt, demiſſis eſt humeris, quia terrea eſt. vincto imò anguſtiſſimo pectore, quia excors eſt, gracillima eſt, quia nullis eſt communita virtutibus. Fucus eſt, quicquid illa eſt; fumus, funus. Sed quid tua hæc tandem amata eſſe poterit? Noua figura oris, color roſeus, corpus ſolidum, ſucciplenum; anni in flore, flos verus, & ver purum. Pape? flos iſte, vt aduertas, caducus à morbo, ariſurus ab æſtu, periturus à morte. Huc age, mi Chærea, indicabo tibi, quod ames, vbi paſcat, vbi cubet in meridie, verus Amor. ne ignarus vagari incipias poſt greges ſodalium tuorum, oſtendam tibi, atque oculis ſubijciam tuis omne bonum, omne pulchrum, & ex omni parte amabile. Quid tu inter hæc ima volutaris inania, exſucca, exſanguia, emarcida?

Conuerſio exēpli ad amātem vans.

Horatius od.

Amans vani cacus eſt.
Nil in creaturis vere pulchrum.

Cant. c. 1.

Quæ veri oblita tonantis
Humanum miſeris voluunt erroribus æuum
Nemo animum ſummi memorem genitoris in altum
Excitat ad cælum mittit ſuſpiria nemo:
Nec recolens apicem ſolij natalis ad ipſum
Reſpicit auctorem, nec ſpem ſuper aera librat.
Sed mentem grauidis contentus ſternere curis
Indigno ſubdit Domino perituraque pronus
Diligit, & curuo quærit terreſtria ſenſu.

Prudentius. Hamartigenia.

Circumſpice, amabo, oculis, aut animo potius omnem terrarum ambitum peruagare, & quicquid ab ipſius mundi natalibus, ad hoc temporis momentum, in ſcœnam vitæ prodijt, intentiſſima acie contemplare cum ſuadela loquelæ diſertum. cum mulcedine vocis, canorum. cum dulcedine ſaporum titillans. cum compoſitione membrorum, elegans. cum auri fulgore, pretioſum. vel per Veneres oculorum, illecebroſum. per purpuras genarum, coruſcum. per vniones dentium, hilare: per coralla labiorum, flagrans; per omnes charites accendens. Hoc demum quid eſt? quantulum eſt? Quantumcumque ipſum ſit, terra, in

Pulchra rei deſcriptio, & conſideratio,

Terra proles eſt.

qua

qua hæc oriuntur, educantur, emoriuntur, maior his eſt, & ornatior, & ditior, & formoſior, & pretioſior; & ipſa puncti inſtar eſt, imò punctus, ſi ſolis ambitum ſpectes; quod Mathematici probant. Quid ſi ad ſuperiorum orbium granditatem, vaſtitatemque oculos tollas? quid ſi ad beatorum domicilia? quid ſi ad Deum? à quo omnia, tamquam ab vberrimo, perennique bonorum fonte dimanant, & ſuam pulchritudinis guttulam de Oceano omnis formoſitatis, venuſtatiſque ſuſcipiunt.

Tellus quanta.

Deus vnus pulcherrimus.

Et omnis pulchri fons.

Roſa deſcriptio.

De ipſo, atque ab ipſo Roſa florum omnium Regina purpuriſſo violatur, & primum cortice incluſa pudori parcens ſuo, domi continetur, tum matutinis horis antelucana de faſtigiato cortice tamquam de feneſtellis rubore plurimo pudibunda reſpectat, & inſpectantium amores verecundè laceſſit; demum ſui confidentior in apertam lucem patefactis foribus prodit; ſuamque formam euulgar breui defloranda, ac peritura. De ipſo lilia roſarum æmula candicant, & languente collo folijs ſtriatis, reſupinis labellis, ore medio pallentes crochos oſtentant. De ipſo eſt quod violæ purpuraſcant, palleant, luteſcant, albeſcant. De ipſo nigreſcit vaccinium decore; rubeſcit hiacintus ſuauè, palleſcit crocus odore caltha ſuauigrauiter flammeſcit.

Lilij, & aliorum florum grata Ipotypoſis.

Deus eſt Mundi opifex. Anni Rector. Temporum moderator. Naturæ Magiſter, Vbertatis fons, Vitæ promus, Rerum Artifex, Omnium Dominus, Pater, Imperator, Rex, in ſumma Deus. Ipſe Aſtris lumen cum efficacitate partitur, ipſe motum eorum ciet. Ipſe Sol Solis, ipſum in curru ſuo nitidum prodire, & terras ſubiacentes inuiſere, & de aquis exhalatos excipere in altum vapores docet, & iubet; ipſe horum partim in fulgura, in fulgetra, in fulmina, inflammat; partim in crinitas, comataſque faces incendit regijs capitibus minantes, atque imminentes, & capitalem ſententiam ipſo pœnè crine ſcribentes. partim in rauca, & tumultuoſa tonitrua conglutinat, partim in gelu vitreum diſtendit, partim in niuem ſicut lanam, extendit, partim in pruinas infrigidat, partim in grandines conglobat, partim diſtillat in pluuias, ſic vna pars anni hyemat, & abunde imbribus ſaturata tellus fœcundatur ad genituram.

Dei Maieſtas, & virtus.

Meteororum deſcriptio.

Hyems.

Ipſe verno illam tempore, nunc intumeſcente vtero grauidam fouet, nunc parientem adiuuat, proles enatas alit, ſuccum infundit, & matrem cum prolibus frondium veſtimentis induit, comit, coronat floribus diuerſicoloris, multiplicibus, odorem latè ſpargentibus, & hiſce veluti blanditijs nouam excipit puerperam. Ille ipſe, tepente anno, fruges maturat in agris in collibus vuas, & in vuarum orbiculis varia vinorum genera diſcriminat. Ipſe poma in arboribus affabre colorat, & eadem ſaporibus indulcat. Ille æſtiuis tandem ignibus, ſi quid Autumno ſuperfuit crudum, concoquit,

Ver.

Aeſtas.

coquit,

coquit, & inutiles effœtæ iam telluris humores exſiccat, emarcida de arborum ramis folia excutit, & telluris noxias tepiditates exugens, arentem eam ad nouas iterum adaptat genituras. Magnificè Vates Iſaias. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur; Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo, ſicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Quis mẽſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? Quis adiuuit ſpiritum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? & oſtendit illi? cum quo inijt conſilium, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, inſulæ quaſi puluis exiguus.

Eſaias c. 40.

Deus omnium omnia.

Quæcumque igitur res forma dotata, ac ditata incredibili; non manu laborata Praxitelis, aut Apellis, aut Polygnoti, aut Dædali, quid enim mortale ingenium, aut ferro excudere; aut igni conflare; aut aſcia, ac ſecuri educere; aut pennicillo queat effingere, quod verè pulchrum dicatur? ſed Angelicarum etiam mentium agmina diuina ſapientia, atque virtute pulcherrimum in modum efformata, nequaquam adequare poterunt, imò infinitis etiam ſpatijs à diuini aſpectus pulchritudine diſtabunt.

Pulchritudinis cauſſa Deus non homo.

Deus Pulcherrimus.

Inſita ſummis
Forma boni liuore carens, tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo. Pulchrum, Pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens ſimilique ab imagine formans,
Perfectaque iubes, Perfectum abſoluere partes.

Boetius cap. 3. metr. 9.

Quin igitur eos, ego homines reprehendam; qui tam nobilem animæ ſuæ prolem, qualis Amor eſt, in hæc ima, & anguſta deijciunt? Cumque à natura pennas ad euolandum in æthereas partes ſortitus Amor ſit, interuellunt naſcenti alas, ne ſeſe erigat, & cum oculorum polleat obtutu acutiſſimo quo, quid amplexandum ſit, peruideat, hanc illi adimunt facultatem, vt in tenebris agens Ixionis inſtar, ea complexu ſuo foueat, ijſque adhæreat, quæ pulchritudinis, aut bonitatis oleant pœne nihil. illudque ipſum, quo ſe iactant boni exiguum, tantis eſt miſeriarum aculeis circumſeptum, vt non ſine ingenti dolore tangatur. Animus verò dum in amoribus hiſce verſatur, non quietem nanciſcitur, aut ſatietatem, ad quam inhiat: ſed angorem, ſollicitudinem, eſuriem. Quid? quantis res humanæ malis implicantur? An tu in pecunia te beatum putas? O præclarum bonum, miris habentem mulctans malis? Vt primum amare opes, atque has venari occepiſti, te ipſum enecesneceſſe eſt; fame, dum ſtomacho cibos ſubtrahis, frigore, dum corpus veſtitu fraudas; quas vt tu tibi opes adaugeas, tui

Amor vt res verè nobilis non eſt abijciendus.

Si abijcitur hominem cruciat.

Pecunia non beat.

Auarus deſcribitur.

C boni

boni defoſſor efficeris ; alieni raptor , ærariorum expilator , ciuium graſſator , amicitiarum deſertor , liberum impius ſector, vxoris inſtitor probroſus, familiæ Tirannus, excors diuinarum rerum contemptor, omnium oſor , & Miſandropos exoſus , qui quo es locupletior ; eo ſimilior inopi es . *Auaro enim tàm deeſt quod habet , quàm quod non habet* . Ingenuè quidem Seneca , *breuiſſima ad diuitias per contemptum diuitiarum , via eſt* : ſiquidem maiore tormento pecunia poſſidetur , quam quæritur . An tu dignitatis cuiuſpiam amore flagras , qua comparata beatitatis te in ſinum credis eſſe inſerendum ? ſed in hanc , vt te inſeras , quoties donaturis ſupplicabis ? quoties aularum , cubiculorum , porticuum , atriorum limina ambitioſa , ſed humillima fronte deteres ? quoties tamquam , qui ſtipem roget , pedibus aliorum aduolueris , manus , genua , veſtigia deoſculaberis , adorabis. prenſandi tibi ſunt ſæpè famuli Principum ; & honoranda ſeruitia , aditus muneribus emendi , ineſcendæ voluntates . Ita dum alta aſpiras , alte vt ſuſpires , neceſſe eſt , & vt infima animi corporiſque deiectione vileſcas ; turpiſſimus honorum candidatus ; *Certè confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt* . Sed eſto deſideratam tanto ambitu dignitatem es aſſecutus , & iſtius beati coniugij felicitate perfrueris ; gloriam ne tibi fortaſſe , & honores , obſequia , & opes fæcunda mulier pariet ? *Lucina fer opem parienti* , ſalua res eſt peperit . Quid vero tandem? ærumnas multas . Hui fætus , quam deformes ? Monſtra vera . ſomnos peruigiles , quietes inquietas , opes inopes , amicitias infideles , obſequia infida , inimicitias domeſticas , occultas , periculoſas , odia peracerba , delitias ærumnoſas , vitam inuitam, inamænam , inamabilem . Quid miraris ? quid ſtupes ? Dignitas eſt , honor, pompa eſt , falleris perſonata ſunt omnia .

Seneca ep. 62. Syrus Mimus.

Magiſtratus non beant.

Ambitioſi taxãtur.

Seneca ep. 85.

Magiſtratuum dignitatumque partus qui.

Sed videlicet his non ardemus , verum vtimur , qua poſſumus ; Amorem humanum homo ſibi demeretur , ceterorum vſum habet. Sola humani vultus forma eſt, quæ hominũ omnia omniũ ad ſe corda attrahit; idque etiã ſuo ſibi ſimilitudinis iure ſumit. Teſtem habeo Adamum generis noſtri parentem , & hunc dum integer fuit , & ſapiens, & Deo carus eſt . Hic in horto illo delitiarum ſolus erat , & conſortis egebat . Ergo animantes ad illum vniuerſæ ; Dei nutu adductæ , vt circumſpiceret , num vlla arrideret , & oculos pelliceret . placuit nulla . Quid enim homini cum belluis ? quid cœlum inſpectanti cum brutis , & in terram pronis ? In Amoribus ſimilitudo pronuba eſſe ſolet , & illex . Igitur dormientis Adami præripit Deus coſtulam de latere , quam in elegantiſſimæ formam puellæ ſapientiſſimus artifex defigurat , non adhibitis in exemplum Virginibus , vt Zeuſis olim ad Venerem illam ſuam ; ſed effuſis de theſau-

Forma humana amabilis.

Adami exemplo. Qui conſortem in animantibus non inuenit.

In amore ſimilitudo pronuba.

Euæ formatio, & forma.

ro gratiarum ſuarum venuſtatibus plurimis nubilem, in ipſo ætaris flore, Virgunculam ex officina ſuæ ſapientiæ profert ſucci pleno ſolido, tereti que corpuſculo, habitudine per quam modeſta, magnitudine iuſta, candore admirabili; ſed ſanguineo rubore permiſto. pedibus quidem exiguis, at firmo veſtigio, tibijs marmoreis, ſuris rotundis, vtero breuiore, & moderato, pectuſculo niuali, mammis turgeſcentibus, collo tereti, atque erecto, brachijs iuſtis, manibus, ac digitis longioribus, capillitio primum quidem ab radice nigritante, tùm in auri fulgorem eunte, demum in aurum deſinente, promiſſo, vndulato, criſpante. Quid vero facies ipſa, & vultus? quanta inibi leporum, & pulchritudinum copia? frons maieſtatis plena, ſine rugarum ſulcis, ſine nubium fuſco ſerena, grauis. ſub fronte oculi micant, grandiores, nigelli flammarum eiaculantes tela, ſedes Amorum, regiæ vallatæ ſpiculis pilorum; aptiſſimè diſpoſitis non ad cuſtodiam magis, quam ad gratiam, & venuſtatem. Oculis genæ ſubiectæ, ſuauitatum areolæ, bicolores, ipſiſſimum ver. labella mellita, roſea, os anguſtum, ſuadæ fons, aſpectus pudicus, leuiter in riſum inclinans, amores mariti prouocans. Talem euigilanti Deus Adamo formam ante oculos obtulit, inuiſam hactenus, inauditam, incognitam, inſperatam. Sane, vt hanc ipſe luminibus hauſit; hauſit quoque animo repentinas; eaſque admirabiles amoris honeſtiſſimi flammas, quibus ne amores quidem filiorum, qui in parentibus ſolent eſſe vehementiſſimi, comparari poſſe videantur. Hæc Adamo acciderunt. Humani igitur vultus pulchritudo, humani animi amores emerentur, reliqua viliora, & numerus ſunt. *Geneſis 7.*

Quantum, pro diuum, hominumque fidem, à recto humanum deerrat ingenium? & in quæ ſe auia, ac deuia præcipitat, quando homo amores in homine locat ſuos. Dic ſodes, ad quam tu lucem oculorum ardes ò miſer? non ne ad eam, quæ, quocumque morbi, vel leuiuſculi turbine perflante deperditur, aut demoritur? Quo genarum nitore peris? qui tam rapidè areſcit, quam flos: tam effluit velociter, quam aura: qui eſt omni flore, atque aura fugacior, quo tu pudore vultus ineſcaris? qui fallax eſt, & ſæpiſſimè mentitur, & amat amari: & vno amante non eſt contentus, & ſuperbior eſt, & iracundior, & mutabilior, & leuior, quam tu velis; aut ſperes. & vero cur in habitu corporis externo, tam ſtupidus, ac defixus inhæres? cur tu non lynceos tibi oculos aſſumis, vt ad occulta, & intima corporum penetres, non ne in introſpectis viſceribus, illud Alcibiadis Attici, aut Siculæ, Taidis in ſuperficie pulcherrimum corpus, turpiſſimum tibi repente, & omni fœditate conſpurcatum appareret? non ne amorum tuorum curſum repente ſapienti pænitentia intercideres, & pedem retro referres?

Forma mulicbris ponderatio.

Oculi.

Genæ.

Vultus.

Species corporis externa. Internis fœditatibus obruatur.

Boetius conſ. l. Philoſoph.

Heu, heu, quo miſeros tramite deuio
Abducit ignorantia?
Qui quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Neſcire cæci ſuſtinent.
Et quod ſtelliferum trans abijt polum,
Tellure demerſi petunt.
Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant,
Et cum falſa graui mole parauerint.
Tum vera cognoſcant bona.

Plutarc. in eius vita.

Philippo Macedonum Regi Amintæ filio, & Alexandri Parenti, eius qui poſtea magnus eſt dictus, dono miſſus fuerat equus, forma quidem ſpectabilis, ſed ferociſſimus; hunc cum arte nulla domari poſſe, & magiſtrorum operam in eo edocendo ludi, videret, Rex abijci iuſſit. Tunc cum ſuſpirio dixiſſe fertur puerea ætate Alexander. *Qualem iſti equum perdunt dum eo, per imperitiam atque mollitiem vti neſciunt*. Ita ſanè in re noſtra eſt affectum humani pectoris nobiliſſimum plane, ac generoſiſſimum Amorem perdimus, dum tractare neſcimus; dum per animi mollitiem, inertiamque in his infimis volutari illum patimur. Agedum quod ad Bucefalum domandum Alexander, nos ad conſequendum amorem verum præſtemus. Ille ſonipedem ad ſolis radios ne ſui terreretur vmbra corporis conuerſum ſaltu celeri conſcendit, & freno ad ſe molliter adducto, recta lege itum, reditum, curſum, recurſum perficere, girum nunc claudere, nunc in giro greſſum figere, ac retrò repedare non reluctantem inſtruxit. Stupere vniuerſi, ſed precipuè Philippus. non equum magis domitum, laudare quam domitorem puerum. Igitur indomabilis nuper, nunc ſedato ire greſſu, & molliori glomeratione alternis crurum explicatibus procedere, aut graui inceſſu tolutim viam inire, & omnia peragere, quæ inſeſſor, aut voce, aut plauſu, aut manu, aut nutu, aut corporis inclinatione commonebat; ſic nos amorem noſtrum ad Deum tandem, qui ſol eſt verus, timore depoſito conuertamus, & fræno prudentiæ, ne inſoleſcat, aut deuiet, aut ſuccutiat iniecto. rectis in cælum, & magnis itineribus, vt contendat, erudiamus. Quid enim? An dum caducis, vltra quam oportet inhæreſcimus, vt ſolent in ſaxis cochleæ, & vel pecunijs incubamus cupidius, vel magiſtratus ambimus vehementius, vel formas amplexamur ardentius; an, inquam, ardor hic Amoris tandem nomine eſt cenſendus? minime verò. Vt enim ij, qui ex percelebri exorti genere, cum per ſcelus aliquod, ſe non ſolum priuatim publiceque fædauere, ſed procul à patria, ac domo fugam voluntariam arripuere, nomina ſibi, ne agnoſcantur, immutare perſæpe ſolent. ſic Amor dum ſe à diuinis ad creata demittit, Amor

Bucephalus in exemplum affertur

Equi domiti deſcriptio.

Amor equi inſtar trahendus.

Amor turpis nequaquam dicendus Amor.

Apta ſimilitudo.

qui-

quidem eſt, ſed ſuperbiæ, ſed luxuriæ, ſed libidinis, ſed ingluuiei opprobrioſa appellatione contegitur. *O Amor*, inquit Bernardus, *veni in nos, poſſide nos, diſpereant à facie tua in nobis omnia fœditatis nomina quæ à concupiſcentijs carnis, & oculorum, & ſuperbia vitæ huic immiſcentur, affectui, quaſi quædam ſpuria vitulamina. Affectus, inquam, qui in nobis Amor dicitur, & corrumpitur ſæpius, iuſtæ animæ à te, & ad te creatæ ad te ſolum creatus, & concretus, & reluctans noſter affectus legi naturali, & reclamans cogitur vocari Luxuria, Gula, vel Auaritia, & his ſimilia, qui incorruptus, & in ſua permanens natura, ad te ſolum eſt, Domine, cui ſoli Amor debetur*. Itaque rectè Plato, *qui ſuos*, inquit, *ad ſummum pulchrum, Amores, furoreſque conuertit, vere, & amare, & amatorem eſſe dicendum, docuiſſe videtur*. Vt enim Marſyas amnis quamdiù intra Cælenarum vrbis muros fluit, nomen ſuum retinet. extra verò munimenta ſe euoluens, maiori vi, ac mole vndas agens Lycus vocatur. Ita dum intra cæli ambitum noſtra verſatur affectio, merito Amoris nomine gloriatur. ceterum ſi extra præſcriptum excurrens in libidinum valles vi, atque impetu ſe ſe præcipitat: non iam Amoris retinet nomen, ſed mangonis, ſed ſicarij, ſed nepotis, ſed gurgitis, ſed charybdis, ſed lupi. fabuloſum eſt, quod de græca quadam familia in Arcadia ſcribitur, ſolitos eſſe eius familiæ viros certo anni tempore ad ſtagnum quoddam abire, & ſuſpenſis ad proximam arborem veſtimentis, poſt quam in alteram ripam nando tranſmearint, continuò in lupos conuerti, in eaque tamdiu forma perdurare, donec poſt decennium ad ſtagnum reuerſi, atque ad priſtinam remeantes figuram, ſua ſe indumenta induerint. Enim vero dum veſtimentis animi ſe noſtri ſuis, quæ virtutes ſunt, minime exuerunt; neque in vitiorum altum Cocytum ſe ſe ingurgitarunt; Animi ſunt, & vere Amantes, & verè, vt ita dicam, viri. At vbi naturæ rationalis ornatu, depoſito, ſe ſcelerum, in profunda deiecerunt, in lupos abeunt, & à virili conditione, ac nomine deſciſcunt.

Bernardus ſoliloqui.

Plato in Phædro.

Curt. l. 3.

Amoris turpis nomina.

Plinius l. 8.

Quid tu igitur, inquies, amare nos hæc, quæ videmus, prohibes? an non ſuis etiam hæc pulchritudinum ornamentis illectant? Primum quidem cum Platone reſpondebo. Cuius illa verba ſunt. *Cum rem pulchram quamdam in terris quis conſpicatus eſt, veræ illius hoc eſt cæleſtis, ac diuinæ pulchritudinis reminiſcens, alas recipiat, quibus receptis in ſummam euolare connitatur pulchritudinem*. Deinde cum Chriſtiano Platone, is Auguſtinus eſt ſubiungo: *dum Amor inferiorum Amorem Dei non diminuat, aut deſtruat, dum iſta non propter ſe, ſed propter Deum amentur, amentur ſanè. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amet ò Deus*; an vero tu in eodem gradu habes cælum, & cænum. Paradiſum, & proſtibulum; Dagonem, ac Deum? falleris.

An res creata amanda.

Plato in Phedro: Cum modo. Ex Platone.

Auguſtinus.

Audi

Deus vnus cur?

Deuter.c.6.

Audi Iſrael, inquit Moyſes. *Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua. Vnus, inquit, Dominus Deus eſt*, non ſolum quia omnes in ſe perfectiones ità continet, vt nullam prætereat. Quam ob rem alius extra illum Deus eſſe nullus poteſt: ſed vnus etiam eſt Dominus, ne tu aliud præter ipſum amando, alterum cum ipſo tui Dominum, ac Deum conſtituas. Ipſe ergo vnus, tam eſt vehementi Amoris impetu diligendus, vt ſi qui circa alia procurrerent Amores, ac diuino ſe ſe obuiam darent Amori, eos omnes à ſuo curſu ceſſare, & retrocedere, tum omnino in fugam propellere, atque amandare valeret. Diligendus eſt ex tota anima, & ex tota mente, *quia nulla videlicet animæ noſtræ pars relinquenda, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re velit frui, ſed quidquid aliud diligendum ſuccurrerit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Hæc Auguſtinus, & veriſſimè, nam ſi qua pars animæ ab Amore Dei vacabit inanis quidem erit, ſi aliud nihil amauerit. Veruntamen quemadmodum natura ab inani ita abhorret, vt detrimenta ſuſtinere omnia malit, quam vt peſtem illam admittat. Ita amet ſemper voluntas, neceſſe eſt; ne otioſam vacuitatem patiatur. Ergo dum in eam animæ partem, quæ à diuino ſit amore feriata, aliquis fæculenti Amoris, ac turbidi riuus illabitur; ſtagnabunt illico aquæ iſtæ, & in paludem vertentur vliginoſam, vnde halitus peſtilens, atque odor teterrimus vicina omnia inficiens exhalabit, qui vires animæ ipſas debilitat, ac fæde corrumpit.

Dominus vnus cur?

Cur ex toto corde amandus.

Auguſt. de doctrina Chriſti l. 1. c. 22.

Voluntas ſemper aliquid amat.

Si noxia amet ſibi nocet.

Eſt ergo animæ rationalis Amor motus in finem, vel quieta ſtatio in fine, vltra quem nihil appetat, vel appetendum iudicet, voluntatis appetitu. *Vltra te ó Deus, vel ſupra te, qui quærit aliquid, tamquam melius te, nihil eſt quod quærit, quia nihil eſt melius, vel dulcius te. Ideo nihil efficitur recedendo à te; qui ſolus amandus es verè.* Sed tu, inquies, de Amore eò hactenus videris eſſe locutus, qui à rationali appetitu profluit; hunc vero Deo vni deberi quis abnuat? Alterum illum, qui ſenſitiui appetitus perturbatio eſt, qui ſe ſupra ſenſibilia, & corporea numquam extollit, ſinamus circa hæc verſari, eumque rebus, præter Deum, ceteris concedamus. hoc dapes opiparas, quales Heliogabalus, Archeſtratus, alijque; diuitias quales, vel Cræſus, vel Craſſus lubiſſe feruntur, amemus: hic conſulatus, Regna, Imperia amplexetur: hic quodcumque oculos, aures, guſtatum, odoratum, contactumque delectet, aucupetur. Ità quæ Dei ſunt Deo, quæ Cæſaris, Cæſari dabimus. Quid? quod cum extollere ſe, & euolare ſupra Lunam Amor iſte non poſſit, aut neſciat, iuſtas habere videtur cauſſas; ne circa ea, quæ Dei ſunt verſari cogatur. Mitto enim illud dicere, ipſius nempe animæ rationalis vires nimio videri pondere prægrauatas, dum ex tota anima, & ex tota mente, & ex tota fortitudine ad amandum

Qualis ſit amor animæ rationalis.
Bernard. de amore Dei c. 5.
Deus ſolus amãdus.

Amor ſenſitiuæ partis an creaturis dandus?

Videtur non poſſe dari Deo.

Imo neque ille rationalis.

Reſponſio ad obiectis.

dum Deum lege obligatur? Quam multa vno pœne ſpiritu contra nos congeſſiſti mi homo? ſed modeſtè tecum agam, & hæc, quæ pronunciaſti diſcendi potius auiditate à te pronunciata, quam libidine diſſentiendi exiſtimabo. Atque vt ab hoc vltimo exordiar.

Amandi Dei præceptum non eſſe difficile.

Ain tu difficillimum eſſe amandi Dei præceptum? Ego vero id etiam, atque etiam nego, & vim ipſius ita explico. Primum ea lege cauet Deus ita ſe amari oportere, vt nullam cordis tui, aut Amoris partem Diabolo præbeas. tum vt, rebus ceteris ita vtare, ne te à ſummo fine, & ſummo bono, qui Deus eſt, abripiant; eiuſque inter te, & ipſum amicitiam deſtruant, atque inimicitias inuehant. An tu hæc ardua, aut adinata exiſtimas? præſertim cum ad id præſtandum, te, quem amas Deus ipſe adiutet, vireſque ſi deficiant, oportune ipſe, copioſeque ſufficiat. cumque à te ea petat, quæ inter amicos obſeruari quotidiè diligentiſſimè videmus, quæ tu ab amico tuo à coniuge tua, ab ipſa illa, quam inhoneſtiſſimè deperis tibi vſquequaque deberi omni iure contendis? Hæc in Oreſte, & Pylade; in Niſo, & Eurialo; in Achille, & Patroclo, in Damone, & Pithia, & in alijs etiam paucis, & incepta cum laude, & obſeruata cum admiratione ſuſcipimus.

Eius explicatio.

Facilitas exemplis oſtenditur.

Senſitiuæ partis moderatio qualis

At appetitus in ea inclinat, quæ ſenſuum ſibi miniſterio apponuntur. Inclinet modo ne rationem tranſuerſum agat. Inclinet modo ne declinet; ne ebrius euadat, ne obruatur. Inclinet, ſed moderatè, ſed à nutu legis; cum à natura ipſa in corde hominis cuiuſuis inſitæ, tum à Deo O.M. rerum omnium conditore promulgatæ ne latum quidem vngem abſcedat. An vero erga hæc, quæ turpia cum ſint, ſi tamen pulchra eſſe videantur, ſi quando ſenſitiua pars defertur, poteſt ſuo illa impetu rationem abripere, atque à ſummis obiectis auocare, & in infima, vt ſic loquar, mancipare ſeruitia: Mens autem ipſa, quæ pars eſt hominis præcipua, ſi circa Dei Amores verſari eligat, ſenſitiuam illam famulam non ſecum attrahat, & neque ſibi faciat obſequentem? O abſurditatem viuendi incredibilem, ſed tamen frequentem.

Mos partis inferioris.

Eſt ergo frequenter vt voluntati Deum amanti appetitus, quamuis pertinax, & contumax, & recalcitrans obluctetur, & pedem in veſtigio figat; ſed inculcatis imperiorum calcaribus, & incuſſis acriter flagellis, & ſubducto commeatu obſecundabit, ac ſequetur, & primum quidem lentè, veluti qui claudicet: tum non illibenter recto gradu, poſtea etiam libenter, tum demum etiam cum gaudio exiliens, aduolans. Hoc ipſum illa ſignificant, quæ de ſe Dauid canebat. *Quam dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum.* Ecce obiectum Amoris in parte rationali ſummum. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* En vehementia amandi tanta, quæ animæ totius vires ad ſe trahat: *Cor meum, & caro mea*

Pſ. 93.

Exemplum Dauidis.

Eius verbis lux.

exultauerunt in Deum verum. Vide, vt ſentientis etiam animæ facultates ad ſe ſequendum excitet, ſcio à quibuſdam cordis nomine cogitationes; carnis vero linguam intelligi, ita vt Deum vehementer amans Dauid aſſerat, ſe præter Deum cogitare, aut loqui nihil. Sed ſunt qui hiſce nominibus partes animæ ſentientis accipiant, quæ animæ ſuperioris affectus libentiſſimè, & cum exultatione comitentur. Admirabilius illud eſt, quod de ſe idem cecinit Rex. *Deus meus ad te de luce vigilo, ſitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*. Quorum verborum ſignificatus ille eſſe videtur. Tam vehementer in te voluntas fertur mea, ò Deus, quam qui vehementiſſima ſiti fatigatus aquam auidiſſimè concupiſcit. Sed ardor ſenſitiui appetitus erga te mei multis feruorem animi partibus exuperat. Quæ hæc autem ſitis partis ſenſitiuæ eſt tam multiplex? tam vehemens? Quidam ad tabem, & deficientiam referunt; ſolent quippe corporis vires ſæpe deficere, cum anima per affectionum ſuarum vehementem impulſum illud inqualitatibus eius perturbat, atque permiſcet; vel vitales, neceſſarioſque ſpiritus, aut conſumit, aut abundantius ſubminiſtrat. Sed id non eſt ſitire, aut deſiderare, quod carni tribuitur in Pſalmo. Memini me de quibuſdam ſanctis viris legere, eorum animas tam vehementi in Deum impetu ferri ſolitas, vt corpus vel deficeret ſenſibus, vel obrueretur dulcedine, & exæſtuaret, atque ebullientis inſtar fontis exundaret, vt in Ephrem Syro, Franciſco Xauerio, Aegidio, aliiſque quam multis. Sed nunc de deſiderio ſentientis appetitus erga Deum quærimus; quomodo videlicet eſſe poſſit, & cum eſt quomodo multipliciter ſit, hoc eſt vehementius, quam ipſum mentis deſiderium, exardeat. Et eſto, ſenſitiua appetitio deſideret, nam, & Hebraica lectio, & Symmachi verſio pro eo, quod Septuaginta dixerunt, *quam multipliciter caro mea*. habent, *deſiderat, percupit caro mea*. in Deum autem caro ferri, & ipſum deſiderare quemadmodum queat? quæ circum ſola corpora, & corporea verſari continenter ſecundum ſuam naturam habet.

Pſ. 62. Alia eius verba elucidantur.

Aliquorū ſenſus.

Reiicitur.

Senſus in Deum ferri nequeunt.

Auguſt. ſoliloqui. c. 31.

Ad hæc præclare faciunt verba Sancti Auguſtini Deum quærentis. *Miſi*, inquit, *nuncios meos omnes ſenſus exteriores, vt quærerem te, & non inueni, quia malè quærebam. Video enim lux mea Deus, qui illuminaſti me, quia malè te per illos quærebam: quia tu es intus, & tamen ipſi vbi intraueris, neſcierunt, nam oculi dicunt, ſi coloratus non fuit per nos non intrauit. Aures dicunt, ſi ſonitum non fecit, per nos non tranſiuit. Naſus dicit, ſi non oluit, per me non venit. Guſtus dicit, ſi non ſapuit, per me non introiuit. Tactus etiam addit, ſi corporeus non eſt, nihil me de hac re interroges.*

Itaque quemadmodum, vt ſenſus noſtri Deum percipiant ipſis nequaquam conceſſum eſt: quod in Theologia docetur. ita ſenſui appetitiuo, vt illum, aut amet, aut cupiat, negatum eſt. Sed

tanta

tanta diuinæ bonitatis magnitudo, atque largitas eſt, vt cum ſpiritus, atque adeo, vt loqui ſolent Theologi, actus puriſſimus ſimpliciſſimuſque ſit, atque adeo ſolis ſpiritibus communicabilis, poſſit tamen, ac ſoleat ſenſus ipſos corporeos, facultateſque appetitus omnes, ſuauitatibus quibuſdam permulcere, atque ſatiare; vel ſpiritualibus, aut vt Philoſophi appellant, intentionalibus formis, vel etiam corporeis ſimulacris, atque phantaſmatis imbuere, atque exornare, vt ijs præſentibus exultent vehementer; & ex earum memoria cum præterierint, mirabiles concipiant deſideriorum faces, atque hæc eſt ſentientis animæ cum rationali in amando Deo conſociatio. Reſtat vt explicemus illud; *quam multipliciter tibi cara mea*. an ſcilicet ſenſitiuus appetitus in deſiderando Deo ſuperare valeat amantem, cupientemque voluntatem? Nego autem poſſe in inferiore animæ parte vehementiorem accendi affectionem erga Deum, quam in ſuperiore conflagret. Cum illa ab hac, tamquam effectus dimanet à cauſſa: effectus autem ſua cauſſa perfectior eſſe non poteſt. Dicetur tamen vehementius caro deſiderare quam ſpiritus, eo ſenſu, quoniam in appetitu vis amoris magis patet, ſeque per effectus quoſdam redundantes in corpus, & exterius apparentes manifeſtius explicat, & qua vultus, coloriſque mutationibus, qua venarum, arteriarumque frequentioribus impulſionibus, qua lacrimis, qua ſuſpirijs, qua cordolijs, & animi defectionibus ſe patenter commonſtrat. Voluntatis autem Amor quamuis vehementiſſimus exiſtat, ſecretus, & occultus ex ſe eſt, & niſi nuncijs, atque interpretibus ſenſuum facultatibus appareat, nullus ſentitur. In corporeis facultatibus, & inſtrumentis, ſi voluntas amet, quædam veluti macies, atque ægritudo, ac languor aſpicitur, in oculis fletus, in ore gemitus, de noctu vigiliæ, interdiu aut cantus, aut quærelæ: quæ quamquam omnia à voluntate imperata per ſenſus perficiuntur, appetitui tamen aſcribuntur, tamquam propriæ, & magis euidenti cauſſæ. Hinc illud, *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. Atque hæc ſatis de noſtro erga Deum Amore.

Modus quo ſenſitiua pars in Deũ rapitur.

Adque explicãtur verba Dauidis.

Quo ſenſu caro pluſquam anima fertur in Deum.

Animæ rationalis amor non apparet niſi in corpore. Et corporeis affectibus.

Cant. 2.

SECTIO IV.

AMOR TYRANNVS.

Hic cum immoderatus eſt, iras, odia, & alias excitat perturbationes; item Tyrannus, Carnifex eſt, & eius ex Plauto effecta: Amor inuidiæ inſtar. Amor mare eſt: Tempeſtas; Incendiarius; Incendium; lacrimas non curat. Amantes cur ad fletum: Amor ignis, non in ſiluis ſolum, ſed in Regijs. Exemplum ex Didone, ex Phædra, huius amores explicãtur vbertim:

Seneca illuſtratur: Amor mores mutat: ipſe vix mutatur, vix cælatur. Eius impuri aſſeclæ: Sinonis inſtar eſt ex Plauto. Ad Phedram reditus: Amantis mores: Plauti ſenſus aperitur: Troiani incendij cauſſa quæ: Amor homicida: Maronis prudentia in ſedibus amantium delineandis: eius dilucidatio: Amor quare durus: ex Madea exemplum.

De amore immoderato præſens eſt diſputatio.

DE Amore, cum immoderatus eſt, & homiuis animum ita vexat, vt eum cogat à recta ratione deflectere, in præſentia ſermo nobis eſt inſtituendus. Enim vero affectio animi nulla hac excogitari vehementior, impotentiorque poteſt, & ſi hæc dominetur in corde, nulla non illius imperijs ſubijciatur, vt à nobis explicatum late eſt. Quid eſt autem, quod Vatiniano quis odio quempiam perſequatur? quid eſt, quod irarum furoribus ita abripiatur animus quandoque, vt illum neque gladij intermicantes, neque conIecta eminus tela remorentur, quo minus in hoſtem ille ſuum irruat, periturus potius, ipſe ſciens, ac volens; quam peremptuirus? Certè niſi hi, in quos odij, atque iræ exercentur, ipſum, qui ſe nimium amat, aut alium, quem amat, aliqua ſpecie iniuriæ, aut contumeliæ læſiſſent, niſi inquam hi in Amorem eius peccaſſent, ille in tantas furias nequaquam abijſſet. Amor igitur illum in eas iras implicuit, atque odia beluina. Iam cui deſiderijs animus huc illuc diſtrahitur, & dilaceratur? qui nimium amauit. Quis voluptatibus ità ingurgitatur, vt in ebrietatem mentis incurrat? qui amauit. Quis in bello fugam turpem, in periculis timiditatem, in negotijs ſollicitudinem adhibuit? qui plus iuſto amauit. quem ſpes erexit, aut quem deſperatio depreſſit, niſi quem Amor perturbauit? Itaque Amor tyrannus animorum eſt; quem quidam finxit Poeta cum in cælo tyrannidem exerceret eiectum inde, in terris illam eandem exercere contre homines.

Amor in homine cæteras exſtat perturbationes. Iræ. Odij. Deſiderij. Libidinis. Timoris. Spei. Amor tyrannus animorum.

Tum etiam iuſto decreto eſt eiectus,
A Dijs ex concilio duodecim Amor ſuo merito
Illos enim conturbabat, excitabatque ſeditiones
Si quando vna cum illis eſſet; quapropter nimis audaci
Ac petulanti, ac ſuperbo alas præciderunt
Ne in cælum iterum volare poſſet;
Et damnatum exilio huc ad nos depulerunt
Ablatas vero pennas geſtandas victoriæ
Dederunt: præclara hoſtis ſpolia.

Hanc igitur tyrannidem ſæuam, ac truculentam carnificinam ſic deſcribit Plautus.

Carniſ. x.

Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum

Hanc

Hanc ego de me coniecturam domiſacio, ne foris quæram.
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus animi Apud Athen. l. 13.c.2.
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor, in amoris rota miſer,
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ità nullam mētē Eius effectu multiplicia ex Plauto
Animi habeo. vbi ſum, ibi non ſum, vbi non ſum, ibi eſt Animus
Ita mihi omnia ingenia ſunt, quod habeo nō habeo iā id continuo.
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit
Raptat, retinet, iactat largitur quod dat, non dat deludit.
Modo quod ſuaſit diſſuaſit, quod diſſuaſit id oſtentat,
Maritumis moribus meeum experitur ita meum frangit amantē
Animum: neque niſi quia miſer non eo peſſum mihi vlla abeſt
Perdito pernicies.

Vides ne vt Amor animi vires diſſoluat? quid autem diſſoluat, imò diſſipèt, interficiatque omnes? *Amor inuidia inſtar amantem crucia, ſed inuiſè.*

Aſpice, quam pingui macer eſt mihi taurus in eruo *Virg. ecl. 8.*
Idem amor exitium pecori eſt, pecoriſque magiſtro.

In inuidia aiunt illud boni latere, quod ſe habentem diuexet continenter, atque enecet: id ipſum Amor immoderatus præſtat; niſi quod Amor in hoc iniuſtiſſimus eſt, cum inuidia iuſte agere videatur. Iure enim merito hæc inuidum ſua tranquillitate ſpoliat, qui in aliorum quiete fortuniſque triſtatur. At qui alium amat, quid ei optat, niſi bona, niſi optima niſi felicitates: niſi ſceptra; niſi Regna? Quid igitur commeruere amantes, vt Amorem pro Carnifice, pro Tyranno experiantur? *Quanto amor deterior inuidia.* *Et crudeliter.*

Nunc ſcio quid ſit Amor, duris in cautibus illum *Virg. Eclog. 8.*
Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.

Amor fluctus ſemper decumanos in cor hominis impellit, donec inimicum imbrem intromittat, & obruat. Qui autem hi ſunt fluctus? deſideriorum impetus acerrimi, ſpei fallaciſſimæ certitudines. Audaciæ confidentiſſimæ. Somnia voluptatum ingentium ingentia; Timores quotidiani, iræ, odia ſimulationes continuæ. *Amor fluctus habet.* *Et quos.*

Continuo pro imbre Amor aduenit in cor meum *Plaut.*
Ipſuſque in pectus permanauit permadefecit
Cor meum. Nunc ſimul res, fides, fama, virtus
Decuſque deſeruerunt.

Nimirum quemadmodum in tempeſtatibus, marini quidem fluctus in nauim ingruunt, merces autem de naui præcipitantur: ita amans ea, quæ diximus intus recipit, rei vero familiaris, nominis, dignitatis iacturam facit. *Amor tempeſtas eſt.*

Amor incendiarius eſt, & animæ ſupellectilem vniuerſam Vulcano ſubmittit, atque in cinerem omnia redigit. *Amor incendiarius.*

Sum ne ego miſer? qui nunquam bene queo quieſcere. *Plaut.*
Si domi ſum, foris eſt animus, ſi foris ſum, animus domi eſt

Ita mihi in pectore, atque in corde Amor facit incendium
Ni oculos lacrimæ defendant, iam ardeat credo caput.

Lacrimæ amorē non extinguunt. Acutiſſimè ſatis Plautus, ſed an verè? vereor. lacrimæ ne ab Amoris incendio defendant? hui? an vt ſtillæ ferrariam fornacem, ita ille illum prorîtant?

Amor non talia curat.

Virg. ecloq. 10.
Nec larimis crudelis Amor, nec gramina riuis
Nec cythiſo ſaturantur Apes, nec fronde capellæ.

Amantes cur ad lacrimas proni? At Amori expulſo, aut moras habenti, nihil promptius lacrimis. quamobrem autem hoc? an vt ignis agitatus, ac propterea magis laceſſitus, magis incenditur, ita Amor dum foras excluditur, dum iubetur, vt expectet, magis exardeſcit. itaque natura lacrimis accurrit affuſis, quo animus refrigeretur ne prorſus incendatur? An compreſſum dolore cor propter repulſas, aut moras; dum Amores expellere indignabundum enititur; pro igne, quem non valet, aquas emittit: quemadmodum in ſtipitibu accidere videmus, qui in ignem coniecti, cum eum eijcere à ſe non poſſint lacrimas effundunt. An nouis vulneribus exulceratus animus lacrimas pro ſanguine emittit? Atque ideo familiares amantibus fletus, quia perpetuo vulnus alunt venis.

Amor ignis eſt. Quid ego enim verò incendiarium dixi Amorem? ille merus, & purus ignis eſt, & vehementiſſimus; omnes circumquaque angulos, cubilia, adyta animæ adurens, neque vllo vnquam temporis momento deſes. Audi Paſtorem illum Coridonem.

Virg. ecloq. 2.
Aſpice aratra iugo, referunt ſuſpenſa iuuenci
Et ſol creſcentes, decedens duplicat vmbras,
Me tamen vrit Amor, quid enim modus adſit Amori?

Rectè Coridon, & vltra Paſtorem ſapis. lepidum in hanc rem, illud eſt Portij Licinij apud Gellium Epigramma.

Cuſtodes ouium teneræque propaginis agnum
Gellius. *Quæritis ignem? ite huc. quæritis? ignis homo eſt.*
In ſiluis. *Si digito attigero incendam ſiluam ſimul omnem:*
Omne pecus flamma eſt, omnia quæ video.

At in tugurijs fortaſſe hic ignis, & intra ſiluas furit. falleris. in aulis, in regijs debacchatur.

Virg. Aeneid. 4.
At Regina graui iam dudum ſaucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

In aulis. Et in his vero pectoribus, quas non ſtrages Vulcanus hic non pede, ſed lumine captus? en illa altera pariter Regina.

Senec. in Hipp.
Sed maior alius incubat mæſta dolor
Non me quies nocturna, non altus ſopor
In Regijs animis. *Soluêre curis. Alitur, & creſcit malum*
Et ardet intus.

Putabat Phædra ſopore ſe poſſe flammas, ſi non ſuffocare, ſaltem

tem fallere, aut ſedare. ſed ea dormiente, vigilabant hæ; & incendijs omnia vaſta dabant, vt excuſſo tandem ſomno viſa ſibi ſit videre in ſe ipſa flammas furere.

Qualis ætneo vapor — Idem ibid.
Exundat antro. Palladis tela vacant, — Lumen Senecæ illatū paraphraſi.
Et inter ipſas penſa labuntur manus.

Haud multum eſt, neque tanti referr; ſi Regina lanam, & linum minimè facit, ſi colum non geſtat, neque lina extendit, aut fuſum torquet, neque verticillum inſerit, neque fila deducit, aur labellis morſicat, aut demum mileſia vellera carpit, & neque ſtamina perficit, & penſum ſuum adimplet. — Nendi ars, & inſtrumenta.

Non eſt magnum inflammati pectoris indicium in muliere regia, coronata, ſublimi, Heroina, ſi hæc detrectat. Muliercularum eſt panum, alabrum, textrinam telarium exercere ad lucernam, & de prima face ad primam lucem in textrino aduigilare ad familiam ſuſtentandam. — Amoris effectus in Phedra.

Cen fœmina primum — Virg. Aen. l. 8.
Cui tolerare colo vitam, tenuique Mineruа
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulaſque in lumina longo
Exercet penſo; caſtum vt ſeruare cubile
Coniugis, & poſſit paruos educere natos.

At ſacrorum templorumque iura neglecta eſſe videntur.

Non colere donis templa, votiuis libet; — Idem ibid.
Non inter aras Atthidum mixtam choris
Iactare tacitis conſcias ſacris faces,
Nec adire caſtis precibus, aut ritu pio
Adiudicare præſidem Terræ Deam.

Grauora ſanè ſunt illa vota nulla pro Mariti Regis ſalute concipere, nulla concepta ſoluere, templa non adire, ſolemnibus non intereſſe, non aris aduolui, non ſacris Mineruæ Athenarum principis aſſiſtere. Quorum ipſa Præſes ex officio erat. Maiora, inquam, hæc. Attamen cauſſas ſuæ vel abſentiæ, vel deſidiæ prætexet Regina negotijs implicata, vel mariti præſidio deſtituta, vel mœrore, aut deſiderio defecta, vel valetudine debilitata. Quid, quod ipſa ſe prodit, & cauſſas, quas alius fortaſsè excogitarit vanas, atque inanes facit.

Iuuat excitatas conſequi curſu feras — Idem ibid.
Et rigida molli gæſa iaculari manu.

Ita ne? à penetralibus ad ſolem, à tecto, ad diuum, ad apricum, ad æſtus, ad niues? à colo, aut ſi luber, à ſceptro, ad ſagittas, ad iacula, ad venabula, ad gæſa? Ita? à Regina, Venatrix, à ſedentaria, curſatrix, à timida, audax, à molli rigida. Quanta vaſtitas, & immutatio ab Amoris Tyrannide? iam iam, — Ex amore rerū mutatio.

nunc,

nunc, credo, ab aureis, argenteiſque vaſis ibitur ad figlina, & à gemmis, à margaritis. ab vnionibus, ad ſordidum puluerem; à molli culcitra ad trahas; à ſtragulatis, ad centones; à plumis ad paleas; à molliſſimis puluinaribus, ad aſſeres, ad ſaxa; à palatijs, ad tuguria, ad caſas, ad mapalia; à ſiligineo pane, ad furfuraceum; à ſaccharite, ad gregarium; à falernis, ad vappam, ad loram, ad poſcam; à thoris, ad ſcamnum tripes, ad ſtramen, ad herbam, ad ſolum.

At hæc, inquies, Regina per ſomnium quærit, &

Tibullus.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

Se ſe ipſam dum euigilat, accuſabit arguet, corriget. En

Quo tendis anima, quid furens ſaltus amas.

Amor difficile vincitur.

Amauit, id enim fatetur Regina, arſit, famam ſuam inſuper habuit, at pedem retulit; eripuit tandem ſe ſemiuſtulatam, & ignes excitatos compreſſit; ad ſanitatem, ad frugem ad ſe redijt; vno verbo. Sapuit. nugæ. alia omnia. adhuc torretur igne potentiſſimo.

Seneca ibid.

Hic volucer omni regnat in terra potens
Ipſumque flammis torret indomitis Iouem.

Difficile celatur

Sed cœlauit tamen, & oculis alienis ſubduxit Amores ſuos, arſit intus, in abditis atque penetralibus flagrauit, alſit foris. falſo.

Ouidius.

Quis enim celauerit ignem,
Lumine, qui ſemper proditur ille ſuo?

Amoris impari mores.

Amor vbi eſt abdit ſe primum; flet, ingemit, miſericordiam ſui poſtulat. vbi aditum impetrauit, & hoſpitio eſt exceptus adblanditur, gratificatur. at vbi in media ſe vrbe caſtrametatum animaduertit flammas repente ſuſcitat, & fraudum ſuarum incendijs omnia deuaſtat; externorum exercitus hoſtium aduocat, hoc eſt meretricularum, proſtibularum, proſedarum, alicariarum, ſcortorum, proſtitutarum luparum quæſtuariarum; lenonum, lænarum, paraſitorum, ſcurrarum, geneonum, pergræcatorum, decoctorum nepotum cantorum, cantatricum, & id genus ſexcentorum; tum domeſticorum etiam expergefacit turbam commilitonum, & combibonum, atque conuiuarum ſuorum. luxuriam, Profuſionem, ludum conuiuia, furta, rixas, periurium, faſtum, ſuperbiam, audaciam, impudentiam inuerecundiam, dolum, fraudem. non minus vere, ac periculosè, quam verus ille Sinon.

Sinonis Inſtarem.

Incluſos vtero Danaos, & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon.

Virg. Aeneid. 2.

Sinon, inquam, ille mitis, atque abiectus omnium ſe Troianorum veſtigijs ſupponens omnium lambens genua, & vitam precario petens. videlicet talis Amor eſt.

Conſulit, blandiloquentulus, harpago, mendax, cupies, auarus,
Ele-

Elegans deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor
Blandus, inops, celati indagator. Plautus trinũmo.

Sed Phædram reuiſamus, vt ignis huius effecta in ea contemplemur. Quam verò illa graficè coloribus ſuis delineauit Poeta?

Spes nulla tantum poſſe leniri malum Seneca ibid.
Finiſque flammis nullus inſanis erit; Amantis mores.
Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque
Quamuis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis, & lapſa genæ
Lucem recuſant. nil idem dubiæ placet.
Artuſque variè iactat incertus dolor;
Nunc vt ſoluto labitur moriens gradu,
Et vix labante ſuſtinet collo caput
Nunc ſe quieti reddit, & ſomni immemor
Noctem querelis ducit, attolli iubet
Iterumque poni corpus, & ſolui comas
Rurſuſque fingi. ſemper impatiens ſui
Mutatur habitus, &c.

Nimirum quocumque ſe amans obuertit animus; quocumque ſe mens ægra abdidit; ignis præſto eſt, & flammæ intus æſtuant; quod ſi ad Tanaim etiam fugias, vſque ſequetur Amor, tam vehemens, tam præpes, tam celer eſt,

Ita eſt Amor, balliſta vt iacitur, nihil, ſic celere eſt, atque volat Propertius. Plautus trinũmo.

Iam vero vt ad metas properem cum eodem Plauto perorabo. Violentia amoris celerrima.

Inſanum eſt, & malum in hoſpitium deuorti ad cupidinem.
Sed te moneo hoc etiam, atque etiam vt reputes, quid facere expetas, Amor fugiẽdus.
Si iſtuc, vt conare, facis incendium, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi aqua erit cupido, genus qui reſtinguas tuum.
Atqui ſi eris nactus, proinde vt corde ſunt Amantes cati
Ne ſcintillam quidem relinques, genus qui congliſcat tuum.

Prudenter dictum. Amans enim dum ſuo aquam incendio quæritat; de ſcortilli puteo haurire ſe illam poſſe putat, vnde ſe refrigeret, quam cum nactus fuerit; ſolent enim hac in re induſtrij eſſe Amantes, cetero ſtultiſſimi; tunc intelliget non frigidam, ſed meram ſe flammam ebibiſſe; adeo funditus ipſum, genuſque ſuum omne corrupturam, vt ad reparandam familiam ne ſcintilla quidem ſit ſuper futura. Plautus explicatus.

Exciſa ferro eſt Pergamos, incubuit ſibi, Troiani Incendij vis.
Et alta muri decora congeſti iacent, Seneca in Troade.
Tectis aduſtis, regiam flammæ ambiunt
Omniſque late fumat Aſſarici domus.
Deripitur ardens Troia.

Hæc,

Cauſſa quæ. Seneca Troad. Hæc, & plura his, de Regni Troiani excidio apud Senecam Hecuba. Quis verò tantæ ſtragis auctor? quæ tam miſerandæ haloſæos cauſſa? an Durateus? an Atrida? an Sinon? an græcus ignis? ità credo, nam Nerei tale vaticinium extat apud Venuſinum.

Horat. l. 1. od. 15.

Poſt certas hyemes vret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Non Helena. At hunc corrigit Alexandra Priami filia Vates nulli credita, ſed veridica.

Ouid. ep.

Graia iuuenca venit, quæ te patriamque, domumque
Perdat, io prohibe. Graia iuuenca venit.

Helena ſcilicet impudentiſſima ignes in Ilium inuexit. At *Non ignes Hecubæ ſomnia viſi.* Caſſandram filiam Hecuba ipſa non veridicam fuiſſe vatem, docet; quæ vera Vates ante Caſandram fuit.

Seneca ibid.

Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes,
Nocturnus in vos ſparſit, aut fallax Sinon,
Meus ignis iſte eſt, facibus ardetis meis.

Non iſti ignes ô Regina, quos tu ſomniaſti Troiam in cineres *Sed amor, & ignis Paridis.* redegere; niſi fortè tu illos in ſomnio præuiſos habuiſti, quibus ad aſpectum Helenæ correp tus Paris tuus eſt; quoſque in illud nobile, atque inclytum Ilium intulit, cum Helenam de Grecia in Priami regiam tranſuexit. Igitur Paridis Amor hoc Troiæ incendium excitauit.

Sed vt tyrannus Amor eſt, ſæpe eos, qui ei ſubiecti ſunt in cru- *Amor homicida.* deliſſimas cædes impulit: ſæpe liberum, ſæpe amicorum, ſæpe parentum, ſæpe eorumdemmet, quos amabant, ſæpiſſime in ſui met, qui amabant miſerabilem interitum coegit. Notiſſimi illi ſunt apud Tartarum à Poeta deſcripti, & latiſſimis diſtenti ſpatijs campi, qui *partem fuſi monſtrantur in omnem.*

Virg. Aeneid. 6.

Lugentes campi ſic illos nomine dicunt.
Hic quos durus Amor crudeli morte peredit.
Secreti cælant colles, & myrtea circum
Silua tegit: curæ non ipſa in morte relinquunt.

Quam multam in hæc loca turbam Amantium Amor compulit, compellit, compellet? ſed aduertenda interim Virgilij pru- *Virgilij prudentia, & explicatio.* dentia in hiſce ſedibus deſcribendis. eas vocat latas, lugentes, ſecretas, curarum plenas. Amorem vero ipſum appellat durum, & crudeli morte peredentem; lati campi ſunt, neque enim exiguo numero continentur, qui per incertum amorem eo demeant. numero par locus. Lugentes quoniam, vt dixi, *non lacrimis ſaturatur Amor.* ſecreti quia turpiſſimorum ſcelerum ſuſceptorum recordatione, turba illic habitans pudibunda ſeſe contegit. Curæ autem nec ipſa in morte ab amantibus recedere dicuntur, non quod etiam tum in amoribus priſtiniſ perſeuerent; nam Didonis id facto

to cognoſcitur, quæ alloquentem Aeneam olim amatum, *iamdudum auerſa tuetur*.

Nec magis incepto vultum ſermone mouetur, Virg. Aeneid. 6.
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes,
Tandem proripuit ſeſe, atque inimica refugit.

Sceleratæ enim actiones in Tartaro apud Virgilium caſtigantur, vt abijciantur ab animo, atque adeo, qui ipſis conſpurcati fuerint, eluantur. Curarum ergo nomine, non Amores intelligit vates; ſed Amorum ſupplicia, & pœnas, quæ cum in vita vehementiſſimæ fuiſſent: poſt illa ſub Tartarum conſecutæ ſunt demortuas, atque alijs ſuperadditis adauctæ. *Amantium cur ne in Tartaris ſq.*

Durum autem nominat Amorem, hoc eſt immitem, vt Nonius Marcellus explicat. quid enim immitius eo, qui adigat ad interitum, & vel inuitos longa tabe conſumat eos, qui ſe ei addixere? *Amor cur durus. Nonius.*

Sæuus Amor docuit natorum ſanguine matrem Virg. eclog.
Commaculare manus, crudelis tu quoque Mater.

Amor Medæam ſubegit, vt filios ſuos ex Iaſone ſuſceptos interimeret. crudelis verò mater eſt; ſed. Exemplo Medeæ

Crudelis mater magis, an puer improbus ille? Virg. eclog.
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Et Medæa quidem crudelis cenſetur, quæ & patrem, & patrium Regnum præ Amore Iaſonis contemptui, habuit, & fratrem membratim diſſectum per iter diſſeminauit; & liberis materna manu vitam, quam dederat, abſtulit: ita tamen crudelis, vt ſub crudeliore Tyranni magiſterio edocta videatur. ſed nos interim ad verum procedamus Amorem.

SECTIO V.

AMOR SI A RECTA RATIONE ABERRET AN AMOR VERVS SIT.

Negant Platonici: Id aſſerit Tyrius; Raynaudus confirmat: Arguuntur: Inſtant ex obiecto huius Amoris. exemplis, ſimilitudine: Vrgetur argumento, auctoritate: Satisfit ſimilitudini: diſcrimen inter Amorem, & ſcientiam: Amor improbus non minus Amor, quam probus. Diſcrimen in obiectis in moribus: Ex Auguſtino omnia illuſtrantur: Amor fluminis inſtar: Bernardus explicatur: item Areopagiia: Deus Amor verus, cetera idolum, & caſus Amoris.

SVperuacaneum eſt id in quæſtionem deducere, niſi negarent Platonici. Quemadmodum differit Maximus Tyrius, & eruditè oſtendit Theophilus Raynaudus petulantiam eſſe potius, quam Amorem. Amorem autẽ dici per abuſum, & æquiuocè. quẽ- *Negant Platonici Maximus Tyrius. Raynaudus.*

admodum loquuntur logici ſicut imago ad hominis ſimilitudinem coloribus ducta, hominis nomen ſortitur.

Argumentur.

Sed id perturbationis, quacumque tandem nominis appellatione deſignabitur, certe vere appetitus noſtri perturbatio eſt; ſi vero talis eſt; erit etiam verus Amor; nequaquam vmbratilis. Eſt enim proſecutio alicuius quod bonum, aut pulchrum eſſe videatur, etiam ſi nullum reapſe ſit.

Quia hic amor perturbatio eſt boni apparentis.

Inſtantia maior.

Hoc ipſum eſt, inquies, quod te volebam, atque in hunc te locum veluti in ſubſellis manebam. Nam ſi perturbatio iſta erga obiectum excitatur, Quod pulchrum, aut bonum non eſt, imo re vera fœdum, atque inhoneſtum; Amor autem circa bonum, & pulchrum verſatur, certè perturbatio iſta veri Amoris nomine non eſt decoranda. Niſi fortè Ixioni veros Amores tribueris, qui per ſummam petulantiam nubes pro Iunone eſt amplexatus: aut Paſiphaem dixeris veris captam Amoribus fuiſſe, cum in Tauro laboraret; aut illum alterum neſcio, quem, in marmorea Veneris ſtatua, aut Xerſem in Platano hærentem: Id ipſum Tyrius exemplo confirmauit. *Quemadmodum*, inquit, *faceremus, ſi duo nobis explorandi eſſent argentarij. alterum namque, qui legitimo numo præferret eum qui videretur tantum, procul à ſcientia abeſſe diceremus. alterum contra qui veritatem tangeret, peritum eſſe concederemus. Eodem modo ſciẽntiam amandi in ipſius pulchri natura, tanquam in numo quodam explorando verſari dicimus. Si enim pulchrum duplex eſt, quorum alterum videtur eſſe, nec eſt, alterum videtur, & eſt, neceſſe eſt eos, qui pulchrum illud audiunt, quod videtur nec eſt, ſpurios, & adulterinos Amatores eſſe: contra qui illud, quod videtur, & eſt, veros amatores, & eſſe, & verum pulchrum amare. Hæc Tyrius.*

Ex obiecto non verè pulchro.

Ixionis exemplũ.

Phaſiphaes.

Xerxis, & aliorũ. Item exemplo adducto ex Tyrio.

Reſponſio. Inſtando ex eo, quod ſit perturbatio Amoris.

Ex auctoritate. 2. Regum.

3. Regum.

Sed quo nam appellabitur nomine huiuſmodi perturbatio? quæ certè cum in parte verſetur concupiſcibili, ſitque rei proſecutio, vel complacentia in re, vel abſente, vel præſente; deſiderium, & delectatio eſſe non poteſt, quarum prior in ſola abſentia, poſterior in ſola præſentia concitatur. Verus igitur erit Amor. Quo nomine inhoneſtas Amonis filij Dauid appetitiones erga Thamar ſororem. Dauidis erga Berſabeam Vriæ vxorem: Salomonis erga mulieres alienigenas, & aliorum in alias ſacræ litteræ indigetarunt.

Tyrij exemplo ſatis fit.

Et Tyrius quidem fallitur, ſi pecuniæ explorandæ ſcientiam, & Amorem eadem velit trutina penſare; aut ſi amandi ſcientiam eamdem eſſe, atque Amorem putet, & comparatio quidem cum argentarijs inepta eſt. Argentarius enim numum ignorans, actum ſcientiæ elicit nullum, ſed prorſus errat; at Amator eius quod pulchrum videtur, neque eſt, quamquam intellectu erret, voluntate tamen, & appetitu verum proſecutionis actum, & inclinationis in illud, apparens pulchrum elicit; veroque illud, non falſo Amore proſequitur. In eo autem

diſcriminis ratio eſt, quod ſcientiæ obiectum ſolum ſit verum in ſe. Quamobrem ſcientiæ actus nunquam circa illud, quod verum non eſt, quantumuis eſſe videretur tale, verſabitur. At Amoris obiectum bonum eſt non quatenus in ſe, ſed vt ab intellectu cognoſcitur, ſeu vt ſe intellectui proſpiciendum præbuit, in ſuis enim operationibus voluntas ducentem ſequitur intellectum, veluti digito obiecta commoſtrantem. Hinc illa abhorrere ſæpe poteſt ab aliquo, quod cum bonum re vera ſit, tamen tamquam turpe quidpiam ab intellectu propoſitum fuit. quo euentu voluntas bonum illud vera deteſtatione abhominabitur. Eodem igitur pacto ſi quod forte turpe pro pulchro intellectus obiecerit voluntati, amabitur, illud quidem Amoris affectu, non ſecus ac ſi quod vere bonum eſt, amaretur.

Diſcrimen inter ſcientiam, & amorem.

Itaque Amorē hunc extra rectæ rationis fines euagantem, ſi vt quædam animæ actio eſt ipſam perturbans, atque in illud, quod ſolo cogitatui pulchrum apparet, impellens conſideretur, verum eſſe Amorem, non minus quam Amor ſit, qui intra honeſtæ rationis finis, circa verum bonum exercetur, exiſtimamus: cum hoc tamen, ex parte rerum amatarum, diſcrimine, quod in vna quidem, nulla vera pulchritudo amatur, contra in altera; atque hoc eſt primum Amorum horum duorum diſcrimen; ex parte ſcilicet obiecti, à quo & naſcitur alterum; nam obiectum illud, cum re vera infectum, maculatumque ſit, & veluti morboſum, illas etiam animæ operationes commaculat; quæ circa illud cum deceptione verſantur: redditque eas malas, inhoneſtas, inordinatas, inquinatas. Inquinatio autem hæc non Amorem immutat, ſed morem; non enim facit, ne Amor ſit, ſed ne honeſtus, non, vt qui amat, non verè amet; ſed non honeſtè amet.

Amor improbus non minus quam probus eſt, verè amor.

Diſcrimen in obiectis.

Et in ordine morali.

Eleganti ſanè ſimilitudine id ipſum Auguſtinus expreſſit. Monti animam comparans, de cuius iugo vberrimis in geminos diſpertitus fluuios fons profluat, quorum alter per pura, & munda loca decurrens purior electro campum petit amnis; & gemmantibus hinc inde riuis, liquidus, & ſuas dumtaxat vndas agens, circumiectos rigat campos; & irriguo irrorat violaria fonte. Alterum per fæda vallium concauarum, & per præcipitia ſaxorum, violenter, atque inquietè deuolutum excipit turbidus cæno, vaſtaque voragine gurges. Vtraque tamen aqua, vno ex fontis capite promanat. Ita Amoris fons ex anima progrediens binos in Amores diffinditur, vnus eſt, totus limpidus, terſus, argenteus, quietè ſe ipſum promouens, & herbeſcentes, amataſque ripas leni morſu adlambeas. Alter ſalebroſus, cænoſus, lutulento pede claudicans, ſaltuatim, ebrioſorum more, nunc ad ſaxum offendens, nunc in altam foſſam præcipitans, achæruntícus, virulentus.

D. Auguſtini exemplo res confirmatur.

Fontis limpidi, & puri.

Et fœdi, & turbidi.

Amor malus fluminis inſtar. varias nomina.

Fateor alijs hunc Amoris inſani profluentem nominibus nuncupari, nunc libidinis, modo luxuriæ, qua ſuperbiæ, qua auaritiæ: ſic ſolet in fluuijs etiam accidere; qui diuerſis perſæpe vocabulis pro locorum diuerſitate, quos præterlabuntur, ab incolis excipiuntur. Et appellatio quidem illa, luxuriæ, verbi gratia, non Amorem eſſe nullum denotat, ſed Amorem talem potius, circa tale obiectum verſantem cum turpi nota demonſtrat. Atque hic ſenſus eſt Sancti Bernardi, quem paulo ante laudauimus, negauimuſque cum ipſo Amorem eſſe dicendum illum omnem, qui erga Deum O. M. non effundatur. Mores ſcilicet reſpeximus, non naturam perturbationis. At Sanctus Dionyſius quem aduerſarij laudant Amorem hunc prauum, ſeù potius petulantiam hanc Amoris vocat Idolum, aut caſum, & à vero Amore prolapſionem. Igitur perturbatio iſta Amor non eſt, inquiunt. Sic Sanctus ille, & diuinus planè vir, & ſic eſto. Talia enim, atque his etiam peiora meretur nomina turbulenta inſani Amoris perturbatio, & reuera furioſi. Sed Dionyſij non eum eſſe ſenſum exiſtimo, quem iſti volunt, vt Amoris nomine operationem voluntatis intelligat, ſed rem ipſam creatam, quæ amatur, accipit. Ait itaque Amorem verum Deum eſſe, in quo omne pulchrum, & bonum tanquam in fonte ſunt, ceteras autem creaturas, quæ diuiſim aliquam pulchritudinis particulam ab eo participant, ſuntque exiguæ quædam Dei ſimilitudines, Idola, potius Amoris veri eſſe, & prolapſiones, ſeu caſus Amoris illius ſummi à quo veluti guttatim defluxerunt. Quæ Dionyſij ſententia non impedit quo minus Amoris inordinati perturbatio veri Amoris nomenclaturam ex ſui natura retineat, ſed nunc de Amoris conditionibus agamus.

D. Bernardus explicatur.

D. Dionyſij elegans dictum eleganter explanatur.

Deus amor verus

Creaturæ ſunt Idola, & caſus amoris.

SECTIO VI.

AMOR COECVS, ET IDEM OCVLATVS.

Amor cæcus dupliciter, quia non videtur, & quia non videt: Huius cauſſæ duæ reijciuntur: Vera afferuntur: Euæ exemplum: Alia in Amore cæcitas poſt eum natum: Capillitium muliebre: Eius inſtrumenta: frons, genæ, pigmenta: Cæco amanti Apoſtrophe: Hieremiæ locus mulieri comtæ aptatus: Mores Amorum illices: Amor oculatus: In Didone Claſſis apparatus deſcribitur: cur oculatus: quia timet. Amans, & Theſauri repertor pares: qui eorum timidior, & amantior? Vis pulchritudinis: Amantium metus quantus: Pulchræ, amari, & videri amant. De Danae Ero, Cerere.

Amor duplici modo cæcus. Leo Hebr. qu. 2. amat.

AMorem cæcum, quis non legit? ſæpè enim occultus, & ab alijs non viſus vrit. Sic cæco, apud Poetam, illa carpitur igni.

igni. Sed nobis de eo quaſi non videatur, eſt in præſentia differendum. Cuius cauſſa à quibuſdam ea eſſe fertur, quod cum Amor in multa, ac vehementi ſpirituum motione conſiſtat, ſinceritatem iudicij, & mentis lucem obnubilet. Alij, quia præceps eſt Amor, & celerrimè inuolat in bonum oblatum. inde eſt, quod hominis intellectum obcæcat, dum ei nullum relinquit ſpatium temporis, vt in quo obiecta deficiant diligenter aduertat.

De ſecundo Agendum. Raymundus d. 3. qu. 2 art. 1. nu. 1. cauſſa prima. Secunda.

Sed aut errare hi, aut cauſſam minus aptè explicare videntur. Amor enim ante intellectum, & iudicium nullus eſt; ſed ſequitur: igitur non ille intellectum, ſed intellectus ipſum obcœcat. Fateor, poſt quam excitatus Amor eſt; quia vehemens eſſe ſolet, etiam ſi recétem ortum habeat, intelligentiam, & conſilium ſuperat, atq; perturbat: tum quæ fœda inſunt in re amata, ea vt aut obtegantur, aut excuſentur, aut minora quam ſint, exiſtimentur, adigit. Veruntamen ante quam prodiret in lucem, quis intellectum, ne omnino rectè omnia metiretur, atque dijudicaret, impediuit?

Reijciuntur. Senſus noſter.

Eſt aliquando vt qui decipere quempiam in animo habet, aliud, pro alio proponat ementiendo, vt ſcilicet obaudiens intellectus turpe pro pulchro, malumue pro bono accipiat. Quod ſerpens olim cum Eua verſutiſſimè fecit. cui poſt multas de pomo diſſertationes cœcutienti, viſum eſt, *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile*. Hoc præſtare ſolent, qui res ſuas venditant, vt fraudem emptoribus ſtruant. Aliquando intellectus ipſe in ſola pulchritudinis imagine occupatur eius rei, quæ proponitur; ceterum quadam detinetur aliarum conditionum inconſiderantia, quarum ſi in conſiderationem, aut notitiam penetraret voluntatem certè ab amando retraheret. Itaque voluntas intelligentiæ non omnia, quæ in re propoſita ſunt contemplantis, quin potius in aliqua delectabili eius parte commorantis, eique tanquam, aut honeſtæ, aut vtili, aut iucundæ aſſentientis, attracta, atque illecta vi, diligere incipit id quod fortaſſe minimè eſſet diligendum. Id ipſum accidiſſe quidam aiunt Lucifero, cum primum ſe ſuperbiæ, aut ſpiritualis cuiuſdam concupiſcentiæ ſcelere commaculauit.

Quid impedit intellectum à Vero cauſſa explicatur 1. Eua exemplo. Geneſis c. 3. Cauſſa 2. Inconſiderantia.

Non nunquam intellectus omnia quidem præcipit, atque animo ſecum ante contemplatur, ſiue bona, ſiue mala, in re propoſita, ſed aliqua eorum præſtantiora iudicat, aut iucundiora, vel vtiliora, atque omnino amplexabilia; ita non ſolum pro bonis, ſed pro melioribus etiam habenda, & voluntatem ad horum amorem impellit. His omnibus modis Amor cœcus dicitur, tanquam cæcitatem paſſus, ſed ab intellectu cæco, aut cæcutiente.

Cauſſa tertia non recta æſtimatio.

Eſt alterum in Amore cæcitatis genus, in quam Amor poſt quam natus eſt incurrit, cum videlicet, quidquid in re amata videt, id omne ſibi tanquam pulcrum, ac laudabile arrideat, &

Genus cæcitatis in amore iã nato.

vi-

Ex voluntate id captiua.

vitrum ſæpe pro margarito, lapillum pro gemma, paleam pro auro habeat. Id ea ratione contingit, quia voluntas in captiuitate, ac vinculis iam libens, amanſque degit. ergo omnia, quæ dominæ ſunt, pulchra apparent; neque ipſi ſoli, ſed intellectui, qui voluntatis imperio non infrequenter obſequitur, Hinc Amores etiam vſque ad inſaniam erga turpiſſimas, odioſiſſimaſque. quibus formæ, aut ſalis ne mica quidem, deformitas autem, atque inſulſitas plurima. Quid de capite, aut capillo, vt ab his exordiar refero? quos illæ de vtroque non ludos faciunt? Et illud ſane merum glabretum, & caluitium eſt; hic vero emptitius, adulterinus, sycambræ alicuius demortuæ exuuium flueſcens, & olim dum vixit in eo florente luxuriantis caliendrum. Hic muliercularum noſtratium capitulis aſſutus partim in faſtigia turrium erigitur à fronte, aut in lunaris formam Hemicycli bicornis arcuatur. partim in cincinnorum fluctus contorquetur à temporibus; totus ferro candente vibratus, nitidus, aureis ramentis interfuſus, odoramentis vnguinibuſque delibutus.

De mulierum capillitio aſſutitio.

Inſtrumenta ad ornandum caput.

Quid ego inſtrumenta ad capillos ornandos excogitata dinumerem? calamiſtros comæ in gradus frangendæ; aciculas firmandæ; crinalia, diſcriminandæ: forficiculas adæquandæ; pectines explicandæ; ſpongias extergendæ. Quid vaſa pigmentis, oliuis, vnguinibus excipiendis: vrceolos aureos, argenteos, amulas gemmeas, criſtallinas, vitreas, caliculos, gutturnia, lecythos, chriſendeta. Quid velamenta, teriſtra, faſcias, mitellas, reticula, floſculos?

De fronte.

Age ad frontem, ipſa quidem rugarum ſulcis, porciſque ita variegatur, vt nouale credas ad excipiendam ſementem præparatum: neque enim fimus, & ſtercora deſunt, quæ atuum impinguent, interim foſſæ implentur, valles complanantur in æquora. Infra frontem, ſilua ciliorum etiam in glabellis ſuccreſcens, pilis proceris, directis, ſpicula, aut antemnas eſſe dicas, palpebras calliblepharum deuiolat, oculos fuligo denigrat, tum genæ emarcidæ quidem ſuapte ſponte, & cadentes; ſed vi, violentiaque ſurrectæ, ceruſſatæ pſimythio, purpuriſſo rubricatæ, mentum volſellis, aut candenti nuce deglabratum, dentes dentifricio medicati. Halitus cynnamomis ſuſtentatus, facies ita vnguentis roſaceis, maſſis ordeaceis, eruo, lupino, ceruino puluere, narciſo, argento viuo, ſublimato venenatur, oblinitur, incruſtatur, vt ſi per æſtus incaleſcat, neſcias an ſudor natiuus, defluat, aut aſcitium illud pigmentum in riuulos diſſolutum, tanquam de ſummo iugo niues per æſtatem ſolent, deuoluatur. Hos tu ò miſer, ò cæce, ò infelix Amator, vultus miraris? has tu laruas adoras? his incruſtaturis inhias? O Amorem luminibus captum? O animas ergaſtularias. Hieremias illuſtris ille Dei O.M. vates, cum litteras

De genis.

De pigmentis.

Apoſtrophe ad amantem cæcum.

ad

ad ciues ſuos, Babilone captiuus, mitteret, moniturus, ne Idola gentium pro Deo haberent; Hoc eſt vſus argumento. *Coronas certè aureas, habent ſuper capita ſua Dij illorum, operiuntur veſte purpurea, ſceptrum ſicut iudices regionis, manu gerunt, gladium, & ſecurim; ſe autem à bello, & latronibus non liberant, ſed ſunt lapidei, lignei, vnde vobis notum ſit, quod non ſunt Dij*. Hoc ipſum de mulierculis iſtis dictum ſcitote. Non ſunt formoſæ. forma enim ipſa ſibi ornamentum maximum eſt, non eget externis, quæ ſi moribus conſociabitur honeſtis, mirum quantum pulchritudinis in ſeſe ipſa adaugebit. Quin imò in Amoribus alliciendis mores ego formæ, non hanc moribus præfero. Ouidius pro hac parte ſtat.

Hieremia dictũ de Dijs.

Aptatur ad mulieres.

Mores formæ potiores ad amorem alliciendum.

Ouid de medicamine faciei.

Prima ſit in vobis morum tutela, puellæ
Ingenio facilè conciliante placent.
Certus Amor morum eſt. formam populabitur ætas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos ſpeculum vidiſſe pigebit,
Et veniet rugis altera cauſſa dolor.
Sufficit, & longum probitas perdurat in æuum,
Perque ſuos annos, hinc bene pendet Amor

Veruntamen vt cæcus Amor eſt, ad indolem, & mores aciem nullam intendit, ad fucos, & fallacias abit, & in his moratur, præclare Lucretius.

Sed amor cæcus ad fucos pronus.

Nam hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci
Et tribuunt ea, quæ non ſunt his, commoda verè,
Multimodis igitur prauas, turpeſque videmus
Eſſe in delicijs, ſummoque in honore vigere.

Lucretius l. 6.

Et alia, quæ ſequuntur, multa, & elegantia in hanc rem. Sed videlicet Amor oculatus etiam eſt imò Lynceus, & Argus.

Amor oculatus.

At Regina dolos, quis fallere poſſit Amantem?
Perſenſit, motuſque excepit prima futuros.

Aeneid. 4.

Cæca, quis abnuet? Dido erat nempe enim amabat, neque quid ſe Reginam deceret, videre poterat; tamen dum in ſuarum ædium penetralibus ſecretior hæret: prima omnium in cogitationes occultiſſimas Aenææ fugã meditantis penetrauit; prima ſenſit claſſem in portu aptari, inſtaurari remigium, & tranſtra, & foros, & malos, & antemnas, & gubernacula ſterni: prima gubernaculis anſas inſeri, antemnis acatia colligari, malis rudentes appendi, atque in charcheſia immitti. Spiras anchoris inferri, commeatum inuehi in nauigia: nautas, ſocios, duces cogi ad littus: quid facto opus, edoceri, celeritatem abeundi, ſecretum ſuper omnia iuberi. Vnde hæc tanta perſpicacitas Amori? credo, quia *omnia tuta timet, & res ſolliciti eſt plena timoris Amor*. Timor autem, vt ſuſpicionum plenus, omnia proſpicit, vnde vetus adagium *Timidior proſpiciente*. Amans ſimilis ei eſt, qui in Theſaurum incidit,

Exemplum in Didone.

Apparatus nauigiorum.

Amor vnde oculatur.

Quia timidus.

Ovid. ep. 1.

Zenobius cẽtur. 3. n. 32.

Amans ſimilis Theſaurum inuenienti.
Plautus Aulul.

dit, is pecunia adinuenta quantis ſimul ſe timoribus induit? quem non vt furem metuit? à quo non tanquam ab inſidiatore cauet?

Oculos ego, hercle, iſtos improba effodiam tibi
Ne me obſeruare poſſis, quid rerum geram.
Abſcede etiam nunc, etiam nunc, etiam, ohe, nunc.

Hæc, & his ſimilia vetulæ illi ſuæ ancillæ Euclio ſenex theſauri inuentor comminabatur. Et ipſe quidem morbi ſui cauſſam fatetur,

Plautus ibid.
Vterque inter.

Nunc ibo vt viſam: ſit ne ita aurum, vt condidi
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.

Ipſa porro anus miſerta ſui heri ſic loquitur.

Neſcio, pol, quæ illum hominem intemperiæ tenent.
Peruigilat noctes totas, tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.

An minore ſollicitudinum tempeſtate agitatur, qui puellam amat? vterque in theſauro allaborat, excubat, aduigilat, vterque, ei timet, ei fraudes defendit, & cauet. hoc in vtroque diſcriminis interuenit; aurum, aurum eſt: pulchritudo ſæpe inanis, ſimulata, mutabilis. Vter autem amat ardentius? credo qui puellam. pulchritudo enim efficaciſſima eſt, & potentiſſimum amuletum Amoris. Ergo omnium ad ſe oculos trahit, animoſque aſpectantium allicit.

Quis ardentius amat.
Pulchritudinis vis.

Eringium (herba eſt) ſi qua de grege capella in os arripuit, aiunt vniuerſum ad ſe caprarum gregem ilico attracturam. Tales formoſitas habet efficacitates, omnibus placet, in omnium oculis, & pectoribus hæret, omnes ad ſe euocat, & quærenti, cur pulchritudo omnibus placeret, cæci hominis quæſtionem eſſe dixit Ariſtoteles.

Similitudo ex Plutarcho.
L. Principibus viris eſſe philoſophandum.
Diogen. in Ariſt.

Hæc igitur, cum ita ſint, quales, & quanti, Deus immortalis, Amantem, metus obruunt in ſingula momenta? quales ille non oculos aperit ad cuſtodiam? dum non ab aliorum inſidijs modo ſibi cauendum proſpicit, ſed ab ipſius, quam deperit, fraudibus, ac dolis. Nam quæ pulchræ ſunt, aut eſſe ſe putant, videri, conſiderari, amari appetunt à multis, quia dignas eſſe ſe æſtimant; & cum ſe poſt clatra in feneſtris abdunt; & cum per oſtiola ſemi adapertis foribus furtim proſpectant; & cum terga vertunt; & cum ſe palliolo obducunt; amant etiamnum videri; & ante quam ſe oculis alienis ſubducant, paſcunt eos, & reficiunt, miſertæ fortè ne ieiunio oculi depereant.

Amantium metus quantus.
Formoſorum cupido.
videri.
Amari.

Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Virg. eclog.

Hi ſunt amantium aculei, quorum ictibus perpetui vigiles, excubitoreſque efficiuntur.

Iuuenalis.

Filius autem
Corporis egregij miſeros, trepidoſque parentes

Sem-

Semper habet, rara eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Ergo Acriſius Argiuum Rex de Danae filia formoſiſſimi aſpectus puella ſollicitus, currim ædificari iubet aheneam, ferreis vectibus, rapagulis, cloſtris munitam, ſolis habitatam puellis, viris interdictam, & appoſitis ad oſtium moloſſis acribus, leuiſomnis, acris, triſaucibus inacceſſibilem, inaſpectabilem eo loci filiam, ſeu formam, pudoremque filiæ ſeruat, & ſeruatum putat. *Danaes exēplum.*

Inclusam Danaen turris ahenea
Robuſtaque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris. *Horatius.*

Sed vigilantiam patris, & ſæuorum excubias canum, & munimenta turrium expugnauit Aurum. Aurum? mentior. ipſa hæc omnia puella perrupit, ipſa foribus feras, & vectes, & impedimenta ſubmouit, & amanti ſe præbuit; auro ne, an Amore potius victa?

Sic Herum Seſtiam turritis in ædibus diligentiſſimus incluſerat pater. ſed illa arſit in Leandro, vt Leander in illa ergo dum ad hanc ille noctu nando mare ibat. Lucernam de feneſtella exponebat amorum teſtem, & amantis cynoſuram. *Herus exēplum.*

Tu vero ſi quando illac tranſibis
Quære mihi quandam turrim, vbi quondam Seſtias Hero
Stabat lucernam habens, & dux erat Leandro. *Muſæus.*

Sic ſuper Proſerpina Ceres ſollicita, doloribus concitata, mentem ægram flagellabatur, vt Poeta Nonnus loquitur; & in Siciliam auolabat, & filiam occultatam draconibus cuſtodiendam commendabat; ſed rapitur illa curru, *nec repetita ſuam curat Proſerpina matrem*. Cœcus itaque cum ſit Amor, idem oculatus eſt, atque ingenioſus. *Nonnus in Dionyſ.* *Cereris exēplum.* *Claud. de rapt.* *Virg. Georg. 1.*

SECTIO VII.

AMOR ELEGANTIARVM STVDIOSVS.

Amor elegantiæ magiſter, amantes diſcipuli. Liber ſpeculum. Cauſſa. Amor apis. Ornamentorum excogitatio, accuſatio maximè in adoleſcentibus, Quorum coma, collaria, chirotecæ adoratæ. Calui damnantur. In ſenibus barba, vultus, dentes, maximè in ruſticis. Cyclopis ſe ornantis deſcriptio. Aqua ſpeculum ruſticorum. Multa in hoc ex auctoribus, Specula cur inuenta. Ex Seneca. Socratis ſpeculum. Speculi primus vſus, eius imperium. In mundo muliebri habet primas. Quis eius inuentor. Polydorus accuſatus. Quando inuen-

uentum ex Moyſe. Eius æuum. Polidori error. Cicero elucidatus. Specillum quid? Varroni lux. Plinius reprehenſus. De labro æneo Moyſis opiniones exploſæ. Plinij locus explicatus, & cum altero Seneca collatus. Dalecampius reiectus. Plinius illuſtratus. Noſtra de labro Moſaico opinio. Inuentor mundi muliebris Damon, qui & ſpeculi. Quid mundus hic Tertulliano? Qui accuſatus. Amoris, & elegantiarum vituperatio. Ornamenta pulchris ſuperflua, & pudicis ex Plauto,

Plato in Phædro
Philoſtratus in ſophiſtis.
Plautus in menechmis.
Amor elegantiarum magiſter.
Cauſſa.
Amor vt apis.

PLato ruſticitatis auerruncatorem Amorem, & apud Philoſtratum Oenomarcus ſophiſta, Patrem venuſtatis, Plautus amatores, elegantiæ ſtudioſos, nominauit, nec illepidè. Elegantis magiſtri elegantes eſſe diſcipuli ſolent. Speculum liber eſt; elegantiæque conſultus. Cauſſa in promptu. Amor ſemper eſſe mutuus amat. is, & ſuauiſſimus, & perdurabilis; itaque qui amat, amari docet, & qui amatur, amare, vt redametur, condiſcit. Amari enim nunquam non optamus. cum itaquæ hec, ita ſe habeat; & Amor non niſi circa pulchra, ceu circa flores apis, verſetur; ſequitur, vt, & qui amant, & qui amantur venuſtates, elegantiaſque ſectentur. Siquidem & viris, & fœminis inuicem placendi ingenita eſt naturæ pronitate, voluntas.

Hinc ornatus inuenti.
Dei ſermo adornatus.
Cyprianus.
Tertullianus de habitu virgin.

Hinc Amantes non vt formam ſolum naturalem moderatiore cura proueherent, exarſere; quam vel adhibita frigida exordidarent, vel admoto pectine comerent, vel admiſſo forfice pampinarent; itum eſt ad noua, exoleta, inuſitata, inaudita, excogitanda, quibus aſcititiæ pulchritudines cogantur in capillum, in frontem, in aures, in oculos, in genas, in totam faciem, in corpus totum; vt verendum ſit, ne iratus quandoque Deus ita homines hos alloquatur. Ecquis nam tandem tuus fictor, ò vir, ò mulier, ò puella, ò adoleſcens, ò quicumpue, aut quæcumque tandem es? Non tu à me hoc es pacto depictus; ſed in imaginem meam, ac ſimilitudinem puris te, & natiuis coloribus ductum in vitam expoſui. Qui igitur factum eſt, vt pro præclara imagine in laruam tranſieris? Venuſtatem, quam tu putas, deformitas eſt, & flagitium, & tui, meique ludibrium. Legendus in hanc Cyprianus, & Tertullianus.

Viri etiam muliebriter ſe adornant.
Tertul. de habitu mulierum.

Neque quiſquam miretur viros me in hoc elegantium albo aſcripſiſſe: non enim in mulieres ſolum ornandi ſe, penetrauit inſania, vt ait Tertullianus, ſed & in viros ipſos pertranſijt. Mundus non iam muliebris ſolum, dicendus eſt, ſed & virilis: quamquam huiuſmodi, qui ſe muliebriter exornant non tam viri dicendi ſunt, quam à viris deſciſcentes in muliebrem ſexum, ſemiuiri, euirati, emaſculati, effœminati.

Virg. 9.

O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta

Dindi-

Dindima, vbi aſſuetis biforem dat tibia cantum. &
Vobis picta chrocho, & fulgenti murice veſtis;
Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choreis,
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Et vt de nobiliore ſexu primum agamus. Adinuenere adoleſcentes Amore perculſi, quo, non dicam, ſuam tegerent deformitatem, hoc enim, ſi mediocriter fiat, ferendum fortaſsè ſit. Sed quo formam aſcititijs elegantijs augerentne, an diminuerent, ac deformarent?Cæſaries enutritur annoſa, ad humeros promiſſa. Sed eſto; virorum ſit iſta, & eum ſexum ætate etiamnum virenti floreſcentem deceat. quid illud capillamentum vnguentis oblitum? quid ceſpes ille capillaceus ad frontem? leuigatus, contortilis, oleo, balſamino, liliaceo, roſaceo, ad ebrietatem ſaturatus? Quid cincinnuli illi ad aures, vndulati;quorum fimbriæ tanquam capreoli infra auriculas criſpantur? Mitto veſtimentorum varias quotidie formas, circa collum collaria linea; nunc lactucarum inſtar foliacea luxuriatim, nunc canaliculatã anguſtiatim, nunc ecuminatim radiata, nunc ſtrictim ſtriata, modo plana, modo reticulata, modo pinnata, non colore contenta natiuo, hoc eſt candido, ſed fucato, violata cyaneo, croceo murhino. Iam dactilothecarum varietates quis enumeret? quædam è ſerico anguſtiſſimis plagulis, quædam è tenuiſſimo lanæ, aut goſſipij filo contexuntur. Sed pleræque omnes huiuſmodi manum thecæ, quas chirotecas etiam latini indigetarunt, & manicas alij appellant, ſcorteæ eſſe ſolent, quas adoratiſſimis vnguentorum generibus ex muſcho, zibetto, ambaro illinunt, Tibi, ſcilicet, Amor delitioſiſſimè tibi capreæ mexicanenſibus, aut tumbaſchinis campis odoratam nardum, & olentem coſtum, aliaſque pretioſiſſimas herbas depaſtæ moſchum adlaborant. tibi ſudant zibeti, tibi fontes ambrarum ſcaturiunt. An calceos ſileam? quos ita arctos hodie, atque anguſtos pedibus inſuunt, vt anguſtiari, & excruciari digitos oporteat, & ergaſtularium fieri pedem. infra calcaneum Xenopodolio ſuffulciuntur, vt pes eleuetur, fibulantur ſericis vittis in grandem roſam defoliatis; ſed videlicet adoleſcentiam Amor fortaſsè, & elegantiæ non dedeceant.

adoleſcentium coma compta accuſatur.

Collaria deſcripta.

Chirothecæ.

Cicer. Verr. 6. Varro de re ruſt. l. 1. c. 48. Plin. l. 23. c. 2. Mattiol in Dioſcoridem l. 4. c.

Calcei.

Elegantias conuenire adoleſcentiæ.

Quid quod in viris, atque adeo in grandæuis, & annorum iam maturis, imo in caſcis, & vietis, vbi Amor in has brumales ſtatuas penetrauit, & ſuos igniculos inuexit, elegantiarum, & lubentiarum floſculi enaſcuntur. Barbam acrius, profundiuſque cædentes ad imum vſque ſtramentum deſecant, imò interuellunt: canitium obfuſcant, ſi quem pilum reliquum faciunt ſingunt, diſponunt, docent. vultum ſpongijs, pumice, ſetis, panniculis deſtrigilant; puluuſculis ſubtiliſſimis deleuigant. Dentes qua mobiles

Grandæui etiam ornantur.

Barba. Nullo relicto.

Vultus. Dentes.

les firmant, qua rubiginoſos emaculant, qua putridos medicant, qua cauos infarciunt, deficientibus ſubſtituunt ementitos. ita ridiculum quid in illis accidit; vt cum ſe ad menſam parant, exuant quos ſibi dentes aſciuerant adulterinos, & vt edere poſſint, edentuli fiunt.

Nobiles vtcumq; excuſantur.

Ruſticos amantes accuſamus.

Veruntamen nobilitatem etiam vrbanitas, atque elegantia multum, etiam in ſenecta non dedecet, & vt hanc Amor non doceret indoles à nacalibus, aut ab educatione, aut à conſuetudine ſuſcepta excuſat. Ruſticetur ergo oratio noſtra, & in ruribus Amorem obuerſantem inter paſtoritias turbas, ac rudes obſeruet quas artes edoceat. En ille in tugurium Coridonis, acceptus, qualem eum oratorem facit.

Virg. eclog. Corydon ſpeculū conſulit.

Non ſum adeo informis, nuper me in littore vidi
Cum placidum ventis ſtaret mare, non ego Daphnim
Iudice te metuam, ſi nunquam fallit imago.

Cyclops pilos igni caſtigat.

Et Cyclops ille, quis credat, hirſutus, deformis, inhumanus, atque inhoſpitalis, vbi puerum Amorem hoſpitio, credo, neſciens, excepit, ſtatim humanior factus deformitatem ſuam opibus excuſare contendit, & prominentes pilorum truncos vel igne corrigere ſe poſſe pollicetur, vt Galateæ placeat.

Theocritus.

Si vero ego videor tibi eſſe hirſutus,
Sunt mihi quercna ligna, & ſub cinere ignis inextinctus.

Naſo de eodem Cyclope ſic loquentem facit Galateam.

Ouid. met. 13.

Quid ſit Amor ſentit, noſtrique cupidine captus
Vritur, oblitus pecorum, antrorumque ſuorum
Iamque tibi formæ, iamque eſt tibi cura placendi
Iam rigidos pectis raſtro Polipheme capillos
Iam licet hirſutam tibi falce recidere barbam
Et ſpectare feros in aqua, & componere vultus
Cædis Amor, feritaſque, ſitiſque immenſa cruoris.
Ceſſant, & tutæ veniuntque, abeuntque carinæ.

Et ſe comit.

Cyclopis ſe comētis deſcriptio.

Quam vero iucundum fuiſſet videre monſtrum illud informe, atque ingens, quadridente raſtello caput depexens, non minus Aetna, quam incolebat ſiluoſum, & capillorum proceritate inhorreſcens, & ridere hominis portentum coloſſæum, Cyclopem, inquam illum in eruncando barbitio deſudantem, cuius pili ſtirijs de colle cerebri per narium cauernas defluitantibus, & in defluxu concreſcentibus ſpinoſum herinaceum à mento pendentem præferebant. quam ſuaue inſpectare Poliphemum arboreo illo ſuo depoſito ad ſolum bacillo, & de ſpatioſi tauri corio lenuncula, arboris ad truncum ſuſpenſa ſedentem in ſaxo ad aquariam cotem, runcas, & falculas ſtudioſè acuentem, & harum nouacularum acumen ſub inde in barbis ipſis periclitantem, & Satiriſcos pro

Coſmetis adhibentem. Quid vero ille poſt tonſoream hanc operam? ad ſpeculum, hoc eſt, ad lacum, aut ad littus *cum placidum ventis ſtaret mare*, conſulendum accedit.

Certe ego me noui, liquidaque in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitque mihi mea forma videnti. — Ouid. Metamor.

Iſta ne, recens forma te delectat, ô Cyclops? iſtud tibi deſpinatum arridet nemus, ô nouelle Narciſſe, à quibus hactenus abhorruiſti, quæ ne vnquam quidem in alio libentibus oculis aduertiſti? En monticolæ iſti tui, arborei ſocij prolixis à mento palearijs hirſuta pectora inumbrant, & pilos ſetis confundunt; capita vero truncis conſita in cœlum protendentes olympum iterum arietare velle videntur, & ora per ſe natiuis horroribus aſpera, caliginoſa ad officinam Vulcani deuigrata fuligine geſtantes pulchelli puſiunculi tibi olim placebant arridebant. Tu vero quid hoc filum, habitumque corporis deſpicis? tu paulo ante ex illis vnus, aut eorum gregis ductor hircoſus fueras; quid tibi nunc in capitulo deraſo, in mento glabrato, imberbis adoleſcentulus, tantum plaudis? quis te has elegantias edocuit Magiſtellus? Amor ſanè, qui muſicam etiam ineruditiſſimos docet; de trunco cœpit hominem deformare.

Cyclopum deſcriptio. *Amor elegantias docet.* *Amor muſicam docet Plutarch.*

Ceterum quod politiores facti ruſticani aquam pro ſpeculo vſurpent, non Virgilius ſolum, aut Ouidius, ſed omnes etiam alij poetæ cecinerunt. & ex Theocrito id mutuati eſſe videntur, qui lepidiſſimè hæc de Polyphemo ipſo decantabat. — *Aqua ruſticis pro ſpeculo.*

Neque enim deformis ſum, vt de me dicunt. — Idill. Cycl. 6.
Certe nuper in mare inſpexi; erat autem tranquillum
Et pulchra quidem mihi barba, pulchra vero hæc vna pupula.
Vt à me iudicabatur, videbatur.

Quale fuiſſe olim putas, inquit Seneca, *ad hoc ſpeculum*, (vndam ſcilicet) *ſe comentium? Aetas illa ſimplicior, & fortuitis contenta non dum in vitrum beneficium torquebat; nec inuentum natura in libidinem luxumque vertebat.* — Seneca.

Exiſtimat eo loco Seneca ſpeculum ad hoc, vel à natura datum, vel ab arte excogitatum vt primum impune Solem fulgentem, aut eiuſdem Ecclypſim commode intuerentur, deinde vt homo ipſe ſe noſceret; *Multa*, inquit *ex hoc conſecuta primum ſui notitia, deinde & apud quoſdam conſilium formoſus, vt vitaret infamiam, deformis, vt ſciret, redimendum eſſe virtutibus quid quid corpori deeſſet. Iuuenis vt flore ætatis admoneretur illud eſſe tempus diſcendi, & fortia audendi; ſenex vt indecora canis, deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit nos met ipſos videndi.* Et hac quidem oratione Seneca Socratem ſapit. is enim philoſophus ſuos auditores vt ſpeculum adirent hortari identidem ſolebat.

Speculi primus vſus ex Seneca. Quaſt. natural. *Et hic varius ad mores componendos.* *Socratis ſpeculũ.*

Verum ſi de ſpeculi inuentione agatur; Eam in ſententiam mens incli- — *Specula cur inuenta.*

inclinat propter elegantias, quas Amor edocet, excogitatum fuiſſe. Quis neget in mundo muliebri primum locum à ſpeculo occupari. Et quemadmodum in mundo hoc magno ſupernum cœlum eſſe aiunt à quo orbes ceteri inferiores mouentur omnes non motu ſuo naturali ab occidente ſole ad ortum, ſed raptu quodam, & innaturali motione ab oriente Sole in occaſum. Ita in mundo muliebri contingit. ad ſpeculi enim imperium torquentur omnes humani corporis artus, finguntur, componuntur. eius nutu aduocantur vndique, diſponunturque certis modis, ac legibus, pretioſiſſima quæque metalla, gemmæ, & quidquid vel tellus ad ornatum, vel mare ad cultum, vel ars ad elegantiam, vel natura ad curioſitatem peperere. Quemadmodum in trophæis erigẽdis olim truncus armis eorum, qui bello victi occubuerant veſtiebatur; ad imas partes, ocreæ, in medio lorica ſtatuebatur. *Et biſſexthoracea petitum perfoſſumque locis, Clypeumque ex aere ſiniſtræ ſubligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum, telaque trunca viri*. In ſublimi vero verticè, Galeæ aptantur, *& rorantes ſanguine criſtæ*, ita in mundo muliebri cetera omnia infra ſpeculum ſunt, hoc eminet; hoc præcellit hic Sol eſt mundi huius. *Mundus muliebris*, inquit Vlpianus, *quo mulier mundior fit: continentur eo, ſpecula, Matulæ, vnguenta, vaſa vnguentaria, lauatio, riſcus*.

Mundus muliebris vt mundus naturalis.

Eiuſdem Imperium.

Aen. 9.

In mundo muliebri ſpeculum primas hab...

Vlpianus l. 25 §. mundus ff. de auro, argento.

A quo autem inuenta ſpecula? hoc vt breuiter agitetur à materia incipiendum eſt, vnde conficiantur. apud Polydorum ita legitur, *ſpeculum argenteum auctore Plinio Praxiteles primus fecit Magni Pompeij ætate: inuenta ſunt item ſpecula ex ferro, plumbo, chryſtallo, vitro miſtiſque materijs, in quibus effigiem noſtram contemplamur. ab Aeſculapio primo Apollinis filio auctor Marcus Tullius*. Hæc Polydorus nimis breuiter, ne dicam etiam confuſè. Nam æs, & ſtannum prætermittit; ex quibus vel ſeorſim, vel permiſtis fieri olim ſpecula diſcimus apud Plinium, & alios, niſi forte ferrum, & plumbum pro ſtanno, etiam & ære acceperit. Apud occidentales Indos in inſula quadam, ſpecula fuiſſe in vſu ex terſiſſimo lapide refert Petrus Martyr, præ quibus vitrea noſtra contemptui habuere. Præterea cuiuſque materiæ in ſpeculum aptatæ tempora non recenſet Polydorus. Quæ etſi noſtrum non ſit percenſere. paucis tamen obiter.

Materia ſpeculorum.

Polyd. Virg. de inuent. l. 2. c. 21.

Argentum, ferrũ, plumbum, vitrum chryſmetallum. Plin.

Polydorus accuſatur.

Cicero lib. de natura Deorum 3.

Aes, ſtannum. Plin. l. 33. c. 9.

Lapis apud Indos Petrus Martyr.

Quod ad aerea attinet, antiquiſſimum habeo teſtimonium in ſacris litteris. Moyſes enim Hæbreorum ductor extruxiſſe legitur labrum æneum cum baſi ſua, *de ſpeculis mulierum*; Quo ex teſtimonio, vt primum de antiquitate conſtet, aio Moyſen Homero, qui Græcorum ſcriptorum antiquiſſimus eſt, vetuſtiorem eſſe annis plus minus quingentis, vt ex multorum cronologijs conſtat. itaque vetuſtiſſimus eſt vſus ſpeculorum ex aere. Nam neque in hoc Moyſis facto prima ſpeculorum inſtitutio refertur. fortaſsè autem Hæbreæ illæ mulieres, quæ ex Aegypto profugerant; ab Aegyptiis

Antiquitas aerei ſpeculi. Exod. 38.

Moyſes Homero vet. ſuor.

Tatianus in orat. l. 2. bibliot.

tijs ſpeculorum fabricam addidicerant.

Polydorus erroris arguitur.

Quid ſit ſpecillū.

Plinius l.7 c.55.
Celſus 5. de ſiſt. c. 7.
Varro l.5 de lingua lat.

Quod de Aeſculapio, & ſpeculo ait Polydorus falſum omnino eſt; Ciceronis quem ipſe ſui erroris teſtem adducit verba ſunt: *Aeſculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inueniſſe, primuſque vulnus dicitur obligauiſſe*. nomine autem ſpecilli non ſpeculum de quo loquimur, ſed inſtrumentum Cicero intelligit, medicum, quod perungendis oculis, & curandis, aut ſpeculandis vulneribus adhibetur. de quo Plinius, & Celſus. Eſt mentio ſpecilli apud Varronem. his verbis. *Hinc quo oculos inungimus, quibus ſpecimus, ſpecillum*; quem locum falſo etiam aliqui accipiunt pro inſtrumento vitreo, quod oculis admouemus, vt facilius ſpectemus. Senſus Varronis eſt inſtrumentum medicum, quo oculos iniungimus, ideo ſpecillum dici, quia oculis inſeruit, quibus ſpecimus. Quod de argentei ſpeculi primo inuentore dixit Plinius, à Polydoro memoratus, à vero videtur abeſſe, nam antiquius eſſe, quam ſit Pompeius inferius oſtendam.

Varro explicatur de ſpeculo.

Plinius arguitur

De ſpeculo argenteo.
Labrum æneum Moyſis de ſpeculis mulierum.
Aliorum ſenſus reijciuntur.
Primus.

De æneo labro ex ſpeculis mulierum à Moyſe fabricato, ſunt, qui ita rem intelligant. labrum ſcilicet ita terſum, ac politum fuiſſe, vt pro ſpeculo eſſe mulieribus poſſet. quod vt fruſtra ſit dictum, vetuſtatem tamen ſpeculorum æneorum peruetuſtam oſtendit. Sed ſenſus hic reſpuendus, nam cum labrum iſtud ſacerdotum vſui ſeruire debuiſſet, ad quem locum mulieribus acceſſus, aut difficilis, aut interclusus, interdictuſque fuiſſet. Sacerdotibus potius pro ſpeculo, quam fœminis eſſe potuiſſet, præterea modus loquendi contra hos eſt; & materiam labri indicare videtur, non operis elegantiam. Alij labrum ex aere quidem fuiſſe; ſpecula vero pependiſſe ex eo alligata. At hoc vulgatæ, & græcæ ſcripturæ diſſonat. Alij inſerta fuiſſe labro ſpecula circum circa tamquam gemmas, adornatum labri, & vſum ſacerdotum. qualia fuere pocula, quorum Plinius meminit his verbis. *Quin etiam pocula figurantur expulſis intus crebris, ceu ſpeculis, vt vel vno intuente populus totidem imaginum fiat*, quem Plinij locum eodem ſenſu accipiendum aiunt quidam, cum illo Senecæ. *Specula totis paria corporibus auro, argentoque celata ſunt, deinde gemmis adornata, & poculis*. Sed longè ſanè diuerſus eſt. Etenim apud Senecam pocula in ſpeculis, ſeu ſpeculorum marginibus inſeruntur apud Plinium, ſpecula in poculis, quare pocula illa parua quidem erant ad grandium ſpeculorum ornatum: hæc autem ſpecula erant poculorum grandium emblemata. Sed quem ſignificatum dabit in Plinio vocabulum illud *expulſis intus*? nullum, vt credunt quidam; quamobrem emendant, *exculptis intus*. Quid vero ſignificat exculpere intus in poculis ſpecula? primum puto maledictum exculpere ſpecula. Deinde ſi intra pocula exculpantur, imaginem reddere nequeunt, & fruſtra ſunt, at ſi immiſſa dicas, ita tamen vt extra videri poſſint; certe

Alter.

Plinius de poculis quibuſdam declaratur.
Videtur etiam quibuſdam ſentire idem. ac Seneca Sed falsò.

Plinij ſenſus à quibuſdam nō collimatus.
Varia quorundā lectio Plinij reiecta.

certe cum vnus quiſpiam ſe inſpiceret in vno ; nequaquam populus apparuiſſet imaginum, vt ait Plinius, male ergo immutatur verbum à Plinio appoſitum. cuius ſenſus eſt ; vt ſpecula ex interiori parte expulſa prominerent globoſa, aut ouata, & quodammodo extuberarent in poculis. ita fieri non poterat, vt ſe quiſpiam in vno ſpeculo contueretur, quin in alijs vicinioribus imago exciperetur: atque adeo populus imaginum in ſpeculis ex vno vultu reſultantium conflaretur. Et ita quidem de Plinij poculis. at de labro Moſaico exiſtimo ſpecula pro materia inſeruiſſe, atque ita ſimul cum reliquo aere fuſa, atque confuſa in vas, & labrum tranſiſſe quod magis litteræ conſonat.

Plinij ſenſus verus.

De labro Moyſis Senſus noſter.

Iam ad mundum muliebrem redeo cuius auctores fuiſſe malos Dæmones, ait Tertullianus, ante Catachyſmum mundi, quamobrem cum inſtrumentum illud muliebris gloriæ fœminis peculiariter ſpiritus illi nequam, *& lumina capillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia artantur, & medicamenta ex fuco quibus lanæ colorantur, & illum ipſum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur, contulerint. miror ſi non & ſpecula addiderint, ſine quibus mundi muliebris vſus percommodus eſſe non poſſit.* Exiſtimo igitur ante mundi naufragium ſpecula in vſum fœminarum præluxiſſe.

Inuentores mūdi muliebris Damones ex Tertulliā. De ornatu mul.

Et ſpeculorum.

De ſpeculorum antiquitate ſententia noſtra.

De mundo autem muliebri Tertullianus ſic habet: *habitus fœminæ duplicem ſpeciem circumfert cultum, & ornatum; Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocamus. Ornatum quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & gemmis, & veſtibus deputatur. Iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, Alteri proſtitutionis.* Ad morem virtutis, & legis Chriſtianæ loquitur Tertullianus. Nam ſi ad normam iuris mundum reuocemus. Ornamenta, veſtes, monialia, anuli à mundo ſeparantur.

Qualis ſit muliebris mundus. Ex Tertulliano.

Qui ex vſu ſit.

Itaque dum elegantias Amor docet, proſtitutionem docet, & de puellis meretriculas, de pudicis facit impudicas, ſi non ſexu, at voluntate; certè quidem vultu, & nutu; de ſecretis cubiculis ginecæa, & fornices conſtituit. An ne hoc ego loco de pueris, adoleſcentuliſque quibuſdam taceo? delicatulis, cincinnatulis, calamiſtratis, vnguentatis, purpuriſſantibus ſeſe in triuijs diuenditantibus, quos per elegantias ſuas elegantiſſimus Amor ludibrium, atque opprobrium humani generis adornauit. Non eget fucis pulchritudo ò puellæ ò pueri, ſatis pulcher, ſatis pulchra eſt qui pudicus, quæ pudica eſt. Et ne in tali argumento fruſtrà laborem in quo plurimi operam ſuam nauiter poſuerunt cum Tertulliano, cum Gregorio Nazianzeno, cum Cypriano. Claudam tractationem hanc dialogo allato lænæ, & meretriculæ Philocomaſij quas Plautus loquentes inducit, vt vel ex his diſcatur quid vero pudicis agendum ſit.

Contra adoleſcentulos ornatulos.

Tertullianus. Gregorius Nazianzenus Cyprianus.

Phi-

Philocom. *Cedo mihi ſpeculum, & cum ornamentis arculam actutum, Scapha,* Plautus Mortellaria.

Ornata vt ſim, quum huc veniet Philolaches voluptas mea.

Scapha. *Mulier, quæ ſe, ſuamque ætatem ſpernit ſpeculo ei vſus eſt.*

Quid opus eſt ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculo ſpeculum es maximũ.

Phil. *Suo quidque loco, vide capillum ſatis compoſitum eſt commode?*

Scap. *Vbi tu commoda es, capillum commodum eſſe credito.*

Ph. *Cedo ceruſſam.* Scap. *Quid ceruſſa opus eſt.*
Phi. *nam qui malas oblinam?*

Sc. *Vna opera ebur atramento candefacere poſtules.*

Ph. *Tum tu igitur cedo purpuriſſum.* Sc. *Non do. Scita es tu quidem.*

Noua pictura interpolare vis opus lepidiſſimum. Plautus ibid.

Non iſtane ætatem oportet pigmentum vllum attingere.

Neque ceruſſam, neque melinum, neque vllam etiam offuciam.

Cape igitur ſpeculum.

Linteum cape, atque abſterge tibi manus. Phil. *Quid iſta obſecro.*

Sc. *Vt ſpeculum tenuiſti metuo ne oleat argentum manus.*

Ne vſquam argentum te accepiſſe ſuſpicetur Philolaches.

Ph. *Etiam ne vnguentis vnguendum cenſes?* Sc. *Minimè feceris.* Ph. *Quapropter?* Sc. *Quia ecaſtor mulier rectè olet vbi nihil olet.* Adagium elegãs.

Diſce lector ab his, qui debeant in puellis honeſtiſſimis mores enitère. diſce etiam de antiquitate ſpeculorum argenteorum, quorum vſus multo ante Praxitelem Pompeij, contra quam exiſtimauit Plinius. Fortaſſe autem argentum hoc Plauti non ipſum erat ſpeculum, ſed ornamentum ſpeculo circumadditum. *Antiquitas ſpeculorum contra Plinium.*

SECTIO VIII.

AMOR SAPIENS, ET INSANVS.

Amor omnis inſanus, & ſapiens: Etiam qui ſanctus: Id Martyribus aſtruitur; Hi graphicè picti: In his Agatha, mei, Eccleſiæ meæ, & Catanæ præſes: Cuius agon vberi colore ductus: Amoris ſapientia in Martyribus: Heremicolarum inſana vita: Pauli adoleſcentia, ſeceſſus, rerum contemptus, conſtantia, ſapientia ex Sacro codice probata: Obiectio diluitur: Via ad felicitatem delitioſis ardua: Meſſallæ obliuio: Amans rerum felicitatis immemor: Alia obiectio: Egeſtas,

& paupertas philoſophiæ non obſtat. Exemplis, & auctoritate firmatur: Voluntariè pauper non eget, quin abundat: Amor rerum etiam recens insanit: Poculum Amoris, & Cyrces comparatur, Proſopopeia Amantis, & ingeniosè inſanientis ex Poeta Marino: Amoris adulti inſania maior: Is in anu deteritur: quæ deſcribitur: maxima inſania in pallacis Amore: Hic ſeruitus, ſæuitia, ſumptus, infamia, preces intimæ excluſiones: eiuſdem ingenium in aditu, captando. ingreſſu impetrando, voluntate expugnanda, exemplo bellico expreſſum.

Amor omnis ſiue bonus, ſiue malus eſt ſapiens ſimul, & inſanus.

NOn diſtribuo, aut diuido Amorem, vt ſcilicet vnus ſapientiæ laude, bene, alter inſaniæ infamia, malè audiat. De omni Amore cum bono, atque honeſto, tum improbo, atque inceſto ſentiendum. Aio eum, & ſapientia ſimul, & inſania pollere. niſi quod honeſtus laudabiliter ſapit, & laudabilius inſanit: inhoneſtus in vtroque damnabiliter.

Honeſtus tamen laudabiliter. Cōtra inhoneſtus. Boni amoris inſania.

Horatius. In florida ætate martyrium ſubeuntium ſana inſania.

Iam Amor erga diuinum numen hoc eſt circa verum, & verè pulchrum, circa obiectum vere amabile quanta gliſcit inſania? verum ſapientiſſima, ac prudentiſſima: & vt aiebat ille, amabili inſania. Conuerte quæſo te oculos in exercitus adoleſcentum, adoleſcentularumque innumerabiles; quibus pro teſtimonio veritatis, & fidei voluptuoſum fuit immaniſſimis ſeſe cruciatuum generibus voluntariè, atque alacriter obijcere; vſque eo donec florentiſſimæ vernantem vitæ florem deperderent. An non hi tibi ſapienter inſanire videbuntur? num tu hos inſanè ſapientes negaueris? Ille ſaxorum ſuper ſe grandinantium turbine arietatus, omnem tamen eam tempeſtatem deridens; in delitijs ſuis, oculos in cœlum ſubleuans, ſecurus demoratur, cum Deo confidentiſſimè affatur, & pro hoſtibus ſuis verè inſanientibus ſapiens patronus exorat. Illum ferreis ſuperiniectum cratibus, ſuppoſiti torrent, aſſantque ignes; quos de diſtillante guttatim aruina ſemiextinctos exuſcitant follibus, aut vncinis ſollicitant tartarei carnifices; ſed enim adoleſcentem egregium nauci omnia flocciquе habentem, deque ſuo nidore, & ſagina vires capientem, demiratur ſtupore correptus admirabili Tyrannus, nec minore inſania corripitur Diocletianus, quam ſuperat fortitudine Laurentius. Alius in membrorum dilacerationibus exultat, hunc excarnificantes vngulæ, & ſanguis de ſulcis irriguus, & de exenterato vtero viſcera fluitantia delectant. Hic ridet auulſos ex ore dentes, ille in eruto lumine iucundatur, illum exectas manus, & in ſolo digitos micantes iuuat aſpectare

S. Stephani conſtantia.

S. Laurentij fortis inſania.

Tyranni peſſima inſania.

Martyrum diuerſorum cruciatus.

re gaudentem. AGATHÆ pro purpuriſſo genarum alapæ ſunt; prunæ cum teſtulis roſæ ſunt. Eadem in ſectura mamillarum Amazon; in fœdiſſimo poſtribularum cœtu, ac cæno ſol: in tenebricoſis cuſtodię vinculis, libera Philoſophatrix. In morte dum manus expandit bellatrix, dum ſtans vitam profundit Imperatrix eſt.

S. Agatha robur[illegible]. Eius [illegible] Alapa, prunæ ſectio mamillarum. pu[e]llarum impudicarum dolo. Cuſtodia.

Quid vero hic cataſtas, & equuleos recenſeam? & candentium eius ad latera laminarum cruciatus; qui exuſtis externis in intima pœnè viſcera penetrarunt? quam illa conſtans, quam omnia præſentiſſimo ferebat animo, quam ſecura, & ſui potens vniuerſa Tyranni machinamenta deſpicatui habebat? Mammas [illegible]tegerrimo Virginis pectore dum diuellere parat Tyrann[illegible] in eam corporis partem ſurere veſaniter, quæ à natura omnium parente idcirco fœminis conceſſa eſt, vt puellis quidem pro naturali ornatu, & Amoris eſſet conciliatione; matribus vero, vt pietatis in filios exercendæ fontem haberent alendo, & cum lacte ipſo lactentium in animum filiorum pietatis obſeruantiæque ſemina erga fœmineum omne genus infunderent. Ille vero naturæ oblitus, & omnis expers humanitatis; voce infracta, atque immani, vincula, & forcipes parari iubet. Expectare omnes, quo poſt præteritos cruciatus ſeſe furor vlterius immitteret, quamque tenerrimi corpuſculi partem immaniſſimus leo diſcerpendam eligeret. Virgo nouos hoſtis impetus exceptura perſtare. Tyrannus deſpoliari pectus, & mamillas nudari, tum vtramque, quam arctiſſimè fidiculis colligatam præcipit contorqueri; deinde alteram ex contortis forcipe detruncatam ſua ab radice diuelli. Stupere vniuerſi ad tam inſanum ſæuitiæ genus, & lacrymas oculis, gemitus imo pectore effundere. At virgo interrita cum palmas ad palum alligatas in cœlum extollere non poſſet, oculis eo ſublatis numen illinc in ſubſidium deuocabat. flagrabant lumina, & emicantibus lacrimulis obducta oculorum acies gratias, & leporem augebant, ardebant natiuo pudore genæ. Torquebantur interea mammillæ, & in turbinis modum circumuolutæ, de lilijs purpuraſcebant in roſas, tum in ſanguinem concreſcebant. Silet illa, & dolori ſecura obdormiſcit; ac prius quam mammis exſpolietur vir eſt. exundat toto corpore de plaga largiter ſanguis profuſus: hiat immani pectus vulnere, iacet ad puellæ pedes deſecta mamma, pars corporis purcherrima. Quid vero Agatha? aut quid demum agere potuit? aut tu à tenerrima puella tantis cruciatibus circumuenta, quid expectes? cum ſe in ſuo ſanguine Virgo natantem videret, & accepti vulneris doloribus exquiſitiſſimis diuexari ſentiret, cum ciues ſuos circum ſe complorantes, mulieres, ac puellas eiulatibus omnia complentes aſpiceret? Quid vero niſi, & ipſa fleret cum flentibus, & niſi Agatha Agatham, ſaltem ſeſe vt puel-

Cataſta, Equulei. Ipſa ſui potens. Mãmarum vſus. Haiubentur carnifices excruciare. Excruciatus deſcriptio. Agatha in tormentis ſecuritas virilis.

Iam innocuam dignam omni commiſeratione miſeraretur? Stetit tamen immota cum torqueretur, conſtans cum diſſecaretur, hilaris cum ſanguis exundaret, & tanquam in alieno corpore lanienam illam tranquilla contemplaretur, Quintianum in hunc modum affatatur. *Crudelis, ac dire Tyranne non es confuſus amputare in fœmina, quod ipſe in matre ſuxiſti*. O vocem ab inuictiſſimo, conſtantiſſimoque pectore productam. O liberrimam orationem. O telum omni telo penetrabilius. Non corruiſſe eo ictu Tyrannum? non animam eo percuſſum fulmine exhalaſſe? non pudefactum illico abſceſſiſſe de medio foro, ac populo? non in tenebras ſeſe ſuperatum abdidiſſe? Viciſti Virgo, & Tyrannicos furores, omnemque mortis apparatum, & tartareum exercitum vniuerſum cum ſuo duce vna voce, ac verbo contriuiſti. Debellaſti, & victoriæ tuæ trophæum profligatis hoſtibus in tuo corpore erexiſti. Triumphaſti, & Quintianum omni dominatu quo in totam prouinciam, quoue in Patriam tuam Catanam crudeliter graſſabatur, expoliato, ipſum quidem aquis primo ſubmerſum, tum ignibus æternis addictum in Tartara detruſiſti; patriam vero tuam, ac Siciliam vniuerſam in tuo patrocinio, ac tutela ſuſcepiſti. Sed me in Agathæ ſapientiſſima inſania pluſculis verbis deſcribenda meus occupauit Amor. Redeo ad Martyres.

Eius oratio ad Quintianum. — *Eius victoria.* — *Trophæum.* — *Patrocinium Catanæ eius Patriæ & totius Siciliæ.*

Ad ſummam Martyr hoc eſt omnis fortiter Deum Amans inſanus mundo fuit, ſibi vero, & Deo ſapientiſſimus, & cum vulgo iactetur Amare, & ſapere vix Deo concedi. In Martyribus, & Amor, & ſapientia, & inſania mirabilem in modum conuenerunt. Et Martyres quidem, vt dixi, inſaniæ nomine apud ſolos fidei Deique hoſtes laborarunt, cum apud prudentiſſimos viros, & veræ religionis conſectatores fuerint in numero ſapientiſſimorum virorum collocati. Quid enim ſapientius excogitari vnquam poſſit, quam in teſtimonium comprobationemque veritatis vitam deſpicere confidenter, & ſempiternæ gloriam fœlicitatis tam leui pretio commercari; quod ipſum, niſi feciſſent vitæ vſura breui interuallo defraudati cum perpetua nominis infamia, & animi cruciatu periſſent. Quid illi Hæremicolæ in antris, in ſiluis, in ſolitudinibus, inter agreſtes, indomitaſque belluas æuum degentes? quod conſilium ac vitæ propoſitum; tam ab humana ſocietate alienum ne illi quidem ipſi, qui eiuſdem cum illis diſciplinæ præcepta ſectantur, cum conſilio, ac ratione ſuſceptum eſſe putauerunt. Prudenter ne amaſſe Deum videbitur Hilarius, Macarius, Honufrius, Antonius, & alij ſexcenti, quibus pro ædibus, terræ foramina: pro dapibus, herbarum, aut folia, aut radiculæ: pro indumento, aut pellis, ſerina, aut ſua pro potu, aut fonticulus, aut altus puteus, quorum thalamus ſolum, familiares leones, familia nulla. Quid de horum omnium Anteſignano, ac duce loquar

Omnis martyr inſanus mundo eſt — *Sed vero ſapiens.* — *Hæremicolarum. Conſilium ſine conſilio.* — *In amando Deo. Eorum cibus, & abſtinentia.*

quar

quæ Paulo? Hic quartum decimum agens annum, hoc eſt, in ip- *De Paulo primo.*
ſo ætatis vere, flore, melle, iuſtis opibus, & re familiari cum
abundaret; conſanguinitate locuples, amicitijs florens, inter ci- *Eius indoles.*
ues ſuos optimæ ſpei, atque indolis, familiæ ſuæ Princeps, ſoro-
ris dilectiſſimæ præſidium eſſet. Ipſe tamen his omnibus per obli- *Eius rerum contemptus.*
uionem per contemptum, per odium conculcatis, ac poſthabitis
factus patriæ, ciuium, amicorum, conſanguineorum, ſororis,
ac ſui hoſtis acerrimus, & humanam omnem ſocietatem repu-
dians, ſubduxit ſe frequentiæ hominum, & longe à commercio *Solitudo inſana.*
decedens, penetrauit in remotam ſpecum, ſine Sole, ſine luce,
ſine cibo ſine ſocio, ſine ratione, ſine mente. Proh Dei homi- *Diuturna.*
numque fidem. Viuens ſepulchro ſe contumulare quis poſſit? &
id ſi quis præſtiterit, hunc tu ſapientem dicas? Volens ſe quiſquam
omni abdicarit humano conſortio? & hoc quicumque valere iuſ-
ſerit, hunc tu inſanire neges? Videmus homines peſſimos in cu-
ſtodias, & vincula propter aliquod immane ſcelus ab his ſuſcep-
tum, coniectos; totum diem pro libertate vota nuncupare lacri-
mis, ac fletibus ora continenter violare prætereuntium fidem, *Comparatio à contrario.*
miſericordiamque complorare; quibus tamen ſupplicium pro de-
bito eorum, & ſalute publica iuſtum eſt: quos ſi pietate commo-
tus iudex abſoluerit, ceteri omnes (qua eſt homo facilitate, at-
que humanitate præditus à natura) ſententiam laudant, excipiunt
commendant. Is vero adoleſcens cum integerrimis moribus, at- *Pauli indoles.*
que innocentiſſimis eniteret; cum vitæ ſanctimonia ciuitati eſ-
ſet vniuerſæ commendatiſſimus; cum de eo Patria ſpes concepiſ-
ſet, & certiſſimas, & nobiliſſimas; cum matrimonia illi ſuppete-
rent ex præcipua nobilitate, & locupletia, & illuſtria: fuga tamen
ſponte correpta ſe ſubtrahit in deſerta loca, & veſtitu, quem ſe-
cum tulerat, dilacerato, capillitio ſuo ſe tanquam agreſtis fera
cooperit, tum per hyemem palmis conſutis, atque inter ſe con-
textis integitur, cibo pæne nullo vtitur, idque non ad diem, non
ad annum, non ad luſtrum, ad ipſam annorum centuriam ad ſæ-
culum integrum, & ſi per ipſum ſtet, vltra ſæculum. Et erit quiſ-
quam, qui hunc, alioſque eius ſimiles non hominem exuiſſe non
à mente, à ratione, à conſilio receſſiſſe fateatur?

Veruntamen hi omnes cum vniuerſa, quæ adipiſci, ac poſſide- *Heremitarum ſapientia.*
re in terris per nobilitatem generis, aut per excellentiam ingenij,
aut per prudentem induſtriam domi, foriſque pace, belloque po- *Vnde eſt.*
tuiſſent, ſatis abundè ſe in vno vnius Dei amore, atque contem- *Ab amore Dei ductiſſimo.*
platione conſequi, atque habere intelligerent; & illa ſi ab ipſis
poſſeſſa ſuppeterent ad vſum aliquem impedimento ſibi fore co-
gnoſcerent, ne Deo ſummo bono, pulchroque ſeſe coniungerent;
ſapienter exiſtimarunt ſe eſſe facturos ſi ſe omnibus illis abdicatis
in Dei ſui amorem amicitiamque inſinuarent. Certi fore aliquan-

Sap. c. 5.

do vt quædam pleriſque inſania reputata fuiſſet, pro ſapientia ama ſapientia capiatur. *Hi ſunt,* inquiunt ſcioli harum rerum cenſores, *quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus in via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

Arguuntur ſapientes herem. cultores.

Reſponſio pro illis

Cum opibus via ad ſalutem impervia.

Sine illis obuia. Difficultates opum variæ in virtutis via.

At hæc inquies, ad æternam, quam quærimus felicitatem conſequendam præſtitiſſe neceſſarium non eſt, quæ igitur, malum, inſania iſtos corripuit, vt his quæ apud homines bona dicuntur abiectis, ad incitas ad ſiliquas, & extremam egeſtatem confugerint? fateor abdicare ſe fortunæ bonis non eſt ad conſecutionem beatitatis neceſſe. poſſe cum bonis hiſce recte vitam duci, & felicitatis portum aliquando ingredi; id ipſum etiam ſateor. Sed interim cum his via ad illam confragoſa, aſpera, difficilis, impervia. Sine his recta, plana, facilis, patens, lata. Spinæ illic obſæpiunt, vepres impediunt, dumi detinent; Euntem Amici reuocant, in alias vias trahunt, traducunt. Voluptates ſibi inuicem auxiliariæ fortem animum emolliunt, delaſſant, eneruant. Amores rerum caducarum varij, ac ſpurij, ab vno, & vero quærendo retrahunt; obliuionem eundi ingenerant, propoſitum animi difficultatibus obiectis concutiunt, elumbem denique inermemque deijciunt.

Porap. Mela.

Comparatio.

Diues obliuioſi, & alios tanquam inſanos derident egentes.

Confutatio opinionis eorum.

Egeſtas Amori Dei non obeſt.

Neque Philoſophia.

Exemplo Biantis

Cratetis.

Diogenis.

Cui Alexander inuidit.

Seneca ep.

Sponte pauper non eget.

Meſſallam, aiunt, optima memorandi facultate hominem, cum decidiſſet ex alto, præter corporis totius confractionem, in tantam obliuionis profunditatem incurriſſe, vt ne ſui quidem nominis recordaretur. Ita hominibus vſuuenit, qui cum de altiſſimo diuini Amoris gradu præcipitantes in illicitorum valles amorum corruerunt; adeo obliuioſi, atque immemores effecti ſunt, vt ſui vix reminiſci videantur. Ita ipſi reuera dementati cum ſint, atque amentes aliorum ſapientiam pro ſtultitia, amentiaque reputant. At quæ enimuero ſapientia eſt egere? Exciderat mihi de egeſtate, quam ipſi viris illis obiectant: dicere, niſi aurem velliſſent. Quid tu amori diuino cenſes egeſtatem officere? erras, aut tranquillitatem animi interturbare? erras, aut de officio virum deijcere? aio enimuerò, erras, aut viri famam nomenque deminuere? alia omnia. Nam & Bias inter Philoſophos de primis apicibus fuit, is ſua ſecum omnia deportabat, & Crates, nomen hominis nobile, & clarum patrimonium coniecit in mare, & Diogeni de dolio tectum ſibi paranti, & ad ſolem apricanti Magnus ille Orbis terrarum helluo inuidit Alexander. *Si vis vacare animo* præceptum Senecæ eſt, *aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis.* Non eſt vt eiuſdem verbis vtar, quod *paupertas nos à Philoſophia non auocat, ne egeſtas quidem, licet ad philoſophiam etiam ſine viatico perueni-*

re,

re. Mitto quod, qui voluntaria rerum abdicatione animum ab omni cura ſuum exemit, is non egens, non indigus, ſed pauper eſt appellandus. Multum autem inter egentem, & pauperem intercedit diſcriminis. Natura enim cum de ſe minimo contenta ſit, ſi quid ſuperflui per inordinatam appetitionem concupiſcat, ilico coercetur, & ad rectè viuendi normam deducta indignatur, ſi nomine egeſtatis deturpetur, ſe ipſa ſatis diues, & per ſuarum rerum ſpontaneam abiectionem ſui victrix, naſcente de ſinu telluris herba, aut radicula, aut fructu, famem; & proſiliente de ſaxo aquula ſitim facillimè reſtinguit. Quin imò ſi hæc deſint, ſatis ſuperque abundabit in Amore ſuo, & Deo, cui Deus ſuus omnia eſt; ſed de diuino Amore ſatis.

Inter pauperem, & benum diſcrimen.

Natura paucis contenta.

In quantam ſeſe inſaniam induit, vel ipſo amandi initio rem quiſquis caducam amare occepit?

Amor malus quã inſanus etiã recens.

Ille vero (ait Theocritus) *qua pedes ferebant procedens*
Inſaniebat; difficilis enim Deus iecur ei laniabat intus,

Theocr. Idill.

Ac ſanè non minus veneni in Amoris poculo, quàm olim in illo Circæo conditur, & ex Circes quidem calice epoto corpus immutabatur in belluam; ceterum animus integer ſuo rationis munere fungebatur. At quiſquis Amorem libauerit intacto corpore ſentiet animum, rationemque corrumpi, quod priore operis parte dictum eſt.

Po ulum Amoris venenoſum.
Comparatio cum Circæo poculo.

En illa neſcio, quæ apud Italicum Poetam, quam ſine ratione ratiocinatur. *Ardeo miſella, nec ne? heu, quem nam experior nouum in animo, neque dum à me cognitum affectum? An ardor eſt? minimè, ſi eſſet, hunc ego lacrimis iamdudum extinxem. Suſpitio attamen eſt ardoris. Mentior. non eſt ſuſpitio, qoin cruciatus potius. Qui vero cruciatus, ſi volupe mihi eſt? Voluptas haud fuerit quandoquidem in dolore verſor. Sed miſtum habeo cordolium voluptati. Iam ſi neque voluptas eſt, neque dolor, igitur inanis furor, & Amentia. At amentesm dices, qui ſua damna prouidens extimeſcat? ad quem vero vſum prouidens, ſi damna non fugiat, ſed cupiat? numne erit Amor? nullus Amor eſt, niſi vero me ipſa decipio, odium haud quaquam eſt. Quid id erit igitur? Quid id erit miſera. quod cor mihi obnubit? ſane cogitatio, aut vmbra cogitationis. Quid ſi cogitatio, cur ego illam in mente mea reuoluo? Crudelis cogitatio, quæ mentem cogitando diuexat meam? Quamobrem vero, ſi damno cogito, ac recogito meo, iterum, atque iterum ad ea, quæ cogitaui reuertor? Quamobrem dum cogitando, horas contero, non illud cogito, nec amplius vnquam cogitem? Cogito equidem. Sed quid præſtiterim? ſi cogito, ſanè crimen meum nullum eſt, verum cogitationis. Tunc peccarem, ſi mens eſſet amandi. Sed amandi mens nulla, cupido nullus. Veruntamen, an non perinde eſt, ac ſi amare diſcuperem, quando, & amare animus abhorret; & in eo hæret, quod amat? non amo, inquam, nequaquam amo. Quid tum vero ſi amarem? Id vero ego neque anſit, noui, neque effari queo. Illud vnum ſcio, me non deamare. Non deamo,*

Marinus adonidis l 12. c. 158.
Inſania amantis depicta.

Inſanis ſciens, & cogitans.

deamo, at neque amo. proh me amentem; fugio amores, non amo, & me ſentio amantem; Amo ne an non amo? Veh mihi. Amor ignis eſt inflammans deſtruens. Aſt ego tremens gelaſco. Igitur nulla amo. Eheu paulatim irrepit flamma, vnde cor contabeſcit, colliqueſcit, heu ignis eſt; heu, & glacies eſt, heu vno ſimul loco vigent igneſque geluque, quibus ego congelor, & ardeo ſimul.

Proh admiranda Amoris prodigia? potentis ſæpe; & gelidos ignes facere, & ignitum gelu. Conglacior igitur, & flagro. neque hoc ſolum. Vulnerata ſum, deuincta, inflammata. ſentio vulnus, telum vero nullum adeſt. Vincla non adſunt, ſed tamen detineor. Detineor ſuauiſſimi, ac dulciſſimi intuitus cuiuſdam vi, dulcem mihi cruciatum, & dulcem plagam facientis. Quod ſi id. quod ſentio amoriſera cura eſt, Amor ipſe, quantum ipſa ſentio per quam ſuauis res eſt. Hæc amans illa. Vides autem quam procul à ſe veſana, atque amens diuagetur? & inter diuagandum, quam acute ſolerterque inſaniat? Vere profecto apud Euripidem ille.

Apud Stobæ. ſer.

Habeo, inquit, *audaciæ, & confidentiæ præceptorem*
In rebus perplexis præſentiſſimum
Amorem.

Idem Amor inſanior cum adoleui.

Quam verò in altum inſaniæ pelagus prouehatur Amor, vbi tantiſper adoleuit, & robur auxit eundo? profecto hinc ortum, *Amantes cum ratione inſanire*. An non mera inſania amorem in muliercula; forma deterrima, ætate vieta modis immorigeris, caluaſtra, edentula, olida collocare?

Prouerb. de Amantibus.

Quanta inſania Anum deperire Lucret. l. 4.

Quæ miſeram tetris ſe ſuffit odoribus ipſa
Quam famnlæ longè fugitant furtimque cachinnant.

Anum meretrix deſcripta.

Aſcititijs late olentem oleis beluinis in dentem defiguratis oſſibus ornatam. aliena capillatura comatam, ita, inſane amans, dum hanc deperis, mortuam quampiam, aut beluam, aut mulierculam amore inſano proſequeris. Et id ſane ſæpe numero, frequentiſſimeque accidit.

Relicta vxore formoſa, aut illi anu ſuper ducta.

Et ſuper hanc veſaniam non ne multo maior amentiæ furor. Vxori adoleſcentulæ, venuſto ore, more vetuſto. natiuis pollenti opibus, & ſuis; pellicem illam inducere; & Proſerpinæ loco Megeram inferre. Si hic furor non eſt, quid erit? aut quis vnquam furens fuit?

Adde quod alterius ſub nutu degitur ætas.

Inſania ætatem in hoc amore terere. Lucret. ibid.

Aetas ſcilicet illius, qui parricidalis fornicariæ correptus eſt facibus verè tartareis: & quam dura, Deus immortalis, quam implacabilia exerceri in ſe ſentit imperia. non ſic in Herculem Omphale, aut Iuno. Vis tu vnam illarum imperantem audire, & Amantium aliquem imperia excipientem? Hoc age; caue ſis: ni agas, etiam num? non dum? actum volo. Dura imperas mea Iuno. Id enim vero iubeo. muſſas? Ecaſtor niſi ſaxis: crepidas aureas volo, qualibus illa, atque illa me multo deteriores vtuntur.

Meretricum Imperium in Amãtes.

Verba meretricia

tor-

torquem gemmatam margarito diſtinctam cum aurea bulla pendente redimi mihi volo, quo ceteris quas forma ſupero natiua, tuis etiam anteferar ornamentis. At nimium multa à me poſcis. an Cræſus ego ſim, aut Mydas qui tangendo aurum parabat? Iocaris, miſer, in re ſeria. At ego me feneſtra hac volens deijciam, aut arbore illa collo ſuſpendam obducto. Tu vero me demortuam fortaſſe dolebis, quam amantem, ac viuentem deſpicis. Ergo fidem mendaciſſimis his blanditijs miſellus ille præbet, & crepidas, & torquem, inſuper & veſtem, & redimiculum quouis empta pretio in ornatum lupæ ſuæ quam citiſſimè dono fert, ac dat. *Fius imperia.* *Amantis excuſationes.* *Pellicis reſponſio*

Labitur interea res, & vadimonia fiunt. *Lucret. ibid.*

Quid attinet his inſanijs intemperias alias ſuperaddere? *Amantium turpitudo.*

Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.

Dum ſcilicet ciuem ſe, & magiſtratum, & rerum publicarum curatorem oblitus, totum diem ab oculis, & vultu pendet, & in ſinu amiculæ iacens.

Et lacrimis excluſus amor limina ſæpè
Floribus, & ſertis operit, poſteſque ſuperbas *Lucretius.*
Vnguit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Quando alteri nox data, & ipſe ſub Ioue frigido, ceu venator, teneræ coniugis immemor, & captans feram inſomnis vigilat ad fores occluſas. dum excandeſcens aliquādo foribus arietes, & baliſtas cōminatur, & imbres, & tonitrua, & fulmina in auxiliū compellat. *Amantis excluſi ſtatus.*

Ianua difficilis domina te verberet imber *Tibull eleg.*
Te Iouis imperio fulmina miſſa petant.

Has tamen tam tumentes, tam periculoſas minas ab amplexu riualis exurgens illa vno verbo. aut vna falſa lacrimula.

Quam oculos terendo miſere vix vi expreſſerit
Reſtinguet. *Ter. Eun.*

Nam quod te vnum amet, in te vno moretur. id ſi tu ſperes, falſus es clamante antiquo poeta Næuio.

Alij adnutat, alij adnictat, alium amat, alium tenet *Neuius in Tarentulla.*

At vero interim quam ingenioſus, & callidus Amor idem eſt, dū ſeſe inſinuat, & in animum alterius penetrare contendit? Quam vt amoribus ſuis fruantur, vafri, doloſiue amantes? pallent anhelant, ſudant, alloquuntur, adblandiuntur, aſſentantur, amatorias ſcribūt nuncios deſtinant, donant largiter, dona largioribus ornant promiſſis; molles aditus venantur, furtiuos quæritant acceſſus, tempora cernendi, fandi perueſtigant, aures demulcent cantiunculis, ſuſpirijs cor inflammant, lacrimis emolliunt, ianitoris animum auro expugnant, ancillularum cuſtodiam munuſculis fallunt, excluſi redeunt, iniurias perferunt, contumelias deuorant, fictores ſui, ac ſimulatores vaferrimi. Quid? quantis inſtructi ſunt artibus ad fallendum; quam ſagax vxor in mariti oculis eludendis, quam maritus *Idem amor ſapiēs* *Amantium artes ingenioſa.* *Et multa.*

ritus in vxore fallenda. Non tot inſidijs, cuniculis, vaframentis, *Comparatio cum arte militari.* ſtratagemmatis Imperatores in bello, in prælijs, atque vrbium obſidionibus vtuntur: quot Amatores machinas, molitioneſque adhibent ad expugnandas amoribus ſuis obſtantes occurſanteſque difficultates. Pleni ſunt harum ſolertiarum libri, qui de amatorijs tractant, plenæ poetarum fabulæ, atque comædiæ. Itaque ſuperfluum eſt ijs velle ſuperaddere; Nos alio orationem deriuemus.

SECTIO IX.

AMOR DIVES, ET PAVPER.

Hic eſt amor diuinus in primis, non ille impurus: accedit primo amor honeſtus amicitiæ: Dauidis cum Golia in certamẽ; Ituri deſcriptio: eius victoria: Ionathæ in ipſum amor: cauſæ amandi: effectus Amoris: depauperatio Ionathæ, & qualis: cur Ionathas ſe ſpoliato Dauidem induit: lepus ſe depilans. Gallina abſtinens. Canis inedia ſe afficiens amoris naturalis ſigna: Amor etiam beſtias depauperat. quanto magis humanus, & diuinus. Exemplum Serapionis Sindonitæ: Serapion duplex. Noſter Apathes etiam dictus: Ex Euangelij conſilio per amorem Dei ſua vendit in pauperes. etiam deinde amictum, tum tunicam, etiam ſe. Demum ipſum Euangelij librum omnia vendenda conſiliantem. Eiuſdem amoris opes amanti notæ ceteris occultæ.

HÆc Amori qui erga Deum eſt, mirificè quadrant, quo qui *Amor erga Deũ terrenis ſpoliat, diuinis ditat.* flagrant ipſi de ſe *nihil*, inquiunt, *habentes, omnia poſſidentes*, & in his paupertas laude, opes admiratione excipiendæ. Amor hic terrena omnia, & fluxa, & ea quæ apud homines, pro diuitijs habentur, eripit, denudat amantem, expoliat, excoriat, ceterũ alijs illum locupletat opum gazarumq; generibus, inque nec introire violẽtus poteſt, nec fur harpagare, neq; ſubſeſſor inſidias moliri. *Amor inter homines vere pauper, etiamſi non malus* Profanus Amor, vere pauper, & miſer eſt, & egenus, quia cũ paupertate omni deprimatur, ope tamen nulla ſubleuatur. Itaque vere *Amor inhoneſtus omnino miſer.* nudus, & inhoneſtus. Neq; vero huic, quem dãno, amori, eum amorem adnecto, qui quamquam in homines impenditur, bonus tamẽ eſt honeſtus, ac nobilis: Amicitię, quę vel virtus, vel cum virtute eſt, parens, & alumnus. Hic quamquam ab amoris Diuini excellentiſſimis ornamentis abeſt, quam longiſſime; non tamen commercia vlla cum eo altero contrahit, qui impuriſſimus, & ineptiſſimus. Vin *Exemplum amoris humani.* exemplum tibi amoris huius tertij proferam elegans, ac certũ? Rex Iſraelis Saul in armis cũ exercitu ſtabat, iã iã ſigna cum hoſte Phili- *Dauidis cum Golia congreſſus.* ſteo collaturus; patens æquor in valle mediũ vtriq; agmini, pugnam excepturũ interiacebat, cũ ecce tibi ab hoſtili parte ꝓgrediẽs, pro-

cero

cero corpore vir pœne immenſus, clipeatus, galeatus, loricatus, parem ex Iſraeliticis prouocans, qui ſingulare ſecum certamen iniret. Quorſum inquit, tot millium ſanguis, vitaque profunditur? En ego omnium meorum nomine miſſus hic ſtò; date vos alterum, qui pro vobis certamen ſubeat. vincentem imperium, victum ſeruitus ſequetur. An non ſedet conſilium? ſane animæ vos viles eſtis; quibus ego hodie vnus homo terrorem impunis, & ſecurus incuſſi. In hac maxima trepidatione verſantem Saulem adit omnipotentis Dei impulſu miſſus adoleſcens Iſraelita: cui nomen Dauidi compellat fidenter animoſque facit, ſeque certamini illi, ac periculo libens, volens offert. Rex credo etiam per Dei occultam ſuaſionem, permotus, beneuole atque cum multis promiſſis acceptum, promi arma, atque eum indui iubet. Sed abnuit Adoleſcens, his impar, & inſuetus. Quid plura? Funda, & ſaxo inſtructus, deſcendit in aciem. ibi proſtratus ille Coloſſæus Gigas victoriam, & honorem Dauidi, Regnum Sauli conceſſit. Rediјt victor ad caſtra, caput ſuperati militis manu victrici geſtans; excipitur ingenti plauſu totius exercitus, ſubit caſtra, regemque præſentibus aulæ proceribus ipſoque Saulis Primogenito Ionatha adoleſcente, prudente in primis, atque animi virtutiſque pleno, ſalutat, alloquitur. Interea animus Ionathæ vehementiſſimo amoris vinculo agglutinatur cum animo Dauidis. Virtus ſcilicet adoleſcentium, ætas, indoles, nobilitas, animoſitas ſine iactantia, robur ſine confidentia, & præter hæc morum ingenuitas in vtroque pene par, vtrumque quam arctiſſimis amicitiæ nexibus mutuo repente colligauit. Sed quid in Ionatha operatus Amor eſt. *Expoliauit ſe tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauidi, & reliqua veſtimenta ſua.* Poterat vtique Regis filius primogenitus, ac Regni hæres, & candidatus. poterat, inquam, amico præbere vim pecuniæ ingentem, ac numeroſam. potuit aurum, argentumue ſignatum plurimum. potuit regia ſupellectile, ac ditiſſimis peripetaſmatis domum ei ornare, atque amplificare. Sed veſtitu maluit proprio, non quò paſtoritium fortaſſe rhenonem ab amico remoueret: neque enim tam abiecto Dauid amictu eo tempore vtebatur, vt ſui ipſius coram aulicis puderet. Diuitibus erat parentibus, atque commodis, in primis Bethlеemiticæ Ciuitatis proceribus. Voluit ergo Ionathas, cum Dauidem ſua veſte donabat, vt ſui memoriam vbique circumferret, voluit ab illo intelligi ſe in Ionathæ animo penitus, intimiſque viſceribus inſidere ſicut ipſe in eiuſdem veſtibus incederet. Voluit Dauidi perſuaſum eſſe pluris ſe à Ionatha fieri, amarique vehementius, quam ſe ipſum, vt qui ſeſe ſpoliaret, ac nudaret, illum vt indueret. Et hæc Tyrocinia amicitiæ, aut Amoris erant. Quid quod poſtea Dauidis beneuolentiam parentis ſui amoribus, voluntate, gratia antiquio-

Ionathæ, & Dauidis amicitia.

Amor depauperans.

Ionathas cur veſtimenta ſua det Dauidi.

rem habuit? Quid quod Regnum cum in Dauidem iturum ab ſe ſciret, ſpoliari ſe eo quam libentiſſime paſſus eſt, dum illud in Dauidem concederet. Nimirum ſatis ſibi locuples in amico videbatur fore, quo pro amico pauperior.

Leporis amor in prolem illum depilat.

Leporem aiunt à partu ſolere de pectore ſuo tenuiſſimos euellere pilos quos recentiſſimis prolibus ſubſternat, ne ſoli duritie, ac frigore lædantur. Amor ſcilicet beſtiolæ à natura inſitus docet eam ſe nudare. ſatis tectam, atque opertam fore arbitrantem, ſi liberi commode, ac molliuſcule haberent. Gallina glocitans palantes voce conuocat ad ſe pullos. his vermiculum, micam, acinum, granum, quod pedibus eruendo repererat, deuorandum præbet ipſa abſtinens, & inedia languens, ac tantum non mortua. Nota illa narratiuncula eſt, ſed vera. Canis tanto in herum ſuum amore ferebatur, vt ei iacenti, ac mortuo (multis illum vulneribus confoſſum inimici, ea abſente, vita deſpoliauerant) cibos vndique comparatos afferret, ſollicitandoque conaretur excitare vt ſe reficeret. Nimirum quia anima minus in corpore ſuo, quod animat, quam in eo habitare ſolet quem amat, idcirco à ſe in illum transfert omnia.

Gallinæ amor in pullos illam inedia afficit.

Caniculæ amor in dominum docet illam abſtinere à cibo.

Vis amoris magna amoris diuini maxima.

Vis amoris hæc eſt cuiuſcumque, tanto vehementior eius, qui verus eſt, tantoque laudabilior, quando honeſtus, omnino autem vehementiſſima, atque omni digna præconio, quando amor in Deum eſt. qui depauperantem ſe vnumquemque abunde ditem facit.

Eius exempla. Vnum excellens in Serapione.

Manifeſtiora extant huius virtutis exempla in ſanctis viris, quam vt eorum à me catalogus ſtatuatur. Vnius tantum facti, abſtinere à calamo non poſſum, mentionem quin faciam. Non quod exiſtimem, præclariora, illuſtrioraque nulla eſſe. ſunt enim in Chriſtiana hiſtoria quamplurima, atque omni admiratione maiora; ſed quod lepidam habeat enarrationem. Serapion fuit quidam, non ille decem millium pater monachorum, præsbiter Arſinoites, quorum virorum tam vehemens erga pauperes Amor enituit, vt ſua omnia, quæ habuiſſent, quæque ſuis operis, & labore poſtmodum comparaſſent Serapioni deferrent omnibus egenis diſtribuenda. Quod & in exemplum Amoris ſe depauperantis adduci poterat. Sed Serapion de quo nobis oratio inſtituitur, vir omni Sanctimonia viuendi illuſtris, non in ſocietate hominum verſabatur: ſolus erat, neque tamen alicubi certo occluſus loco, vt plerique, ſed Orbem terrarum circumiens, & aliquid ſemper addiſcens, aliquid docens. Iam hic quidem primum in re aliqua familiari non incommode vitam domi ſuæ agebat; ſed Amore erga Deum incenſus, adeo profecit, vt magnam poſſeſſionum, facultatumque vim in egenos erogaret, quin & intimarum animi perturbationum vacuitatem in dies exerceret. Itaque vulgo

Serapiones duplex alter Arſinoites.

Syndonites alter. Quem amor in Deum depauperauit mirris modis

Spoliat patria.

Spoliat bonis paternis.

go Apathis appellatus in homine iſto multa prætereà, quæ dicta ſunt paupertatis genera commentus Amor eſt. Sed commentandi modum accipe. Nactus aliquando codicem Euangeliorum Serapion cepit illum frequens euolutare, ac legere. Incidit autem in eam ſententiam. *Si vis ſaluus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes*. Itaneeſt, mi Amorò Deus? inquit ergo cum cetera ab ſe ad Amoris præceptum diſtraxiſſet omnia nihil ſibi reliquum fecerat præter tunicam, & ſuper hanc amictum: ſed non diu poſt, amictum etiam egeno impertitus, ſola tunica amiciebatur. qui & Euangelij ſuaſu illam alteri donauit. ipſe nudus Euangelium ſub axilla habens ad apricum ſolem frigus defendebat. Interrogatus à quodam. Ecquis te expoliauit Abba? Ipſe codicem demonſtrans, hic inquit. Itaque Serapioni nihil ſupererat præter ſe, & librum, quem ſubinde cum relegeret, audit ab illo, *ſi quis vult venire poſt me, & non odit patrem, & matrem adhuc autem, & animam non eſt me dignus*. Hem, inquit Serapion, nondum quidquam egi. externa, & aliena potius quam mea à me abegi, ſed ego adhuc meus ſum. ſbio quid poſcor. Hæc ille, & abiens venditum ſe in ſeruitutem dedit, ſemel, iterum, ac forte tertio, quo heros ſuos in ſeruitutem eius adduceret, cuius ille amore flagrabat ardentiſſimo. Manumiſſus iterum ad lectionem ſui libelli rediè, dumque eaſdem in ſententias incidit, amore docentis inflammatus libellum mercede pacta deuendidit, pretium in alimoniam pauperum traduxit. Quæſitus deinde Serapion, quamobrem tandem tam nobilem à ſe libellum abſtuliſſet. Eum, inquit, vendidi, qui mihi quotidie in aures, in oculos, in mentem ingerebat; *Vende omnia, & da pauperibus*. Hæc de Spiridone, qui Sindonarius, aut Sindonites dictus. quippe cui præter Syndonem qua corpus obuelaret aliud ſuppeteret nihil; ſed an vero pauperem hunc dixeris cui Amor Diuinus ſuqer omnia abunde vnus erat? qui ſolet, ſe amplexantibus opes tantas in animum inferre, quales nec Cræſus habuit, aut nouit. *Neque enim oculus corporeus vidit vnquam, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus ſe.*

Spoliat veſtimẽtis

Spoliat libertate.

Elegans Serapionis factũ, & acutum.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE DESIDERII PERTVRBATIONE.

PRimis amori datis, ſecuudas pro arbitrio diſtribuere cui libuiſſet penes nos fore putabamus. At Amore violento deſiderium violentius ardentiuſque ſuccedit. Mihi inquit ſeu patri Amoris, ſeu Amoris filio locus hic deſtinandus. Fateor expaui enimuero. Amor ſi vnus, deſiderium multiplex. ille ſi cœcus hoc curioſiſſimum. illum armant tela, faces, vincula. hoc impetus lanceæ, candenteſque carbones. Proles genitori bonis auibus latus per me fulciat. modo ne me mulceat.

SECTIO I.

DESIDERII DEFINITIO.

Deſiderij ab Amore diſcrimen: quid hic: quid illud: quid concupiſcentia: quid cupiditas? Ariſtoxenis definitio ſub examen: deſiderij ethimon: Scaliger à Raynaudo defenſus: deſiderium cum expectatione eſt: an & quomodo amiſſa etiam irraparabilia deſiderentur: etiam propriè. Mortui cur deſiderati dicantur: eorum præſentia, qui deſideretur? Dauid, & Auguſtinus elucidantur: Deſiderium in quæ defertur: ea ſunt quæ futura. Quæ redire nequeunt, deſideria ſenſus non rationis habent: exemplum in Luſcinijs; in Pelicano: de quo mira ex varijs, inſinuatur veritas rei varijs exemplis. Canum deſideria. Gelonis Canis. Aelianus correctus: Præſentia non ſubſunt deſiderio. Plotinus explicatur: Amor Peniæ filius, Deum videntes qua ratione deſiderent videre. Gregorij ſenſus.

Amor, & cupido diſcrepant.

Amor quid.

Deſiderium quid

Concupiſcentia quid.

EST qui, deſidetium, concupiſcentiam, Cupiditatem, Cupedinem, aut cupidinem non diſtinguat ab Amore. credo quia, & hic, & illæ ſunt appetitiones rei delectabilis, & eo fortaſſe quod, quem Erota Græci, hoc eſt Amorem, latini cupidinem indigetarunt. Sed hæc diſſidere iam docuimus tametſi enim circa delectabile verſantur omnia, nihilominus, ſuo ſingula modo. Amor ſibi de iucundo complacet, ſiue abſente, ſiue preſente. Deſiderium motus quidam animi ſimplex eſt, ad appetibile amatum abſens. Concupiſcentia motus quodammodo com-

compoſitus, hoc eſt animæ, & corporis. cupiditas, & reliquæ, motum important cum ratione aliqua coniunctum; omnes tamen in abſens feruntur, & circa abſens verſantur, atque ad illud animum iam amantem attrahunt. Ariſtoxeni Pythagoræi definitio concupiſcentiæ eſt, eſſe *impetum quendam animæ, & motum, & appetitionem repletionis, aut inanitionis, vel ſenſilis alicuius præſentia, abſentiaue, vel ipſius ſenſus priuationis*. Optima ſanè, niſi addidiſſet appetitionem carendi aliquo moleſto præſente quod ſentias. ſic enim confunditur cum triſtitia, aut fuga, quas à deſiderio diuerſas eſſe perturbationes oſtenſum eſt.

Cupiditas quid.

Deſiderij definitio ex Ariſtoxeno

Examinatur.

Iam vt propius ad explicandam Deſiderij naturam accedamus, à vocabulo incipimus. vnde nobis lux ad rem. De deſiderij voce Feſtus hæc habet, *deſiderare, & conſiderare à ſideribus dici certum eſt*. Feſtum explicat Scaliger maior. volens deſiderium dici *quod res deſiderata expectetur de ſideribus*. Non ſedet id Rainaudo; quia hac ratione, deſiderium non poſſet eſſe præteriti, quod non expectatur. Miror. Quid enim ſit deſiderium, ſi non ſit expectatio, aut cum expectatione? certe cupiditatis, & concupiſcentiæ vocabula expectationem includunt, at hæ cum deſiderio ſunt; aut ergo præteritorum deſiderium eſſe non poteſt, cum deſiderium ſine expectatione non ſit, aut præterita quoquomodo expectantur cum deſiderantur, & rectè Cornelius Fronto *deſideramus*, inquit, *quod diligimus, vel quod amiſimus*.

Etimon deſiderij ex Feſto.

Quia Scaligero explicatur I.C.

Hic à Rainaudo confutatur.

Sed male. Deſiderium expectatio eſt.

Fronto V. deſiderium.

An amiſſa deſiderentur?

Reſponderet quiſpiam præterita non deſiderari propriè, ſed impropriè, propriè autem amari cum quadam triſtitia, ex recordatione eius rei, quæ præſens fuit. vnde lacrimæ oboriuntur, & cum quadam etiam voluptate. Nam moleſtia eſt ex eo quod non adſint. Voluptas autem ex eo quod recordatione efficiantur, veluti præſentia. quod ipſum videtur Ariſtoteles docuiſſe. Atque ita rectè Philo dixit *deſiderium eſſe Amorem boni abſentis*. Huc facere videtur Dauid plorans, & pro vita filioli grauiter decumbentis, Deum deprecans, tunc ſcilicet cum ſpes inerat ſalutis recuperandæ, erat etiam deſiderium; at puero eſſe iam deſinente, deſiere pariter parentis lacrimæ, & ſpes, & deſideria, ſuper qua re interrogatus, reſpondit. *Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui, dicebam enim. Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat Infans? Nunc autem quia mortuus eſt quare ieiunem? numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille vero non reuertetur ad me*.

Impropriè vt ſit cum moleſtia, & voluptate quod Amor.

Quod Ariſt. eſſe videtur.

Et Philonis lib. in Decalogum.

Et Dauidis Regum 2. c. 12.

Sed vero deſiderium eſſe propriè etiam erga bona irrecuperabiliter amiſſa, bona pars Philoſophorum ſentit, & natura ipſa proclamat; quæ in amicos, & conſanguineos vita defunctos ita ardenter fertur; vt trahi ſe ſentiat, & niſi ardor hic diuturnitate deferueret, vitam ſanè deuoraret.

In amiſſa etiã irrecuperabiliter eſt deſiderium, & propriè.

Patet ex naturali inclinatione.

Quis deſiderio ſit pudor, & modus

Horat. l. 2.

Iam

Tam cari capitis?

Patet 2. ex vocabulo nam mortui dicuntur deſiderati.
Valent. 1. 2. diſp. 3. q. 1. puncto 1.

Adeo hoc verum, vt qui eſſe nobiſcum deſierunt deſiderari, & deſiderati appellentur, & Philo cum deſiderium abſentium amoris nomine vocauit lata ſignificatione Amoris vſus eſt lege Valentiam.

Quomodo praſentiam deſideramus eorum, qui obierunt.
An vt nos ad illos.
Vel illi ad nos primo modo.
Dauidis exēplo.
S. Auguſt. in oppoſitum videtur inclinare l. 4. confeſſ. c. 4.

Iam, an cum demortuis conſociari deſideramus, eorum præſentiam vel expetimus, vel expectamus? Id vero non per illorum ad nos reditum, ſed per noſtrum ad eos aditum fieri concupiſcimus? Et huic quidem aſſentiri videtur Dauid. *Ego*, inquit, *vadam magis ad eum, ille vero non reuertetur ad me*. At refragatur his Auguſtinus, qui in amici ſui morte abreptus deſiderio, ita ait. *Expectabant eum vndique oculi mei, & non dabatur mihi: & oderam omnia, quæ non haberent eum. Nec mihi iam dicere poterant, ecce iam veniet, ſicut cum viueret, quando abſens erat*. Sed reuera nequaquam noſtris dictis Auguſtinus aduerſatur, quin & aſſentiri videtur, dum ait, voluiſſe ſe mortuo amico mori, & demirari, quod viueret, & horrori illi eſſe vitam; quia nolebat dimidius viuere. An inſitum à natura nobis quiddam luminis eſt de immortalitate animarum, atque adeo deſideramus illas ad nos, quandoque accedere, aut in ſomnis, aut in vigilijs, aut quoquo alio modo? quod quia vi noſtra, aut earum virtute effici non poteſt, id ipſum de ſideribus, hoc eſt à Deo expectamus, atque adeo deſideramus. Sed hæc acutè magis, quam ſolidè.

Exponitur.
Acutam hoc reſponſio.

Auctoris ſententia.
In homine.
Deſiderium eſſe de futuris.
Cicero l. 4. tuſc.

Ego de natura deſiderij ſic ratiocinandum puto. Illud ſcilicet eſſe motum, aut impetum, aut concupiſcentiam, aut expectationem boni abſentis, aut verſantem circa bona abſentia futura, & ad eorum præſentiam requirendam impellentem, quod ipſum etiam Stoicis placuit apud Ccceronem. *Deſiderium*, inquit, *eſt libido eius quod non dum adſit videndi, libido autem eſt futuri boni.*

Quæ redire non poſſunt, neque improprie deſiderari ab homine.
Communis reſponſio non placet.

Quid vero circa præterita irreuocabilia? Exiſtimant quidam circa hæc, deſiderium quidem eſſe quoddam, non efficax illud, & abſolutum, ſed inefficax, & cum conditione, de qua diſtinctione paſſim Philoſophi, & Theologi. Fateor communis eſt reſponſio. Sed nequaquam arridet, nam hæc diſtinctio cadit in perturbationes, & deſideria, quæ à rationali appetitu proficiſcuntur, & rationales dicuntur. In quibus facile intelligimus diſcrimina volitionum, & velleitatum. vt loquuntur Theologi, ſeu eorum actuum, qui explicari ſolent per vocabulum volo, amo, deſidero, ab ijs, quæ efferuntur per amarem vellem, deſiderarem. At vero in ſolo ſenſitiuo appetitu non hominum ſolum, ſed brutorum non video, quemadmodum inſeri hoc diſcrimen queat; amarem, deſiderarem. Quoniam hic actus videtur fieri non poſſe ſine aliqua ratiocinatione animæ dicentis, ſi hoc obiectum abſens tale eſſet, quod redire poſſet cuperem illud, & deſiderarem.

Dicen-

Dicendum ergo puto deſiderium in ſenſitiua parte abſolutum eſſe poſſe rei abſentis, & præteritæ reparabilis, ſiue irreparabilis. nam videmus ab animalibus proprios fœtus nuper amiſſos defleri inuocari, quæri concupiſci.

Abſolute, & proprie deſiderta in parte ſenſitiua.

Oſtenditur in brutis.

Luſcinia.

Qualis populea mærens Philomela ſub vmbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſeruans nido implumes detraxit, at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mæſtis latè loca queſtibus implet.

Pelicanus, & eius in filios.

Amor.

Ira, & cædes.

Deſiderium.

Medicina.

Et hæc quidem decantata. Illa etiam non minus nota. Pelicanus ſolitaria auis. Nili Canopæi ripas inhabitans, pullorum amantiſſimus eſt. Itaque non paſcit eos, atque educat ſolum, quod aues aliæ, & matres faciunt, ſed collo, roſtro, alis, toto corpore adblanditur delitijs ſuis, eaſque amplexatur, & in ijs ſolitudines fallit ſuas. Illos frequente colli attactu permulcet, roſtri morſicationibus, torpentes agitat. hi cum grandiuſculi acutis iam eſſe roſtris ceperunt, dum per iocum vellicantur, alacriores facti viciſſim ludibundi vellicant parentem; ſed ruditer, & inconſideratè; ſicque lædunt, vt illa perdoleat, & ad iras irritetur. Ergo à blanditijs, & baſiationibus ad vulnera, & cædes pullorum venitur. Mater fit naticida, ſinus, qui culla fuerat, capulus: nidus, nuper domuncula, ſepulchrum. Vbi ira deferuit; Pelicanus in miſericordiam, & deſiderium emollitur. rurſum de ſanguinaria mater. ipſa ſibi fit in lamentando præfica, filijs funera lugubrem leſſum inſtituit. Ergo dum alis reſolutis roſtro ſe impetit prolem extinctam vltura, ſuper filijs moritura, proli conſulit de capularia medicus. Profluentes enim de vulneribus riui ſanguinis, iacentia cadauera aſpergunt, qua aſperſione ſenſim intepeſcentes pulli rurſum ad vitam reuocantur. Id multi ſcriptorum, & quidem grauium, referunt; Eſt qui fabellam putet. Ego ſi veritatem in facto vllam admitto, explicem oportet natos ictibus matris iratæ non omnino emori, ſed deficere, ita vt fuiſſe videantur; recreatos tepenti ſanguine redire ad ſpiritus vitales recuperandos; nam, & apes oleo perfuſæ vix viuæ eſſe credentur, quas tamen ſi aceto alluas, recipere vitam putes. anguem ſi arundine icias, ictu primo ſternes, vt extinctum; ſi ictum duplices, exſuſcitabis. Canes Puteolis in antrum calidum proiecti, emoriuntur: extracti, atque in aquas immiſſi reuiuiſcunt. Sed Pelicanus fabula eſt. Eſto. An ea quæ de Canum deſidederijs referũtur, in fabuloſis etiam numerentur? quotidiana vero obſtat experientia, quæ antiquis præſtandam fidem ſuadet. Gelo Syracuſarum Tyrannus; Tyrannus quidem, ſi inuaſionem, & occupationem primam eius vrbis ſpectes, verum ſi ad eius viri mores, & facilitatem, & virtutes oculos conuertas, Rex optimus, & Syracuſanis amatiſſimus, hic noctu

An fabula?
Hieronymus ad præſidium.
Solutio.
Auguſ in pſ. 101
Greg. in pſ. pœnit. pſalmo 5.
Euſtacb. in hær. Dam. ep. 2. n. 18.
Iſidorus l. 12 ca. 17.
Apes vt mortuas
Angues.
Canes reuiuiſcere.
Canum deſideria
Gelonis Canis.
Aelianus de var. hiſt.

dormiens ſomniando inclamare magnis vocibus ſolebat; ſed Canis fidiſſimus, quem in eodem cubiculo iacentem ſemper habebat, latratibus excitatis ita perſtrepebat, donec Herus euigilaret; Canis idem ſuper demortui, ac ſepulti Domini tumulo tam obſtinatè iacuit, vt nec blanditijs pelliceretur, neque minis abſterreretur, neque verberibus abigeretur, neque fame adigeretur, vt latum vnguem abſcederet, dominum continuis eiulatibus inclamans, odoratu perueſtigans, corporis ſui motu, atque agitatione, iacentem intus Dominum veluti ne amplius demoraretur, ſubagitans, in his deſiderijs emoritur, Hæc Aelianus, Silanionem habens pro Gelone. Falſo quidem, id enim Geloni omnes adſcribunt, alia in hanc rem Aelianus multa. ſed an brutæ animantes deſiderio verè percelluntur id vero proxima ſectione diſcutietur.

Idem l. 6. de animalium hiſt. c. 25

An præſentia deſiderentur.

Reſtat, vt paucis diſputemus; numne deſiderium in res præſentes feratur. quidam enim concedunt, & his fauere videtur, Heſiodus, & eiuſdem ſcholiaſtes, & ille quidem Erota, & Himerum, ideſt Amorem, & Deſiderium fratres facit, hic autem ſupra à nobis laudatus: quin & Heſiodo ipſi, qui Amori deſiderium ſemper coniunxit. Amor ipſe, etiam præſente amabili, cum deſiderio eſt. adde hac fortaſsè cauſſa Amorem antiquis dictum fuiſſe cupidinem, tanquam nunquam ſit, niſi ſecum ferat indiuiſum comitem deſiderium. Sed vero his aſſentiri nemo ſapiens poteſt. *Deſiderium enim indigentiæ proles eſt*, vt loquitur Plotinus, explicans, qua ratione ab ipſo ſcriptum ſit Amorem filium eſſe Peniæ id eſt paupertatis, de quo nos alibi locuti ſumus. Neque verò cum rem præſentem deſiderare videmur in id ferimur, quod præ manibus eſt: ſed in ipſius perſeuerantiam, aut perdurationem, aut perpetuitatem, quæ nondum eſt, aut de qua incerti viuimus, atque hoc deſiderium cum aliqua animi vexatione promanat, quamobrem in beatis illis mentibus exiſtere nequit, neque Apoſtolorum cum dixit Princeps, Quem Angeli videre deſiderāt. Poteſt in hunc modum commodè explicari, vt ſcilicet Angeli cōſpectum Chriſti, quo fruuntur perpetuum eſſe deſiderent. certi enim ſunt perpetim ipſum duraturum, neque ab eorum intuitu poſſe vnquam auferri, quod ſi id non eſſet, beati certè omni ex parte non eſſent, vt late aſſerunt Theologi in tractatu de beatitudine. Senſus ergo Apoſtoli breui illa Sancti Gregorij oratione elucidatur. *ne ſit in ſatietate faſtidium ſatiari deſiderant*. cum igitur Angeli deſiderare dicuntur intuitum, quem habent, intelliguntur ea ratione intueri, vt ſatiati quidem ſint, non tamen faſtidium ex ſatietate intuendi patiantur. Heſiodi, & eius ſcholiaſtæ mens ſi ſit deſiderium ferri in rem amatam quando præſens eſt, falſa eſt; ſin vero, in re ipſa, quam præſentem amamus multa à nobis deſiderari, quæ non habentur,

Heſiodus fauet in Theogonia, & eius ſcholiaſtes.

Negandum.

Cum Plotino l. 1. Amor Peniæ filius.

Angeli quomodo Deum conſpicere deſiderent.

S. Greg. ſenſus de Angelorum deſiderio.

Heſiodi ſenſus.

tur, atque adeo nihil nobis in amore eſſe, in quo non aliud quodpiam deſideremus, verum docent, & nobiſcum erunt.

Creſcunt diuitiæ, tamen Horat.l.3.od.24.
Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

SECTIO II.

EIVSDEM DEFINITIONIS ELVCIDATIO MAIOR.

Deſiderium impetus Amoris, & Alæ: Locus ex Canticis elucidatus: Deſideria Amantem iciunt, & trahunt: Seruius reprehenſus: Deſiderij impetus vehementior, quam Amor ipſe, aut ſenſu vehementiore: Deſiderij volatus varij in Phædra ex Seneca: Euripide: Amantes ſomniant vigilando: Deſiderium æſtrum eſt. Thynnorum æſtrum. Deſiderium laborioſum, egens, inquietum, niſi enecetur, mentem abducit. fugitiuum facit: Comparatio elegans ſerui, & Amantis, Vlyſſes deſiderans patriam: Deſiderium Amantis vehementius quam Patriæ: exemplum ex Tibullo, qui mirificè amplificatur.

RECte Ariſtoxenus appetitionem deſiderij *impetum quendam eſſe* dixit. Amor enim quodammodo ſedentarius eſt, æque ſe ad abſentiam, præſentiamue amabilis gerens, ad huius conſecutionem impellit deſiderium, & quidem cum impetu. Quamobrem alas Amantis, aut Amoris non male deſiderium appellaueris, quibus ad id, quod amatur ſubinde accurrit, recurrit, atque auolat. Eſt in ſacris literis de Amore ſermo his verbis. *fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Ecce tibi Amorem cum lampade inflammata cordibus amantium ignes immittente, an non cum lampade in illo carmine à neſcio quo, Regiano fortaſſe deſcribitur.

Deſiderium eſt impetus ex Ariſtoxeno.

Alæ Amoris eſt deſiderium.

Cant.c.4.

Lampas Amoris in catalectis Virgilij, & aliorum.

Ante bonam Venerem gelidæ per littora Baiæ
Illa natare ſuum cum lampade iuſſit Amorem
Dum natat, algentes cecidit ſcintilla per vndas
Hinc Amor vſſit aquas, quicumque natauit, amauit.

Sunt qui in canticis legant, *ſagittæ eius, ſagittæ ignis.* Ecce etiam tibi Amorem ſagittiferum, qualis apud Propertium,

Sagitta amoris.

Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis Propert.el.
Et pharetra ex humero gnoſia vtroque iacet
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hoſtem,
Nec quiſquam ex illo vulnere ſanus abit.

Interpretes ſeptuaginta, pro ſagittis habent Alas; *Alæ eius alæ*

Amor alatus.

ignea, & Amori etiam alas appinxit antiquitas.

Propert.

Idem non fruſtra ventoſas addidit alas
Fecit, & humano corde volare Deum.

Amoris figura ex ſacris litteris deſumpta.

Itaque Amoris, aut cupidinis picturam quam antiqui in ſuis expoſuere libris. ab hoc ego Salomonis loco deſumptam ſemper exiſtimaui, niſi quod hic ſanctum Amorem, & caſtiſſimum, deſcripſit, illi de ſancto prophanum fecerunt, vt multa de ſacris libris alia. Sed quid intelligamus Alarum nomine, quas Amor habet, præter deſideria vehementiſſima? iuxtà illud Dauidis. Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?

Pſal.

Horat. l. 4. od. 5.

Vt mater iuuenem, quem notus, inuido
Flatu Carpatij trans maris æquora
Cunctantem ſpatio longius annuo
Dulci detinet à domo
Votis, omnibuſque, & precibus vocat
Curuo nec faciem littore dimouet;
Sic deſiderijs icta fidelibus
Quærit patria Cæſarem.

Deſideria amorē verberant vt alæ

Flagellant ſcilicet Amantem, atque iciunt deſideria, quemadmodum Alæ volucrum diuerberant latera, & veluti ſtimulant, vt eo eant, redeant, vbi amant. audi Plautinos ſales.

Deſideria æſtus ſunt, & trahunt amorem.

Ex Plauto.

Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo cupidinis.
Remigio, veloque quantum poteris, feſtina, & fuge.
Quam magis te in altum capeſſis, tum æſtus te in portum feret.

Recte, nam cupiditas amoris effectus eſt, etiam Plauto inter effectus amoris numerata.

Plautus.

Petulantia cupiditas, & maleuolentia
Inhæret etiam auiditas.

Seruius reprobē-ſus.

Malè igitur Seruius Grammaticus *Cupidinem*, inquit, *vocant, eo quod faciat Amorem*. cupiditas enim, aut cupido non Amoris, ſed Amor eſt cupiditatis pater.

Qualis impetus ſit deſiderium.

Animus mihi eſt; ad hunc deſiderij impetum explicandum mentem acrius adhibere, vt quantus ſit appareat, neque vero hac in re facile aſſentiri poſſum, vt credam, Cupiditatem Amori vnde oritur, proportione reſpondere. Nam quamquam omnis Amor fortis; atque adeo cupiditas omnis impetuoſa eſt; oportet tamen fateri, maiores eſſe in deſiderio impetus acquirendæ rei concupitæ, quam fuerint amandi; quod ſi id ipſum fidem noſtram aſſenſumque ſibi aſtruere non poteſt; illud ſaltem in confeſſo manere debet, deſideria multò plus ardenter animum incitare, atque agitare in diuerſa, in indigna, in oppoſita, in inopinata, in adinata, quam amores poſſe aut videantur, aut ſentiantur. Reginæ amanti alas innectit deſideriorum vates vnde volatus varij.

Deſiderij impetus vehementior eſt quam Amor.

Aut ſaltem vehementius ſentiunt.

Phedra deſiderantis vo atus.

Breuis expeditos Zona conſtringat ſinus.

Sic

Sic temere iacta colla perfundant comæ — Ex Seneca Hippol.
Humeroſque ſummos; curſibus mota citis
Ventos ſequantur; leua ſe pharetræ dabit.
Talis in ſiluas ferar.

Phædræ Amor in Hippolitum eius priuignum non dum ſeſe foras in conſpectum aliorum obiecerat; pudore præpediebatur intra pectus, in occulto. Deſideria impudenter efferbuerant, celeriter excreuerant, in ſiluas abierant. Lepidius, ac luculentius hos in amante Nouerca impetus apud Euripidem expreſſos, habes.

Phædra. *Eheu quomodo ex roſcido fonte* — Ex Euripide in Hypp. idem volatus.
Hauriam potum limpidę aquę
Et ſub alnis, & in viridi
Prato reclinata quieſcam?

Amans deſiderij pennas induta auolat ad roſcidos fontiū margines, ibique accubans, vel limpham fugacem, & obliquo laborantem trepidare riuo, labellis remoratur impreſſis, ſi forte cum eo aquilæ potu ſuum dilectum hauriat Hyppolitum, qui de eodem riuulo ſuam ſitim extinxerat. vel fonti imminens, & ſub opaca arbore conſidens ad vmbram, latus ſuper eam herbam explicet, ſuper quam Hippolitus ex venatione defatigatus accubuerat, num hic deſiderij impetus non ingens eſt? ita ſane. audi nutricem Phædræ.

Phædra ad fontem. Vbi Hippolitus: Vel ad vmbram ad quam Hippol.

Nutr. *O filia quid dicis?* — Euripides.
Ne apud turbam hęc dicas
Effundens ſermonem obnoxium furori.

At illa ſanis conſilijs nequaquam obſecundat, de fonte in nemora, in montes, & venationem. — Volatus alij.

Phæd. *Ducite me in montem, eo ad ſiluam* — In nemus in montes.
Et ad pinus, vbi ferarum interfectores
Soluis eundo calceant canes
Maculoſis ceruis inſilientes
Per Deos, cupio clamore excitare canes
Et circa flauam comam projicere
Torquem Theſſalicum
Cuſpide munitum tenens in manu telum.

Vere *qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt*. & ſomniantes dormiunt quidem; at hi vigilant, vident, & ſomnia patiuntur tam abſurda, qualia ne dormientibus quidem eueniunt. — Amantes ſomniant vigilando.

Nutr. *Cur nam ò filia curas iſta?* — Idem ibid.
Quid tibi eſt negotij cum exercitio venationis?
Quid vero fontanos latices expetis
Etenim iuxta arcem eſt continuus roſcidus
Aquę curſus. Vnde tibi poteſt eſſe potus.

Miſella nutrix ætatem forte ſuam amorum, deſideriorumque ex-

expertem contriuerat, & ardentes Phædræ æſtus ſatagebat è vicino fonte reſtinguere: Quos neque illi ipſi quibus inhiare ſe dicebat Phædra, ſedare potuiſſent manantes è ſaxo riui.

Alij item volatus ad circum.

Phæd. *O domina ſacra paludis Diana*
Et certaminum equeſtrium
Vtinam eßem in tuo campo.
Equos domeſticos domans.

Deſiderium eſt æſtrum.

Thynnorum agitatio ex Aſylo.

Aliud volandi genus: à ceruis ad equos agitandos; ad equeſtria, & circum, & campum. Thynnos ait Ariſtoteles, ſolere per æſtatem æſtro quodam exagitari tam acriter, vt ex Oceano per Tarteſſiacas fauces in pelagus mediterraneum ingreſſi velociſſimè totum hoc æquoris ſpatium percurrentes; nuſquam conquieſcant, donec ſe ſe in pontum recipiant euxinum. Aeſtrum hoc, ſeu, vt

In homine cupido eſt.

græcè appellatur, Aſilus hic in homine cupido eſt, eius facibus incenſi quicumque amant extra ſe ipſos abeunt, vt nutrix ad Phædram.

Aliquis Deus te vexat
Mentemque deminuit ò filia

Deſiderium laborioſa res.

Hanc ipſam ob cauſſam credo *laborioſum* Ariſtoxeno dictum fuiſſe *Deſiderium*. Quæ enim deſideranti quies? ſi deſiderium ſuper egeſtate creſcit.

Egeſtate creſcit.

Horat. l. 3. od. 16.

Contracto melius parua cupidine
Vectigal: a porrigam
Quam ſi Mygdonijs regnum Haliattici
Campis continuem. Multa petentibus
Deſunt multa: bene eſt, cui Deus obtulit
Parca quod ſatis eſt, manu

In deſiderijs quies nulla.

Deſiderandum quod ſatis.

Bene quidem eſt, ſi id ſatis eſſe exiſtimetur; quod re vera ſatis eſt; tunc enim abiectis deſiderijs, rurſum quies, & rurſum poſt nubila Phæbus. Sed hoc opus, hic labor vt alæ deſiderijs interuellantur, & oculis mortalium illud obijciatur Horatianum.

Horat. l. 3. od. 1.

Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſollicitat mare.
Nec ſæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut Orientis hædi.

Deſideria mente abducunt.

Verum in deſiderij poculo hoc primum eſt, vt deſiderantis mẽs abdicetur, neque redire ad ſe ipſam ſinatur.

Apud Gellium l. 19. c. 9.

Aufugit mi animus, credo, vt ſolet, ad Theotimum
Deuenit: ſic eſt, perfugium illud habet
Quid ſi non interdixem; ne illuc fugitiuum
Mitteret ad ſe intro, ſed mage reijceret?
Ibimu quæſitum. Verum ne ipſi teneamur
Formido; quid ago? da Venu conſilium.

Deſiderans fugitiuus eſt.

Fugitiuum animum appellat, quem deſideria occuparunt: Quem-

Quemadmodum ſi quis mancipium domi habeat, cuius animum amor in patriam continuus diuexat; hic homo dum in domo herili detinetur, corpore quidem ibi, ſed animo alibi eſt: longe apud ſuos ciues, apud ſuos notos, amicos, conſanguineos, in ſinu parentum cariſſimorum, & coniugis dilectiſſimæ commoratur; cui ſi quando fugiendi occaſio vlla ſeſe offerat, hanc continuo etiam cum periculo capitis arripit; & quamuis à fuga ſæpe reuocatus redit; tamen identidem omnem abeundi aditum, rationemque perquirit, donec vita vireſque ſuppetant: fruſtra illum congeminatis verberibus reuocauit hærus, & in vincula per dies plurimos coniectum, inedia vexauit. colliqueſcit animo præ deſiderio, & in eam mundi regionem proſpectans, qua paternos lares, ac patriam ſitam credit, ſuſpiria, & lacrimas pro nuncijs deſtinat. Sed quid ego verbera, & vincula, & ergaſtula commemoro? quæ magis exacerbare animos ſolent cupientium, & cupiditates acuere. non ſi cumulos auri, & regna pollicearis animum ab ea cupiditate reuocaueris. *Comparatio elegans.* *Deſiderium patriæ vehemens.*

Calypſo apud Homerum. non ſceptri modo, & thalami conſortem faciebat Vlyſſem, ſi apud ſe relicta patria moras elegiſſet ducere: ſed & immortalitate donabat. Quid autem reliquiſſet Vlyſſes ſi Itacæ ſpe, ac deſiderio repudiato delitias Calipſus adamaſſet? ſi oppidulum in aſperrimis ſaxis tanquam nidum affixum, immortalitati poſt habuiſſet. ſed Laertiadem Calypſo. *Calypſus, et Vlyſſis exemplum.*

In littore inuenit ſedentem, neque vnquam oculi
A lacrimis ſiccabantur, conſumebatur autem dulcis ætas
Ob reditum lugenti. *Hom. y. Odyſſ. l. 17.*

Et poſt pauca.

Die vero in petris, & littoribus ſedens
Lacrimis, & gemitibus, & doloribus animum macerans
Pontum in indomitum proſpiciebat lacrimas ſtillans.

Et hæc quidem patriæ deſideria, quamquam vehementia ſunt, & ab ipſa natura in pectoribus humanis inſita, neſcio qua dulcedine pelliciant; tamen debiliora ſolent eſſe cupidinibus, quas Venus, & Veneris filius in adoleſcentium mentibus inſerit. Hæ patriæ obliuionem, odiumque inducunt; hæ ad inſueta, & abiecta traducunt vitæ munera. *Deſiderium patriæ, & Amantium comparatur.*

Rura tenent, Cornute, meam, villeque puellam,
Ferreus, eſt eheu quiſquis in vrbe manet. *Tibull. Eleg.*

Quam vero Vrbem? Ithacam ne mari circumfluam? anguſtam, ſaxoſam? Romam ſcilicet orbis terrarum ocellum, imò caput, imo compendium, ac delitias. Romæ ne rura præpoſita? Habent Romæ Tibulli deſideria, egeſtatem; copiam, ruri. Sordet, ſqualet ipſi Roma cum imperio ſuo. Nitent rura cum aratris et ligonibus. *Vehementius eſt deſiderium Amantis.*

Ipſa

Tibull. Eleg.

Ipſa venus latos, iam nunc, migrauit in agros,
Verbaque aratoris ruſtica diſcit Amor

Elegantiarum venuſtates, & ſermonis cultus, veſtiumque ornamenta inſuper habentur, quæ Romæ plurima. Venus, & venuſtas in agris arant.

Tibullus.

O ego ſi dominam aſpicerem, quam fortiter illic
Verſarem valido pingue bidente ſolum.

Nihil in vrbe continetur, quod oculis arrideat, non ampla domorum ædificia, non latæ, ac longæ templorum porticus columnis marmoreis ſuſſultæ, non intercolumnia aeneis, argenteis diſtincta ſignis placent. nullæ ibi tabulæ antiquiſſimorum pictorum labor, & decus. Ruri vites in quincuncem poſitæ Romanas arces; & caſæ in edito poſitæ ſalubritatem; & ſtiua maieſtatem ſceptri, & lacerna togam, & pandi boues omnem imaginum pulchritudinem præ ſe ferunt, ac ſuperant. Rectè igitur Philo, *quoties aliquis* inquit, *de abſente bono cogitans, habere id cupit, in longum animam porrigit, extendens eam, vt poſſit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina ſemper ſequendo, nunquam aſſequendo, quod ſpectamus in curſoribus, quando præcurrentibus tardior peruicaciter inſequitur.*

Deſiderium eſt anima extenſio.

SECTIO III.

DESIDERII DIVISIONES VARIÆ.

Prima ab obiectis. altera naturis eorum ducitur ade hac. Platonis Ariſtotelis, Sancti Thomæ diuiſio: quæ cupiditatibus apprehenſio præuia. Sanctus Thomas declaratus, & Ariſtoteles, & vterque leuiter accuſatus. Cupiditas homini non naturalis, quæ nam. Bruta num deſiderent. Sanctus Thomas negat. Par aiens probatur: Chriſoſtomi diuiſio tripartita melior alijs: omnibus tamen aliquid deſideratur. Chriſoſtomus excuſatur, accuſatus iterum Ariſtoteles; quædam eius deteguntur vitia, & damnatio, & mors; Philoſophi à Chriſoſtomo libidinis reprehenſi. Pudicitiæ honor antiquis. Eſſenorum vita, & laus, ex Solino: Vituperatio ex Plinio, qui nam hi? laus pudicitiæ ex poetis: Roſa eum ſeruandæ, tum perdendæ pudicitiæ exemplum, & alia ad idem.

Diuiſio ex duplici capite. prima ab obiecto, ſecunda à natura Deſideriorum. ſect. ſequenti. De hac nunc. Platonis diuiſio neceſſarie, & non neceſſarie.

DEſideriorum omnium, aut concupiſcentiarum diuiſiones duplici ex capite duci poſſe videntur, primo à rebus, quæ concupiſcuntur, de quibus infra ſermo nobis; ſecundo, ab ipſarum cupiditatum interna conditione, ac natura, de qua præſens inſtituitur commentatio, quam Philoſophi in partiendo deſiderio ſecuti ſunt in Ethicis. Plato in neceſſarias, & non neceſ-

ceſſarias partitus eſt. Ariſtoteles autem ſic diuidit. *Quædam cupiditates ſunt communes; quædam propriæ. Communes ſunt, quæ omnium ſunt animantium, vt cibum, potumque, & alia huiuſmodi appetere. Propriæ ſunt, quæ ſolis competunt hominibus vt talem, & talem rem appetere. Atque hæ poſteriores appetitiones feruntur ſemper in duo, in aliquod, ſcilicet, appetitioni communi competens, & omni conueniens animali: & præterea in aliquid non commune, ſed peculiare, & homini ſoli conueniens.* Quamobrem hoc poſterius, & ſecundarum appetitionum genus appellauit appoſititium, ſeu aſcititium, quia videlicet in earum obiecto ad partem communem apponitur alia ratio appetibilis cuiuſdã accidentarij nõ omni animanti competentis, ſed homini. *Ariſtot. diuiſio. Communes, & propriæ.*

S.Thom. primas cupiditates vocat Naturales, *quia ferũtur in obiectũ delectabile conueniens naturæ animalis.* Alteras nõ naturales; *quarũ obiectum cõueniens eſt animali ſecundũ apprehenſionem*, primas ait eſſe cõmunes omnibus animãtibus, ſecũdas ſolis eſſe hominibus proprias. *S.Thom. diuiſio naturalis, & non naturalis. Quæ cum apprehenſione eſt.*

Quid? igitur in cupiditatibus communibus, aut naturalibus nulla interuenit apprehenſio? ſed in proprijs tantum, & humanis? Id vero vereor vt verum eſſe poſſit; cum paſſio ſine præuia apprehenſione nulla conſurgat, vt ſupra dictum eſt. Sed Sanctus Thomas nomine apprehenſionis, non illam communem ſenſationem intellexit, quæ quodammodo naturæ inclinationem ſequitur, & eius ductibus obſecundat, quamobrem omnium æqualiter animantium generi competit. Verum aliam natura ipſa eleuatiorem, & propriam alicui, atque conformem; & alteri fortaſſe contrariam, atque difformem. propterea Ariſtoteles eaſdem cupiditates vocat partim Irrationales, ſeu rationis expertes, partim rationales, & cum ratione. *Quæ apprehenſio requiritur.*

Miror ſanè tam Ariſtotelem, quam Sanctum Thomam proprias cupiditates ſoli homini aſcripſiſſe; quod ſi idcirco id fecerunt, quia hæ rationalem ſubſequuntur apprehenſionem, ratio autem in ſolo homine reperitur: profecto cupiditates non bifariam, ſed trifariã ab his eſſe diuiſas oportuit. Nempe in communes, in proprias, in rationales, & primæ quidem eſſent vniuerſales omnibus animam habentibus, alteræ peculiaribus animantium generibus, vt carnes leoni, herbas bubus, cytiſum capellis, thymum apibus, rorem cicadis, placere, atque appeti; & alia id genus alijs: poſtremæ rationales vni homini competentes. *Ariſtotelica, & Thomiſtica partitionis cenſura.*

Atq; hinc apparet quare S.Tho. has poſtremas appetitiones appellauerit, nõ naturales; neq; enim omnis appetitio, quæ humana eſt, eſt eo ipſo nõ naturalis, ſed hoc nomine cenſetur illa, quæ aliquid appetat ſupra naturam, vt etiam loquitur S.Thom, vt ſunt opes, honores, magiſtratus: cõmunis enim natura animalis ad has cupiditates nõ peruenit. & quãquã homines carnes nunc aſſas, nũc elixas, nũc verubus, nũc ollis, aut lebetibus incoctas appetãt hoc tamẽ de- *Appetitio humana cur non naturalis dicatur.*

ſideriū nō exiſtimo dicendum propriè non naturale,aut rationale, ſed naturale particulare , ſeu naturæ particularis. quemadmodum rorem cicadæ appetere naturale eſt , ſed peculiare .

An Bruta deſiderent. An vero , vt quæſtiunculam hanc breuibus expediam , an, inquam , brutæ animantes veris deſiderijs æſtuant ? Aſſerentem videmur eſſe partem paulo ante ſecuti. *S.Thomas negat.* Sanctus Thomas negat, & iure,ſi in deſiderio ratiocinationem includas , aut ad ipſum , hanc præmittas.Veruntamen deſiderium Sanctus Thomas ipſe pro quodam ſimplici motu in rem amatam abſentem accipit competentem tam concupiſcentiæ, quam cupiditati. *Pars affirmans probatur.* Et concupiſcentiam propriè attribuit animantibus , quare ergo his deſiderium negat? Ruiſum omnis cupiditas deſiderium eſt, at cupiditates in animantibus ,& Sanctus Thomas, & Ariſtoteles collocat , quamobrem igitur non & deſideria ? eſto tamen , quod animantium huiuſmodi appetitiones propriſſimo vocabulo concupiſcentiæ dicantur. Ariſtoteles in libris de anima ſic habet . *Alijs ineſt nutritiuum, & ſenſitiuum , quod ſi ſenſitiuum , certè ineſt etiam appetitiuum . Appetitus enim eſt cupiditas , ira , & voluntas . cuncta vero animantia vnum habent ſenſum , ideſt tactum , cui autem ſenſus ineſt, ei voluptas quoque , ac dolor, nec non iucundum , & moleſtum ineſt . Sed quibus hæc inſunt , etiam cupiditas ineſt . quandoquidem hæc eſt appetitus viuendi .* Sed ad deſiderij diuiſionem redeamus.

S. Chriſoſtomi diuiſio deſiderij. Sanctus Ioannes Chriſoſtomus tres in partes diſtribuit deſiderium . *Cupiditates , inquit , aliæ neceſſariæ ſunt, aliæ naturales, aliæ neutrum . Vt exempli gratia , edendi , bibendi , dormiendi neceſſaria. Corporum Amor naturalis eſt non neceſſarius , multi namque eum vincunt , neque tamen pereunt . Pecuniarum auiditas neque naturalis eſt , neque neceſſaria , ſed ſuperuacua ; modo voluerimus , neque à principio eam complectamur .*

Cōtra diuiſiones prædictas arguitur. Vtrique horum diuiſioni aliquid obijci poſſe exiſtimo. primum enim quæro ; appetitus in leone carnium edendarum eſt ne naturalis, aut aſcititius ? minimè,inquies,nam naturalis actio eſt,bene habet. & tamen haud eſt communis;igitur non omne quod eſt naturale,commune etiam deſiderium erit , quod eſt contra Ariſtotelis doctrinam.Rurſus malè omnino Ariſtoteles in communibus, & neceſſarijs numerauit propagandæ deſiderium ſpeciei,quod fortaſſe etiam à Platone factum eſt,de qua re paulo poſt . *Contra Ariſtotelem.* Rurſum ſi Chriſoſtomo viſum pecuniarum appetitionē inter ſuper vacanea eſſe ponendam:quare appetitionem liberalitatis , ſeu fortitudinis , ſeu aliarum quarumcumq;virtutum cupiditatem,non inter ſuperuacanea includit?aut qua in diuiſionis ſuæ parte includet?ſanè non inter cupiditates,quæ naturales ſunt, neque enim virtutis deſiderium perinde eſt,atque cibi . Abſtinere enim à virtutis acquiſitione,integra vita poſſum:cibo, non item.an inter ea,quæ non neceſſaria exiſtimantur? at hæ communes quidem nobis eſſe , ac beſtijs viden-

videntur, eo ſolo diſcrimine, quod in ea beluæ naturali, ac neceſſario impetu ferantur, homini in hoc deſiderium libera, & ex ſuæ libertatis arbitrio poteſtas exoritur. Itaque in Chriſoſtomi diſtributione exactiorem diligentiam deſidero. Sed huic doctiſſimo viro vnum illud hac in re propoſitum ob oculos fuit, ne concupiſcentiam corporum inter naturalia, & neceſſaria poneret, quod videbat à Platone, Ariſtotele, imo & ab alijs Philoſophis multis, nequaquam fuiſſe ſeruatum: qui concupiſcentiam Venereorum æque, atque illam, quæ ciborum eſt, eſſe exiſtimarunt, quod & Sanctus Thomas in Ariſtotele adnotauit.

Contra eam, quæ eſt Chriſoſtomi.

Excuſatur Chriſoſtomus.

Concupiſcentia corporum Ariſt. neceſſaria. Sic & alij.

Et ſane hi de ſuo vitio naturam hominum vniuerſam perpenderunt, aut vt ſe excuſarent, crimen commune fecerunt. Ariſtotelis ergo demiror prudentiam, quando illum dicentem audio, *Mulierem malum quidem eſſe, ſed neceſſarium:* multo magis eum Hermææ pellicem non modò in delicijs habuerit, ſed & vxorem duxerit, ei ſacrificia tanquam numini obtulerit, qualia Athænienſes Eleuſinæ Cereri facere conſueuerant. Mulieroſo vir ingenio, & *mentis inanis*, vt aibeat Theocritus Chius, & ſi alios excellentiſſimo mentis acumine anteierit. Quamquam alij non pellicem illam, ſed filiam Hermææ exiſtiment fuiſſe, cui diuinos attribuerit honores. Obijciunt etiam ei ſocero Peana ſcripſiſſe, quod poematis genus, non niſi Dijs pangebatur, atque hac de cauſſa in iudicio damnatum, & cicutæ epoto ſucco deſijſſe inter viuos cenſeri. Nullum mihi temporis ſpatium conſumi patiar in ſingulorum Philoſophorum turpitudinibus, inceſtiſque peruulgandis, quorum in hac re petulantiam alibi perſtringam, vnicis Chriſoſtomi verbis vtar. *An temperans*, inquit, *fuit, continentemque vitam egit Sinopenſis ille; vt qui etiam legitimas nuptias non ſuſtinuerit? Sed adde obſecro temperantiæ, ac continentiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes, quin libentius temperantiæ laudes illi detraxeris, quam temperantiæ eius modum prodideris. Adeo certè ille infamis, ac magno dedecore plenus. Percurrerem hoc loco, & ceterorum nugas, ſtultum, ac vanum ſtudium; denique turpitudinem. Vbi enim quæſo, vtile eſt, ſeminis humani guſtu non temperare, id, quod faciebat Stagirites? quale commodum cum matribus, ac ſororibus miſceri? Quod quidem Philoſophus Stoæ præfectus lege ſanxit. Percurrerem etiam Academiæ Principem, illiuſque diſcipulum, item, & eos, de quibus maior eſt admiratio his, quos nominas, obſcæniores fuiſſe demonſtrarem, Obſcænum quoque puerorum amorem ab illis in honeſtatis, ac Philoſophiæ parte annumeratum, omni retecta allegoria denudarem; niſi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret, Hæc Chriſoſtomus.*

Reprehenſio Ariſtotelis.

Crimina eius.

Vxoris adoratio.

Socero pæana ſcripſiſſe.

Condemnatio.

Mors.

Philoſophi à Chriſoſtomo libidinis arguuntur.

Diogenes.

Ariſtoteles.

Zeno.

Plato.

Ariſtoteles.

Socratem tangit.

Sed in eam te cogitationem ex his deduci ne ſinas, nullam apud antiquos illos exiſtimationem viguiſſe pudicitiæ. fuit hæc in magna ſemper dignitate, ac laude, quod eius exempla teſtantur. Referam, quæ de Eſſenis Solinus, & Plinius commemorati ſunt.

Pudicitia ab antiquis obſeruata.

Solinus de pudicitia eſſenorum.

Interiora, inquit ille, *Iudeæ, quæ occidentem contuentur, Eſſeni tenent, qui præditi memorabili diſciplina, receſſerunt à ritu gentium vniuerſarum Maieſtatis, vt reos, prouidentia ad hunc morem deſtinati: nullæ ibi fæminæ. Venere ſe penitus abdicarunt. Pecuniam neſciunt Palmis victitant. Nemo ibi naſcitur. nec tamen deficit hominum multitudo. locus ipſe addictus pudicitiæ eſt, ad quem plurimi, licet vndique gentium properent, nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides, & innocentiæ meritum proſequatur; Nam qui reus eſt, vel leuis culpæ, quamuis ſumma ope adipiſci ingreſſum velit, diuinitus ſummouetur. Ita per immenſum ſpatium ſæculorum (incredibile dictu) æterna gens eſt, ceſſantibus puerperijs.*

Eſſeni quinam?

Hæc Solinus, qui vide an Chriſtianorum Eremicolarum regionem olim Iudææ habitantium deſcribat. quos etiam Philo laudauit in Eſſenorum nomine, vt Sanctus Hieronymus aduertit. vt vt ſit, Solinus, quæ de Eſſenis ſcripſit à Plinio mutuatus eſt, cuius & verba non me pigebit afferre.

Plinius de iiſdem l. 5. c. 17.

Ab occidente, inquit, *littora Eſſeni fugitant, vſque qua nocent, gens ſola, & in toto orbe, præter cæteras mira, ſine vlla fæmina, omni Venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum. In diem ex æqua conuenarum turba renaſcitur large frequentantibus, quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per ſeculorum millia, incredibile dictu, gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.*

Bonum Solini de Eſſenis iudicium.

Hæc illi quo in vtroque ſcriptore duo aduertenda. primum iudicium Solini, pudicitiam in Eſſenis collaudandantis, & illos in exemplum tantæ rei à Deo inductos putantis, & hoc genus vitæ in adeuntibus, & amplexantibus commendantis. contra Plinium, Eſſenos, & Eſſenis accedentes, eorumque viuendi genus amplexantes vituperantem.

Peruerſum Plinij de iiſdem iudiciū.

Alterum, hos populos, quamquam Eſſeni vocentur, & fuerint re vera gens ex Iudæis ſanctè, ac purè vitam ab hominum frequentia ſeorſim caſteque agens: de qua Ioſephus, & Philo. Plinium tamen, & Solinum confuſis nominibus de Chriſtianis fortaſſe eſſe loquutos, qui per Iudææ, & Aegypti regiones deſerta loca, & inculta coluerint per ea tempora frequenti multitudine, cum omnium virtutum pudicitiæ præſertim obſeruantia, atque exercitatione mirabili.

Ioſeph l. 18. tantique Philo de Eſſenis.
Eremicolæ Chriſtiani.

Ethnicis laudata Pudicitia.

Veruntamen apud Ethnicos etiam, & Chriſtianarum virtutum ignaros digno honore celebrata pudicitia eſt, quod illa teſtantur carmina apud Catullum.

Ex Catullo.

Ex roſa pudicitia commendatur.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro.
Quem mulcent auræ, firmat ſol educat imber:
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic virgo, dum intacta manet, tum cara ſuis. ſed

Cum

Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.

Sed Poetica hæc ſunt, inquies, quibus in re graui fides non vſquequaque adhibenda, & hoc ex roſa argumentum in contemptum pudicitiæ verſum ab alio poeta eſt.

Quam longa vna dies, ętas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.
Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
Succedens ęuum prorogat ipſa ſuum.
Collige virgo roſas, dum flos nouus, & noua pubes:
Et memor eſto ęuum ſic properare tuum.

Auſonius in idilio Roſæ. *Ex roſa eadem vituperatur.*

Poetis ergo omiſſis, ſcio apud Romanos. Virginitatem à puellis Veſtalibus non minore diligentia in corporibus, quam ignem in ara ſeruatum. Scio pleraſque intactas omnino ante matrimonium, ſed ab omni viri non concubitu modo, ſed contactu, ſed aſpectu continuiſſe. Lego Aeleſium in omnem vitam à ſeminis effuſione abhorruiſſe, quamquam multa huiuſmodi antiquorum apud alios exempla ſuppetant, quæ ſi noſſe velis adire auctores licet. Nunc ad alia properamus.

Exempla ſeruati Pudoris.

SECTIO IV.

ALTERA EARVMDEM DESIDERIORVM DISTRIBVTIO.

Concupiſcibile triplex, Opes, Venerea, dominatus: Seneca correctus Ioannis Apoſtoli dictum ex Auguſtino explicatum: Hydrę cupiditas comparata ex Horatio Diogenis ad Alexandrum oratio ex Dione. Tres concupiſcentię deſcriptę, & earum Genij. Auarus depictus, Immanis, ſuſpicax, impius, miſer, ſordidus: libidinoſorum mores: Genius quid? Malorum Dæmonum munia Ambitioſorum mores Icaro ſimiles.

HÆc à rebus, quarum homini deſiderium ineſſe putant, deſumitur; hæc cum pœnè infinitæ ſint, ad quatuor capita reducit Seneca.

Ex rebus cupitis.

Rupere fœdus, impius lucri furor,
Et ira pręceps. Quęque ſuccenſas agit.
Libido mentes, venit. Imperij ſitis
Cruenta.

Seneca ex Hippolit.

Hæc ſunt cupido opum, cupido vindictæ, cupido Venerea, & cupido dominandi. Veruntamen vltimis cupiditas omnino eſt à deſi-

Diuiſio trimembris.

deſiderij diuiſione abigenda quandoquidem ira, quæ eſt vindictæ appetitio peculiaris perturbationis omnino à deſiderio ſeiunctæ genus eſt. Reſtat ergo trimembris rerum cupitarum diuiſio, cum.ſ. opes per auaritiam, corpora per concupiſcentiam, honores per ambitionem deſiderantur, quæ ſapientiſſimè dinumerauit Ioannes Apoſtolus. *Omne*, inquiens, *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. quæ tria Sanctus Auguſtinus ſic extulit. *Ad concupiſcentiam carnis pertinent illecebræ voluptatum; ad concupiſcentiam oculorum nugacitas ſpectaculorum, ad ambitionem ſeculi inſana ſuperbia: Illecebræ autem voluptatum ſunt, dapes ſuperbæ, exquiſitæ: vina nobilia, pretioſa, mulieres, & res Venereę. Nugacitas ſpectaculorum extendendæ eſt, vt non ſolum amplectatur ea, quę in ſcęna, & theatro, circo, arena, & naumachia per ludum, & ludicra exercentur:* Sed ad aurum, argentum, & pretioſa metallorum genera, ad chimica, ad gemmas, ad opes, ad prædia, hortos, villas. Ad inſanam ſuperbiam ſpectant ædes magnificæ, veſtes ſuperbæ, ornamenta, faſtus, dignitates, magiſtratus, imperia, dominatus, ambitiones, prælia, contentiones, bella. Superflui ſumptus in oſtentationem, & formam, & nominis extenſionem.

Ex Ioanne Apoſtolo.

Quid ad quod quis membrum referatur ex Auguſtino.

Hydra triceps eſt, cuius vno capite detruncato alia repente multa de caudicę capitula reſultant. Hanc cupiditas imitatur, ſi non ſub hydræ imagine fabuloſa cupiditas ipſa deſignatur, quod apud Dionem in fabula lybiça demonſtratur. Deſideria in immenſum creſcunt, & ex vno trunco ſexçenti pullulant rami. de quibus inferius dicendum.

Hydra comparata cupiditas.

Horatius.

Non hydra ſecto corpore fortior
Vinci dolentem creuit in Herculem.
Monſtrumque ſubmiſere Colchi
Maius, Echioniçue Thebę.

Sed de hoc triplici deſideriorum Cerbero libet inſerere pauca ex diſſertatione Diogenis Philoſophi ad Alexandrum Regem excerpta, quæ apud Dionem pluribus deſcripta reperies.

Dio. Chriſoſt. orat. 6.

Tribus dominantibus vitę rationibus in quas maxime quam plurimi incidunt irrationabili impetu appulſi, tot etiam dicendum eſt eſſe genios, quos ſequuntur, quibuſque inſeruiunt, indocti hominum cętus. Eſt autem harum, quas dixi viuendi rationum vna mollis, & delitioſa circa corporis voluptates, altera autem auara. & diuitiarum amans. Tertia ambabus illuſtrior, magiſque perturbata ambitioſa, & amans gloriarum. Age triplicis Genij, trium viuendi rationum diuerſam, & contrariam qualitatem oſtendamus. Eſto igitur auarus Genius auri, & argenti, & telluris, & pecorum, & ędium, & omnis poſſeſſionis amator. Nonne igitur tetricuſque, & mæſtus aſpectu inque habitu humili, & ignobili fingeretur ab opifice artis non ignaro? preterea ſqualidus, & ſordidus eſt, nequę filios, neque parentes, neque patriam amans, neque cognationem, nec aliud quid ęſtimans, quam pecunias.

Diogenis ſermo ad Alexandrum

Tres concupiſcentiæ.

Tres earum genij deſcripti.

Genius concupiſcentiæ oculorum ſeu auari.

Deſcribitur.

nias. Deos autem eſſe non plus exiſtimat, niſi ſi multos illi, & magnos theſauros commonſtrant, aut familiarium quorumdam mortes, & cognatorum, vt hereditates adire poſſit. Dies autem feſtos damnum putat, & inanem ſumptum. Omnis plane riſus expers eſt, metuit omnes, damnoſoſque putat; & nemini credit, rapax quidpiam obtuetur. Semper mouet digitos, aut ſuas ipſius ſupputans facultates, aut alterius cuiuſpiam. cetero ſenſu caret, & indoctus eſt.

Hæc, & alia de cupiditate habendi Diogenes plurima, quorum exemplum habes luculentius effictum apud Plautum in Euclione, qui Theſaurum domi reconditum habebat, homine auariſſimo. en ipſum.

Exemplum huius concupiſcentiæ, & Genij.

Ex Plauto in Aulul.

Pauper ſum fateor, patior, quod di dant fero.
Abi, intro occlude ianuam: iam ego hic ero.
Caue quemquam alienum in ædes intromiſeris.
Quod quiſpiam ignem quærat, extingui volo,
Ne cauſſæ quid ſit, quod te quiſquam quæritet.
Nam ſi ignis viuet. tu extinguito ex tempulo.
Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet,
Culterum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
Quę vtenda vaſa ſemper vicini rogant,
Fures veniſſe, atque abſtuliſſe dicito.

Auarus immanis

Et hæc quidem duritiem, & immanitatem animi auari indicant. illa ſuſpicioſi, & omnia in peiorem partem accipientis.

Non temerarium eſt, vbi diues appellat pauperem, &
Nunc petit, cum pollicetur, inhiat aurum, vt deuoret.
Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.
Nemini credo, qui largè benignus eſt.

Suſpicioſus.

Alia liberos, & ſanguinem ſuum nihil pendere iubent: en quid reſpondet Euclius Megadoro filiam eius in vxorem poſcenti.

Impius in ſuos.

At nihil eſt dotis, quod dem.

Quæ ſequuntur miſerum, ſordidumque oſtendunt.

Venio ad macellum rogito piſces, indicant.
Caros, Agninam caram, caram bubulam
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.

Miſer.

Sordidus.
Plautus ibid.

Hæc emi debuerant ob nuptias filiæ, & ad diem feſtum feſtiuè celebrandum.

Egomet mecum cogitare inter viam
Occepi, feſto die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat, niſi peperceris.

Sed Diogenem audiamus iterum de cupiditate Venereorum differentem. *Eſto etiam iam ſecundus vir, & Genius illius viri, qui voluptatis profert orgia, & hanc Deam admiratur, & honore afficit ſupra modum muliebrem Deam, varius, & multiformis circa odoratum, & guſtum*

Cupiditas Venereorum, & eius Genius.

Viri libidinoſi mores.

Dio Chriſoſt. orat. 6.

tum

tum inexplebilis, immo etiam puto circa omnes viſiones, & auditiones quæcumque ad voluptatem aliquam faciunt. inexplebilis etiam tactus cuiuſque lenis, ac mollis, lauacrorumque quotidie calidorum, imo binorum quotidie, & vnctionum inſuper, & veſtimentorum mollium. Ad volutationes, & accubitus ſtudioſè paratos, & miniſteria accurata iuxtà omnem concupiſcentiam, & vſum propenſus, & circa hæc omnia obſtupefactus, maximè autem, & intemperantiſſimè circa rerum venerearum acutam, & flagrantem inſaniam fœmininarum, & maſculinarum commiſtionum, & aliarum infandarum, & innominatarum turpitudinum. Cui ſi affluat alicunde ſubſtantia nunquam deficiens ad expenſas in maxima, & abundanti volutatur libidine vſque ad ſenectutem. Sin minus admodum citò conſumptis præſentibus egenus fit, intemperans, & laſciuus in pecunia tumet deſiderio valde grauiter concupiſcentis relinquentibus. Huius voluptuarij Genius delitiarum plenus vnguentum, & vinum exhalans crocotam indutus cum multo, & inordinato riſu, ebrio aſſimilis, & commeſſanti totos dies laſciuè, ac petulanter coronis quibuſdam marcidis coronatus caput, & circa collum, & obliquè incedens, ſaltanſque, & cantans muliebre, & inconcinnum carmen. Ducitur autem à mulieribus impudentibus, & laſciuis, quæ concupiſcentia dicuntur alijs ad alia trahentibus. ille nullam illarum reijcit, neque eis contradicit, ſed paratus, & promptus ſequitur. Illæ autem magno labore cum cymbalis, & tybijs ducentes inſanientem illum procedunt. Is vero ex medio illarum proclamat acutius, & incontinentius albus aſpectu, atque delicatus; tempeſtatum, atque laborum inexpertus, inflectens collum, humidis oculis meretricum more obtuens, corpus ſemper aſpectans, animo prorſus neglecto, eiuſque præceptis. Hunc ſtatuarius, aut pictor effingere iuſſus non alteri facere poſſet ſimiliorem, quam certè regi Syriæ cum Eunuchis & concubinis domi viuenti, qui exercitum, & bellum, & forum omnino nunquam vidit.

Quid ſit Genius concupiſcentiarũ. Eleganter ſane à Dione inductus Diogenes de concupiſcentia carnis eloquitur, ad quam multas, nec ab re concupiſcentias alias refert, quas in concupiſcentia oculorum, alij poſuerunt. Genij autem nomine, ſeu dæmonis quid intelligat Philoſophus incertum mihi eſt. non incommode autem inlelligi poteſt, inclinatio, ſeu propenſio eiuſdem, qui cupiditatis huius illecebris detineatur, aut etiam ſpiritus aliquis nequam, qui ad eas concupiſcentiarum ſordes, ſuis dolis, ac fraudibus hominem inducat. *Dæmonum quorundam officium.* Sunt enim quidam ex eo numero, quorum opera, ac ſtudium in hoc peculiariter impenditur, vt ad auaritiæ deſideria propellant: ſunt & alij, qui concupiſcentiæ corporum allaborent, & ſunt, qui in ambitionem extollant. Horum etiam mores, & actiones ita componuntur, vt ei concupiſcentiæ ſe attemperent, quam in humano animo imprimere ex officio habent.

Concupiſcentia ambitioſi, & Genius. Iam vero Genius ambitioſorum, talis eſt, *Alatus, & ventus expoſitus, ſemper in ſublimi ſuſpenſus, neque vnquam terram, aut aliquid ſimi-*

ſimile contingit, ſed excelſus, & ſublimis fertur, exultatque, & altius in æthera ſe extollit, quando ſerenum eſt, & fauonij ſpirant. Frequenter autem ſe in tenebroſa abſcondit nube, quando concurrente aliquo ignominiæ, aut metus impetu à populo, quem ipſe ſuæ felicitatis dominum præſcribit. non ille conſtans, vt aquila eſt in ſuo volatu, ſed Icari inſtar, iuuentute, atque iactantia deferente, eum periculosè, inconſtanterque ſubuolauit, tandem in interitum ruit. Vir autem huic Genio obtemperans ei, cui paret, ſimilis, & volutus ſemper, & circum rotatus, populorum adulator, & turbam in concionibus, in oſtentationibus regum, aut tyrannorum amicitijs, & cultu, moribus præditus eſt contentioſis, fatuis, futilibus: ſuperbiæ, & æmulationi, atque omnibus huiuſmodi ſauis, ac feris affectionibus maximè accedens. Hæc Diogenes Alexandro ex Dione de tribus concupiſcentijs diſſeruiſſe fertur.

Ambitioſus Icaro ſimilis.

Eius mores.

SECTIO V.

CONCVPISCENTIARVM EXCRESCENTIVM ORIGO PRÆCIPVA.

Locus Sancti Pauli illuſtratus. Dei notitia antiquis facilis fuit. non adoratio, & obſeruantia. Hinc ortus ſuperbiæ, inſipientiæ, idololatriæ, & Deorum numerus. Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum. Idololatræ omnes Philoſophi. Hinc libido omnis venerea; Iterum locus ad Romanos explicatur. Occaſiones peccandi cur à Deo poſitæ. peccatum an pœna ſit alteriùs. Vnde praua deſideria. Idololatria quomodo immunditia, expoſitio duplex, Fornicatio cur ignominia: reliqua venerea cur paſſio ignominioſa. Dei contemptus fons omnis mali. Varij in hoc gentium abuſus. Iterum de Philoſophorum libidinibus. Ariſtoteles, & eius dictum damnati. Mulier malum quomodo? Conditiones vxoris. falſum eſt eſſe malum neceſſarium. Ariſtotelis ſcortum, & ſcortatio. Item Platonis Xenocrates laudatur. Hæretici impudentia mens, magiſtri.

Hanc non minus diſertè, ac verè aperuit, Apoſtolus gentium Paulus, hiſce verbis. *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; Sed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quatrupedum, & ſerpentium.*

Cauſſa originalis concupiſcentiarū vehementia. S. Paul. Rō. c. 1.

Poterant, inquit Paulus, homines rationali lumine præditi, ex contemplatione aſpectabilis huius mundi fabricæ, in artificis veram cognitionem aſcendere. Eſt enim tam manifeſta, tam euidens, tam illuſtris Dei omnium rerum Opificis de ipſo doctrina, quæ vel in cœleſtibus ſpheris eſt aureis ſtellarum aſtrorumque deſcripta literis; aut in ipſis elementis per varias animantium delineata figuras, aut in terris copia, ac diuerſitate florum, fructuum, ac frugum per ſtatas anni vices euntium, redeuntium, deducta luculenter; vt inexcuſabilis ſit, ſi quis ab ſe Deum ignorari, horum omnium auctorem audeat fateri. Vere enim pronunciatum eſt *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* Verum agnouerunt illi quidem, & alios hac de veritate docuerunt. Sed cum ex hac diſciplina eum percipere debuiſſent fructum, quem oportebat, vt ſcilicet grati parentem, ac Dominum reuererentur Deum, eique de mundi molitione, & prouidentia circa ipſum conſeruandum gratias referrent, & contemplationem cognoſcendi ad ſtudioſe operandi praxim deducerent, id quidem non præſtiterunt: ſed ingeniorum cogitationumque ſuarum ſuperbia tumeſcentes, vt Sanctus Auguſtinus, ac Bernardus expoſuerunt, euanuere per inanem faſtum, ac gloriam, & cum alta ſe ſapere iactitarent, paulatim deſipere inceperunt, atque à vera veri Dei cognitione per obſcuritatem intellectus eo vſque delabi, donec in inſipientiæ foueam corruerent, neque aduerterent ad lapſum. Hic primus gradus eſt. ad quem ſequitur ſecundus. Cum enim ad hanc diuinæ Maieſtatis in rebus creatis intermicantem lucem noctuæ hæ ſuo vitio cæcutientes, aciem non conuerterent; alibi Deum ſibi quæſierunt, & pro vero Deo Idola inuexerunt aſſumpſeruntque adoranda, & pro numine habendos, aut homines interitui, ſceleribus, & vitæ perturbationibus obnoxios: aut hominum ſimulacra, qui non modo Deo immortali comparandi, ſed neque ſuis quidem ipſis imaginibus erant conferendi; quæ diuturniores his quorũ sũt effigies, lõgius æuũ ferunt. Quin etiã eo prolapſi, vt nõ homines, aut hominum ſimilitudines, ſed ipſas etiam animantes mutas, & nullo rationis exercitio nobiles, loco numinis excoluerint. Exiſtimarunt enim vim quandam Idolis illis ineſſe diuinam, vt non ſolum imagines eſſent, ſed in Dei partem, naturamque venirent.

Notitia Dei ex rebus creatis.

Pſ.

Nõ vero adoratio, & obſeruantia.

Sed ex cognitione ſuperbia.

Ex ſuperbia inſipientia veri.

Ex hac Idololatria.

Et quoniã earũ rerũ nulla perſonã tantã ſuſtinere poterat, qualitateſq; eas continere, quibus ornatum eſſe oporteat, eum, qui Deus ſit, quod in vna aliqua re nullo modo reperiri fas erat, id in deorũ ſe multiplicitate conſequi poſſe putauerunt. Ita tantus apud illos Deorũ numinumque numerus excreuit, vt percenſeri nequaquam poſſit. Et qui ſolẽ, lunã, ſtellas, aſtra in hoc albo repoſuerunt, quamquam ſtultiſſimè id quidem, non tamen ita ſe abiectè geſſerunt, vt ad allia, & cæpas, & olera adoranda deuenirent, quemadmodum

Et Deorum multiplicitas;

Aegyptiorũ dij.

apud

apud Aegyptios factitatum legimus. Græcorum autem, qui ſapere in orbe terrarum viſi ſunt quanta fuit diuiniratis in hominibus multiplicandæ cacoethes? nam non viros ſolum, ſed mulieres, credo, vt neuter ſecus inuidia contabeſceret non vnius ætatis, ſed omnis, non cœlibes, & ſeiuges, ſed vxoratos, mulieroſos, pederaſtas indigetarunt. Ergo apud hos connubia, ſtupra, conceptiones, vteri tumentes puerperia, æmutationes, inuidiæ, inimicitiæ, fraudes. Quã variæ, quam diuerſæ in his formæ, ac ſpecies oris, ac corporis? Quidam criniti, ac imberbes, alij barbati, alij leues, lenes, ſenes, iuuenes, pueri, viri, aliorum color cæſius, rauus, glaucus, ruber, fulgineus pallidus; vultus hilaris, mæſtus, truculentus, aſper, honeſtus procax. Sed ſi quis Romanos velit enumerare Deos, deaſque; qnem vero finemhuius inueniet oratio? Illi enim præter quod omnium nationum Deos Romam aduocarunt, aras, & thura, & libationes, & cultus attribuerunt: ſuos etiam peculiares in omnibus negotijs, atque operibus, etiam abiectis, ac ſordidis, quæ fieri natura iubet, tutelares Deos, familiareſque deputarunt. legendi ſunt hac in re Lactantius, Arnobius, Tertullianus, Athenagoras.

Græcorum. *Arnob. l. 6.* *Romanorum.* *Lactantius. Arnobius. Tertullianus. Athenagoras.*

Neque vero ab horum Deorum cultu quemquã excipi poſſe reor, aut Philoſophum, aut rudem, nobili genere illuſtrẽ, aut magiſtratu vrbano, aut militari inſignem, vel plebeium, atq; obſcurum. niſi forte quempiam occultiſſimis Dei omnipotentis præſidijs auxilijſque ſuffultum cuius nomen ſoli Deo notnm. Itaque nihil proficit Catharinus, imò operam ludit ſuam, dum de Socratis, & Platonis ſalute bene ſe opinari ſcribit, qui aliorum doctiſſimorum virorum iudicio, quin, & Athænienſium, & ſuo damnati ſunt, tanquam Idolorum, Geniorum Aeſculapij cultores. Hoc in vniuerſum de Philoſophis, & ſi quis ex antiquis gentibus, quidquam ſapuit, à me prolatũ ſit. Quod tamẽ nõ ex meo, ſed ex Patrũ ingenio deprõpſi. Eos aut nullũ agnouiſſe, coluiſſeq; Deũ ſiuè verũ, ſiuè falsũ; vel cũ vnũ verũ agnouiſsẽt, idola tamẽ coluiſſe, per legũ ſuppliciorũq; metũ, aut Idola ꝓ numine, vel ꝓ imaginib⁹ numinũ exiſtimaſſe; qui pęnè omnes.

Philoſophi omnes Idololatræ. *Item vulgus: Vix quis excipitur ex Dei ſingulari beneficio. Non Plato non Socrates. Contra Catharinum.* *De antiquis Philoſophis iudicium*

Vides quã late patens oſtiũ, quã ampla, atq; alta vorago turpiſſimis Deorũ, dearũq; factis, exẽplis, fęditatibus, cupidinibus oppleta, atq; in perſpectãtes homines peſtilẽtiſſimã cõcupiſcẽtiarum vitiorũq; exhalãs mephytim. Sequitur enim Paulus, & docet. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorũ in immũditiã, vt cõtumelijs afficiãt corpora ſua in ſemetipſis, qui cõmutauerũt veritatẽ Dei in mẽdaciũ, & coluerũt, & ſeruierũt creaturæ potius, quã creatori, qui eſt benedictus in ſecula amẽ.*

Idololatriæ oſtiũ, & vorago cupiditatum. Paulus ibid.

Tradere autem dicitur Deus hominem in deſideria, cum ſua volũtate permittit, vt ſpõte ſua volens, ac libens cõcupiſcat mala; & poſt concupiſcentiam, eadem concupita opere perſequatur. quo in caſu Deus gratiam homini illi non ſolum negat, quam efficacem Theologi appellant; ſed occaſiones etiam, & offendicula veluti obuiam

Quomodo Deus tradit hominem in vitia.

ſtatuit, in quæ offenſurum illum præuidet, nullo autem modo ad eum finem iſthæc inter pedes obijcit, quo ſcilicet præcipitem illum agat; prefiniendo, aut predeterminando, vel impellendo ad malum; quin potius id circo hæc illi coram proponit, vt boni quidpiam agendi ex horum occaſione anſam arripiat.

Cur occaſiones peccandi ponat Deus.

Aduertendum autem hoc loco, quam acutè, ac propriè locutus ſit Apoſtolus, cum dixit, *propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum*. quamquam enim non, quotieſcumque Deus voluntate ſua permittit, aut hominem peccato tradit, toties iudicem agit, atque illud peccatum in pœnam, vult alterius prioris culpæ; tamen in hoc caſu ita euenit, vt concupiſcentias has propterea voluerit in hominibus graſſari Deus, quod per ſuperbiam, iactantiam. & cultum Idolorum à veritate in mendacium defluxerunt. Iam & illud adnotant quidam, quod hæc deſideria non ſint ab Apoſtolo appellata deſideria cordis humani, ſed *cordis eorum*, hominum ſcilicet qui peccarunt, quaſi hæc ſcelera non à natura humana ſimpliciter; ſed ab ea tam turpiter deprauata pullulaſſent.

Acumen S. Pauli

Non ſemper vnū peccatū eſt pœna alterius, ſed aliquando eſt.

Vnde prius in homine deſideria.

Quæ autem immunditia eſt, & contumelia, qua ſe in ſuis corporibus afficiunt hi Idololatræ? an illa quam ipſa Idolorum adoratione contrahunt; quæ toties in ſacris litteris fornicationis, & adulterij nomine perſtringitur, & quemadmodum, qui meretrici adhæret vnum corpus efficitur cum meretrice, ac propterea ſe ipſum contumelia afficit, ita, qui idolis fornicatur, aut adulterat in ſeſe contumeliam admittit. Non incommodus hic ſenſus eſt; Sed hæc ab Idolis contumelia promanans neſcio corpora ne, an potius animas commaculet. ſenſus autem Pauli eſt de corporali contumelia. Exiſtimo ergo ſermonem ei de fornicationibus, atque adulterijs corporis eſſe. primum enim permiſit Deus, vt ſcelerati homines non contenti vxoribus ſuis, quas in domum ſuam per matrimonium legitime contractum duxerant, hinnirent, equorum more, ac furerent in alienas, aut in non ſuas per quæ ſcelera ſe ipſi defœdarent, atque adeo contumelioſa, ac fœda redderent propria corpora. poſt quæ peccata, quæ in libidinum genere prima ſunt, & grauia, quamquam ſequentibus leuiora; ſuperaddit alia grauiſſima. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem, & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris ſui. in ſemetipſis recipientes*. fornicatio ſimplex, & adulterium ignominia quidem appellatur à Paulo; dedecorant enim peccantem, at non ſunt paſſio ignominioſa. hoc enim nomen, ea complectitur libidinum monſtra, & genera, quæ à naturali via, ac tramite aberrant; quibus, qui laborant Pathici ſolent appellari, quorum duo genera numerat

Immunditia Idololatrarum quæ?

S. Pauli explicatio prima.

Expoſitio ſecunda melior.

Fornicatio eſt ignominiosa.

Reliqua carnis peccata ſunt paſſio ignominioſa.

rat Apoſtolus. de quibus fœminæ, quæ id exercent Tribades, viri Pederaſtæ. pueri, Catamiti, Cinædi, Pathici. nouorum in hoc genere criminum inuentores Spinteriæ, à Nerone dicti.

Pergit Apoſtolus, *& ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate: ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.* Contemptus Dei, & omniũ malorũ origo.

Atque hæc omnia inde tanquam à fonte oriuntur quoniam *non probauerunt Deum habere in notitia*: quia ſcilicet illis cordi non fuit, Deum, quem ex rerum conditarum ſpeculatione cognitum habuerunt, retinere ſibi per venerationem, & cultum. quemadmodum à Salamone dictum antea fuerat, *initium omnis fornicationis eſt exquiſitio Idolorum, & adinuentio illorum, corruptio vitæ eſt.* Cæcitas mentis ex libidine.

Tam vero latè peruagata hæc libidinoſarum peſtis infeſtiſſima concupiſcentiarum, tamque altè cor hominum tabefecit, vt pudore peccandi protrito multi illam populi publicè iam ſine vllo pudoris, ac verecundiæ velamento promiſcuo vſurparint, multi legibus ſanxerint; atque pro Deorum ſuorum religione ſeruanda, vtque eos ſibi deuincirent in ſe ſuiſque exercuerint. adeo illam non ſolum rationi minime aduerſari, ſed naturæ humanæ conſentaneam, ac neceſſariam eſſe iudicarunt; & cum ſponte ſua cæcutientes pro Dijs ſuis ſceleratiſſimum quemque ſuſcepiſſent, iterum in aliam ſe mentis aoraſiam inuexerunt, vt pium, ac religioſum à ſe præſtari exiſtimarent, ſi in ſtupris, adulterijs, atque ſacrilegijs eos ipſos imitarentur. En quid apud Babylonios, & Chaldæos fœminæ in ſui Beli cultum excogitarunt. *Mulieres circumdatæ funibus in vijs ſedent, ſuccendentes oſſa oliuarum. Cum autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quod non ſit digna habita, ſicut ipſa, neque funis eius diſruptus ſit.* Idem apud Cyprios, & Lydos Herodotus, apud Perſas Medos, & Armenios. Strabo in vſu fuiſſe docent. Multi inhoneſtiſſimas libidines honeſtas putauere. Baruch. c. 5. Mores variarũ gentiũ libidinoſi. Herodotus, Strabo.

Nulla ergo verborum, aut rerum amplificatione vſus eſt Aleſandrinæ columen Eccleſiæ, & Arianorum terror Athanaſius, cum dixit, *pœne omnes Ciuitates omnibus libidinibus ſcatent, ob immanitatem morum, quam in ſuis Dijs conſpiciunt, neque eſt in hoc genere Deorum, quem caſtum appelles. Olim certè Phæniſſæ mulieres ante Idola proſtituebantur dedicantes numinibus ſuum quæſtum, perſuaſæ meretricatu ea propitia reddi, ac proſperitatem rerum inde naſci.* Hæc ille: poteſt ne autem menti humanæ abſurdius inhærere; quam vt opinetur ſanctum id eſſe, ac laudabile, quod natura ipſa in animantibus damnauit? Idipſum apud Aegyptios tanto in honore fuit, vt quam puellam prius con- Athanaſius.

ſtu-

ſtuprarent, ea laudabilior haberetur. ipſa vero ornatum quemdam publicè geſtaret ſuæ proſtitutionis indicium. Quin etiam apud quoſdam ex illis, puellæ ante nuptias dotem in fornicibus, & proſtibulis comparabant.

Publicè libidinoſi etiam Philoſophi.

Diogenes.

Zeno.
Cinici omnes.
Cleantes.
Chriſippus.

Sed hos mittamus, inſectemur autem illos, qui Philoſophico tecti palliolo, magiſtros ſe ceteris, & ſapientiæ, & virtutum, ac vitæ ſecundum rationem gerendæ choriphæos, & alienorum errorum cenſores Ariſtarchoſque præſtabant. Diogenes cynicus tam in propatulo, & mollis, ac fornicarius, quam cum canicula canis. id quod & Cynici omnes, Philoſophi, & Zenon Cittieius ſtoicæ princeps ſcholæ, quæ à Cynica minimum diſtat, & Cleantes, & Chriſippus, & palam factitarunt, & ex matribus, aut ſororibus liberos ſuſcipere; ſecundum naturam, ac rationem eſſe dictitarunt: & perinde eſſe in ſulcum muliebrem in foro ſemen immittere, atque arborem in horto plantare, & mollem eſſe, idem, ac meiere.

Ariſtot. & hæreticorum dictum damnatum.

Mulier malum.

Sed abſtineo calamum. Quid illud Ariſtotelis dictum, qui in hoc ſapientiam meram ſapere hæreticis æui huius viſum. venerea eſſe in neceſſarijs; & mulierem malum quidem eſſe, ſed neceſſarium: ſilentio ne obuoluetur? Et malum quidem eſſe, ac dici mulieres, hoc eſt, moleſtiarum, turbarum, rixarum, incommodorum pelagus, atque originem viris, qui illis adhæſerint, non ibo inficias. quorum fortiter ſuperandorum, ac ferendorum patienter, niſi ex ſacro Matrimonij Sacramento vim efficacitatemque haurirent mariti, actum planè cum his deploratumque putarem. Sed nos promiſcue in præſentia de quacumque muliere, quæ adametur, pronunciamus, eam malam rem amanti eſſe. Et hac ex parte Ariſtoteli non abnuimus Age ergo; pulchram ne in delitijs habes? Aemulationis facibus exureris, & flagrantioribus, quam quas Amor intulit. nam.

Omnis:
Etiam quæ pulcra.

Iratum;

Rara eſt concordia forma
Atque pudicitiæ.

Etiam pudica.

At eſto, & pulchra, & pudica, conſocietur pudor formæ, qui eam ſolet in immenſum augere, quantus hinc Vulcanus quam inextricabilis, ineuitabilis,

Ah miſer
Quanta laboras in charybdi
Digne puer meliore flamma.
Quæ ſaga, quis te ſoluere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?

Quid cum amatur aliqua turpis.

Turpiculæ ne cuiuſpiam captus es atque irretitus bladitiarum, lenociniorumque retiaculis? quanta hinc infelicitatis ſeges? primum amandum tibi eſt ingratis; tum ſumptus perpetuus faciendus, & aureo militi aureis eſt armis pugnandum ad effugandam ex eo vultu turpitudinem, & quam natura formoſam facere non

potuit,

potuit, tibi eſt omni artificio exornanda, neque vnquam tamen pulchram reddas, ſed forte diuitem, quod aiunt, diſcipulo ſuo Apellem facetè dixiſſe cum Helenam pingere qualis eſſet ore natiuo non valeret, eam & floribus, & ornatu vario ſuper inducto veſtienti.

Iam ſi hæc domum deducenda ſit in matrimonium accepta, quæ tunc, diui boni, mæſtitudo ædes, & animum mariti, cum ingrediente vxore pariter ingredietur? niſi forte ea conditione ducatur, vt à thalamo ſtatim in tumulum. *Quid ſi hac in vxorem?* *Conditio in vxore ducenda.*

Sed his legibus, ſi quam dare vis, ducam, quæ
Cras veniat, Perendie foras feratur. *Plaut. in Aulul.*
His legibus, ſi quam dare vis, cedo, nuptias adorna.

Et hic quidem de omni muliere loquitur. Omnes enim odioſæ, præſertim ex lingua. *Mulieres odioſa ex lingua.*

Nam multum loquaces merito omnes habemur.
Nec mutam profecto repertam vllam eſſe
Hodie dicunt mulierem vllo in ſeculo.

Ex ingenio, & pœne ex natura, vnde illud omnino facete ſi non omnino vere. *Ex ingenio.*

Mulieres duas peiores eſſe quam vnam.

Ex moribus inſulſis. *Ex moribus.*

Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur
Sine omni lepore, & ſine ſuauitate
Niſi multa aqua vſque, & diu macerentur
Olent, ſalſa ſunt, tangere, vt non velis. Item nos ſumus
Eiuſmodi. mulieres ſunt inſulſæ admodum
Atque inuenuſtæ ſine munditia, & ſumptu.

Ex moroſitate in ſe ipſis ornandis, quibus neque annus, neque cenſus eſt ſatis. Nauis, medius fidius, tanto inſtrumento nautico non eget, eget autem plurimo; quanto opus eſt mulieri. *Ex cura ſe ornãdi.*

Negotij ſibi, qui volet vim parare
Nauem, & mulierem, hæc duo comparato
Nam nullæ magis res duæ plus negotij
Habent, forte ſi ceperis exornare,
Neque vnquam ſatis hæ duæ res ornantur
Neque eis vlla ornandis ſatis ſatietas eſt.

Quid ſi locupletem, & bene dotatam venatus es? Nimirum te, & libertatem tuam, & ſomnum, & quietem venum dediſti. *Quid ſi mulier locuples ſit?*

Si quid dotatam vxorem domi ſuæ habet
Neminem ſollicitat ſopor
Ire dormitum odio eſt

Quibus illa non querelis aures mariti obtundit, quæ non ab illo iure ſuo expoſcit, & afferri ſibi imperat? *Vxorum querelæ ac voces.*

Equidem dotem ad te attuli

Maio-

Maiorem multo quam tibi erat pecunia,
Enim mihi quidem æquum eſt purpuram, atque
Aurum dari
Ancillas, muliones, pediſſequas
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.

Quid ſit pauper?

An igitur ſatius indotatam, tenuiſſimæque, aut etiam rei nullius ſibi conſociare? At cornua pauperi addentur. an illuſtri familia præclaram? at Dominam emiſti. an humili natam loco? cum ruſtica, & agreſti conſueſcendum eſt.

Quid ſi nobilis ſi vilis.

Omnes mala.

Optima nulla poteſt eligi alia alia
Peior.

Male Ariſtoteles malum hoc viris ex neceſſitate cõiunxit.

Ariſt. libidini ob noxius

Xenocrates pudicitia ab Ariſtot. carpta.

Cum igitur malum ſit mulier, quæ, malum, Ariſtotelis mentem inſania occupauit; vt neceſſitatem intulerit viris tanto malo vtendi? & ipſe quidem vxorius nimis fuit, vt vidimus, & pudicitiæ aduerſarius, quam cum à Xenocrate tam diligenter foueri videret, vt non ſolum à muliere, & ab omni alio ſeſe auerteret, cuius aut intuitu, aut conſortio in diſcrimen incideret eius amittendæ; ſed ſui etiam ipſius, dum meieret, attactu, abſtineret: auſus eſt improbe de intimis eius viri conſilijs dijudicare, ac pronunciare, *Manus quidem caſtas Xenocrati eſſe, ſed mentem habere piacula*. Cum ipſe Herpillidem ſcortum adamaret interea, è qua Nicomachum filium ſuſtulit, ad quem libros moralium ſcripſit, & cum eodem ſcorto annos plures etiam ad mortem vſq; perfamiliariter vixiſſet. Credo hanc vitæ rationem ex bono magiſtro optimus diſcipulus hauſerat. Platoni enim Archeanaſſa Colophonienſis in amoribus fuit etiam in ſenecta, de qua ipſius Philoſophi extat epigramma.

Scortum Ariſt.

Platonis ſcortum

Eius de hoc epigramma.

Archeanaßam ex Colophone amicam habeo.
Cuius rugis amarus etiam num amor inſidet.
Heu miſeros vos quibus illius iuuentus occurrit.
Primæua, vobis per quantam ignis accenſi pyram.
Vadendum fuit.

Ariſt. cum Xenocrate æmulatio.

Ingenio excellentior Ariſtoteles.

Xenocrates ingenio tardus.

Sed non in his bonus fuit auditor Platonis Xenocrates quemadmodum Ariſtoteles. cui vetus eſt cum illo æmulatio non de ingenio ſolum, qua in re illum etiam atque etiam anteibat, vnde cum Xenocratem docentem videret, iure ab eo dictum eſt.

Turpe tacere; Xenocratem autem ſinere dicere.

Platonis de vtroque iudicium.

Et Plato cum de vtriuſque ingenio iudicium ferret. Hic quidem (de Xenocrate inquit) *ſtimulo, ille autem* Ariſtotelem intelligens *freno eſt opus.*

Ariſtot. Xenocrate minor virtute.

Sed etiam, & maximè de virtute fuit. vrebatque illius oculos videre, quanti fieret vir ille ab omnibus, quantiſque propter continentiam ipſius, & modeſtiam laudibus vndequaque celebraretur. Neque vero nunc ego Xenocratis cauſſam ago. Cuius pudi-

citiam non vſquequaque pudicam fuiſſe, illa indicant, quæ à Valerio narrantur de phryne, & à Laertio de layde. hoc ſolum à me contenditur Ariſtoteli mentem fuiſſe non bonam, coarguique ipſis ſuorum condiſcipulorum, qualis Xenocrates fuit, exemplis vndecunque in illo hoc pudicitiæ ſimulacrum, aut vmbra, aut ſimulatio ortum habuerit. *Valerius.* *Taxatur Xenocrates.* *Laertius.*

Quidquid vero de origine concupiſcentiarum, deque harum in animo concupiſcente dominatu dictum eſt. maximè confirmant hi, quicum à recta, catholicaque fide aberraſſent, ac Deum Deique religionem per ſummam impudentiam deſeruiſſent tantus eorum mentes, ac tam immanis venereorum ardor inuaſit, vt reuocaſſe in Germaniam videantur eos mores, de quibus loquitur. Sexus Empirius. Auſi verò ſunt canes impudentiſſimi dicere, tam neceſſarium eſſe concubitum, quam cibum, & caſtitatem in adinatis cenſere. Nimirum cum ratio humana ſcintilla quædam ſit, à ſumma diuinaque ratione proueniens; ſi illa à rectitudine, Deoque deſciuerit, ratio eſſe deſinit, & in intemperantiæ voraginem, quod beluarum eſt, delabitur, & vitium, quod volens libenſque ſuſcepit in naturam verti, atque inoleſcere putat. Habent ſanè iſti exempla digna ſe, ſuoque ingenio Mahometem, & ſuos. habent quo gloriari poſſunt, Ariſtotelem, & Stoicos, habent Idololatras omnes; omnes Atheos, quorum Deus venter eſt. *Hæretici impudentiſſimi.* *Germaniam ſædarunt.* *Hæreticorū mens deprauata.* *Hæreſi eorum magiſtri.*

SECTIO VI.

EARVNDEM INTER SE CONCVPISCENTIARVM COMPARATIO.

Peccare belluarum eſſe. imò hominum ex Plutarcho. horum ad libidinem pronitas ex Plinio. quantum peccatur in eſculentis, & poculentis. Nouitas placet ex Petronio. Aluus hominis negotium. Vini genera plura, eius effectus mirus. Aquarum genera varia, earum præparatio. Niues, & vaſa ad infrigidandum. Item potoria. Niuis damna. Aquæ factitiæ. Abſtinentiæ laus ex Tertulliano. cui lumen, & accuſatio. Animalia vinibiba, venerea. an hæc temperantia ſint? homo in cupiditatibus peſſimus. deſiderium ex deſiderio. Aedificiorum læta deſcriptio, item nauium. Auari ſumptus nautæ, an auari audaciores? Nauigationis Indicæ hipotipoſis. Velorum, ventorumque enumeratio. Auari, & Alexandri cupiditas. Hæc quomodo infinita ex Ariſtotele, & Sancto Thoma infinita diſtributio. An appetantur opes infinitæ? Explicatur Philoſophus, & Sanctus Thomas, finis cupiendi infinitus quomodo.

Diſcrimen inter comunes, & proprias cupiditates in peccando, ſeu operando ante à nobis ſect. 3.

In cupiditatibus naturalibus peccare beluinũ eſt.

In communibus, inquit Ariſtoteles, *cupiditatibus labuntur, atque offendunt pauci; at vero in proprijs, complures. Item in illis quando peccatur, peccatur in vno, nempè in eo, quod nimium eſt; At in his, multis modis.* Præterea naturales cupiditates finitas, & terminatas eſſe docet: innaturales, aut rationales, infinitas. *Omnium ſenſuum maximè communis eſt is ſenſus, in quo ſita intemperantia eſt. meritoque vt turpis, & flagitioſa maledicti loco obycienda videatur propterea quia ineſt in nobis non qua homines, ſed qua animalia ſumus. his igitur talibus delectari, eaque vehementius amare, belluarum eſt.*

Sed non ita eſſe Videtur ex Plutarcho.

Plutarchus. In libello. An animalia ratione vtantur.

Veruntamen ſi in illis hoc eſt communibus minus frequenter, & pauciores beluæ peccant, quam homines; cur non potius humanum ſit in illis peccare, quàm beluinum? Certè ſi animalia loqui, aut internoſcere noſſent velut Gryllus ille Vlyſſæus, humana iſthæc appellarent vitia potius, quam beluina, ſicut, & apud Plutarchum Grillus appellat. Quis enim nimius in epulis, & potationibus, & libidinibus æque ac homo? & hic non vnus, aut alter? Sed ante legem Euangelicam penè omnes. Atque vt à tertio incipiam, quod in concupiſcentia carnis, & venereorum verſatur.

Hominis ad peccatum proclivitas. præſertim ad libidinem perpetua, Plin.

Ceteris animantibus, inquit Plinius, *ſtati per tempora anni concubitus; homini omnibus horis, diu, noctuque ceteris ſatietas in coitu, homini propè nulla. Quantum in hac parte multo nocentiores, quam feræ ſumus.* Prohibet me modeſtia ne de libidinoſiſſimis viris, mulieribus, pueris, puelliſque dicam. de varijs libidinum excogitatis generibus. Et cum hoc peccandi genus per ſe occultiſſimum eſſe oporteat, nullum tamen tam copioſum æque, atque tam publicum eſt. de quo nihil addo, vltra prædicta.

Quantum in eſculentis peccetur. Varietas ciborũ. Ex vario, & longinquo. Plin. l. 15. c. 21.

De eſculentis autem quid referam? Adeo in his ſtudioſus eſt homo, vt omnia quæ ſub luna cernuntur hominis ventri, atque ingluuiei nata eſſe videantur. *Miſcentur terræ; cælique tractus in conquirendis dapum variarum generibus in alio cibi genere India aduocatur, in alio Aegyptus, Creta, Cyrene, ſinguleque terræ. nec ceſſat in veneficjs vita, dummodo omnia deuoret*, Vilia ſunt multo, eo ſolo, quod ad manus habentur. eo gratiora quo ex remotioribus aduecta.

Credo in hoc carmine Petroniũ ad ea Plinij reſpexiſſe verba. *Aues vltra Phaſidem amnẽ peti, & fabuloſo quidẽ terrore tutas; imò ſic pretioſiores.*

Pet. Arbiter. Plin. l. 19. c. 4.

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato
Quod non ſunt faciles; at albus anſer
Et pictis Anas enonata pennis
Plebeium ſapit; vltimis ab oris
Attractus ſcarus, atque arata ſyrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Multus iam grauis eſt, amica vincit
Vxorem, roſa cinnamum veretur.
Quidquid quæritur optimum videtur.

In-

Ingenioſa gula eſt, nec vno contenta dapis genere. perueſtigat multa, peruettit plurima, corrumpit omnia, dum conſequatur aliquid rari, & noui; Et fuere qui pretium inuentoribus, & præmium ſoluerent; quis credidiſſet, Aurum, Gemmas, Margaritas, quæ natura indurauit poſſe in cibos emolliri, atque liquari? nam de barbis mullorum, de linguis pſittacorum, de cerebellis pauonum, de iecinoribus anſerum, taceo, plebeium eſt. Plurimum ſanè homini negotium aluus exhibet, cuius cauſſa maior pars mortalium viuit. viuit imo moritur, audi Senecam. *Quicquid auium volitat quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit noſtris ſepelitur ventribus. quære nunc cur ſubito moriamur. quia mortuis viuimus*. Peſſimum corporum vas; inſtat, vt creditor, & ſæpius, die appellat. Huius gratia præcipuè auaritia expetitur, huic luxuria conditur. Huic nauigatur ad Phaſin. Huic profundi vada exquiruntur. Et nemo vilitatem eius æſtimat conſummationis fœditate.

Ex raro.

Ex præmio nouitatis inuentoribus dato.

Athen. l. 12.

Aluus homini plurimum negotium.

Plin.

Quid de poculentis adijciam? Quis aqua reiecta vina ad bibendum elaborauit? & iure ab inuento ipſo ſuo caſtigatus pœnas inſe, ſuiſque liberis pudoris, & ignominiæ plenas dedit. Sed fortaſſe innocenter ille peccauit. An vno vini genere, poſtea contentus homo fuit. vinorum nobiliorum genera octoginta, ſed vulgaria centum octoginta quinque, ſpecies autem pœnè duplo plures, ſed & hoc antiquis, quid noſtris temporibus? Vino debent homines, quod ſoli animalium non ſitientes bibant. quantum vero bibendis vinis indulſerit antiquitas legendus Athænæus. At vino mero non multi vtuntur, diluto plurimi, quod temperantiæ eſt.

Peccata in poculentis à vino.

Noe reprehenſus

Plin. l. 14. c. 22.

Vini genera nobilis, & ignobilis quot.

Vini effectus mirus.

Athen. l. 10.

In cratere meo Thetis eſt coniuncta Lyeo
Eſt Dea miſta Deo, ſed Dea maior eo.

Et quamquam vini dator Bacchus eſt, tamen ſobrius

Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis

Detur hoc temperantiæ humanæ, vt aquatum potent. quantæ in aquis deligendis diligentiæ? paluſtres, & ſtagnantes inter ſalubres non cenſentur, propterea in poculentis non ſunt limoſæ, deterrimæ, ciſterninæ, & imbribus collectæ aluum ſoluunt, puteales calculos creant, quæ ſuapte ſponte frigent, graues, ac ponderoſæ, pigræ damnantur; quæ reſident, fœculentæ, quæ fluunt terreæ modo ſeligitur fontana, modo collina, modo percolatur ſetaceo, modo pumice cauato decribratur, modo igni decoquitur, modo Sole, modo candente aere, modo aero depuratur, modo ſub diuo, vt exhalet, exponitur, modo ſub recto, ne euaneſcat, includitur. Et hæc quidem ante quam ad menſam aducetur. quid cum admouenda eſt? Niuibus obruitur, vt palato, & gulæ deſeruiat; non ad extinguendam, ſed ad irritandam ſitim, non ad naturæ defendendam neceſſitatem, ſed ad vitij oſtentationem iactandam. Parantur ergo ex argento vaſa frigidaria, & ad

Peccatur etiam in aquæ potu.

Aquarũ genera.

Earundem præparatio.

Peccatur in niuibus.

Vaſa aquaria, & vinaria.

ad niues largiter excipiendas prægrandia ex eodem argento, naſiternæ, & œnophori, gutti, aquales, magnitudine varia, numero innumero, collis productis, immittuntur, in niues horas

Infrigidati.

ante conuiuium binas, vt frigiditatem niuium paulatim exſugant, ac deriuent in ſeſe, & cum aquis communicent, tantamque ſæpè attrahunt; vt intra vrceolos immiſſi liquores congelaſcant; ita æſtate ardenti, intra ædes, & triclinia hyems enaſcitur, non ſolum frigida, ſed gelidiſſima. Atque hæc in aquis ferri poſſunt; Niues matrem ſuam vnde naſcuntur fouent; aquarum eſt eſſe frigidas. Vinum autem curenim vero niuibus admotis excruciant, & enecant frigoribus? Credo, vt largius pergræcentur. Dum enim infrigidata minus vina palato ſentiuntur, eo capacioribus ſcyphis

Vaſa potiora.

hauriuntur. tum quanta in cyathis curioſitas, aut luxuries. Vitrea inſuper habentur, niſi materiam ſuperet figura, aut ingenium. ergo nunc cymbia, nunc pateræ, nunc pocilla, nunc oblonga, nunc orbiculata, nunc liliata, nunc ſtriata, nunc criſpa, nunc anſata, præter vitrea, vtuntur argenteis, vtuntur aureis, maioribus, minoribus. Hinc morborum ſegetes in dies enaſcentium, & humanum corpus inuadentium.

Hor. l. 1 Od. 3. Cōparatio ignis & niuis.

Poſt ignem, inquit ille, aetheria domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum.

Niuium damna.

Poſt ignem? quid enim ignis, aut quantum vnquam homini nocuit, quam niues immodice vſitatæ? Hinc ſtomachi, aluique

Stomachi labores ex niue.

ægritudines variæ, languores continui. Alias enim cibos non admittit, alias non tranſmittit, alias non coquit, alias non continet, alias non capit, alias non conficit, non digerit, non egerit, nunc crudus, nunc aduſtus, nunc flatibus tumeſcens, nunc excreatibus viſcoſus, nunc bilioſus, nauſeabundus, faſtidioſus, ſemper vitioſus. Hinc pallor toto ore diffuſus, ſinus oculorum tumentes,

Oris color decolor.

oculi limi, & lacrimoſi: genæ languentes, anhelitus ſublimis, atque ſuſpirioſus; præcordiorum dolores, eructationes inopinatæ;

Dentiū ærumnæ.

vomitus improuiſus, odor ex ore teter: dentes caduci, mobiles, rubiginoſi, exeſi: macies in corpore, & languor, & mœror, & in-

Somni inquies.

ſomniæ, aut ſomni interrupti vigilijs, inſomnijs, horroribus, portentis interpolati. Age quis aquarum factitiarum, quas interdiu epotant, vt ſtomachum laborantem onerent, aut epar refrigerēt, aut æſtum fallant, aut conſuetudinem bibendi perpetuent, aut

Aquæ conditæ, & factitiæ.

guttur arens irrigent, aut venas adaquent, aut voluptati indulgeant, aut cupidini obtemperent? quis, inquam nomenclatorem habeat artificialium aquarum? ſaccaritem, quæ dulceſcat; cinnamominam, quæ calfaciat, limoninam, quæ ſubmordeat, anethi-

nam,

nam, quæ bene oleat, ex gelſominis, odoratam, ex coriandris confortatam, ex diuerſi odoris floribus halantem, ex moſcho, zibetto, ſaccaro inebriatam.

Sed hiſce bibendi proritamentis obruuntur, videlicet, & ſtomachus, & ſenſus, & ratio, & mens, quæ omnia in hac aquarum ebullientium charybdi, tanquam nauigiola abſorbentur. An ergo belua rum eſt in cupiditatibus, quæ communes ſunt, errare; non hominum potius? Sed credo beluinum videtur intemperantiæ vitium, quia ingenia, atque ingeniorum obtundit acumen. *Conſcientiam communem*, inquit Tertullianus, *conſulamus. ipſa natura enunciabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine ſaliua exhibere conſuerit rebus dumtaxat ſenſu agendis, quo diuina tractantur. Si multo pollentioris mentis, ſi multo vinacioris cordis, quam cum totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, de coquendis iam ſtercoribus aſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo plane nihil, tamen in proximo ſuperſit, quam ad laſciuiam ſapere.* Hæc Tertullianus, & pulcherrima illa ſunt, quæ prædixerat, & per quam grauia ſi non ex malo Tertulliani animo, & conſilio proficiſcerentur, contra Pſychicos, ita à recta fide deſciſcens ipſe catholicos appellat. *Monſtrum haberetur libido ſine gula, cum duo hæc tam vnita, atque concreta ſint, vt ſi disiungi omnino potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhærerent. ſpecta corpus, & vna regio eſt. denique pro diſpoſitione membrorum ordo vitiorum, prior venter, & ſtatim cetera ſagina ſubſtructa laſciuia eſt; per edacitatem ſalacitas tranſit. Agnoſco igitur animalem fidem, ſtudio carnis, qua tota conſtat, tam multiuorantiæ, quam multinubentiæ pronam. Itaque animalem hæc hominem reddunt, & à rationali deijciunt.*

Charybdis noua.

Intemperantia crimen vt beluinum? Ieiunij, & abſtinentiæ locus ex Tertull. contra Pſichicos.

Antequam à Tertulliano recedamus eius eſt confidentia, & libertas ab ira contra Romanam Eccleſiam, & ab ambitione exorta retundenda. Animalem Eccleſiæ fidem, & multiuorantiæ, deditam appellat, & ipſam carne ſola conſtantem. Quæ triplices quadragenarios dies ſuis ieiunandos non præſcribit. & multinubentiæ pronam facit, quia ſecundas, aut etiam tertias nuptias nequaquam prohibet. Nimirum omnis hæreticus id primum habet, vt lex eſſe velit, & doctor; legi parere, & diſciplinæ ſubeſſe neſciat. Mater eſt Eccleſia Romana, neceſſaria ſaluti cum Deo, & Chriſto eius præcipit, quæ vtilia partim ſub præcepto; partim ſub conſilio ponit, quia filij eius non earundem ſumus virium. Iam quod Tertullianus Virginem dixit ſaliuam, Plinius ieiunum appellauit hominis, ſcilicet ieiuni ſputum. ſenſus, autem vocabulo, animi contentionem accipit, ſicut domicilio interioris hominis corpus, quod animæ ædes eſt. Stipatum corpus eſcis ait, an proprie? Proprie enim corpus eſcas ſtipat, & turba ſtipata, id eſt denſa, & arctata. Sed ſtipatum Tertullianus, domicilium corporis vocat tamquam nauim ſaburratam ſic Seruio ſtipatores dicuntur,

Accuſatur Tertull.

qui

qui nauim oneribus opplent, quamquam ſaburram ſtipæ vocabulo dictam latine non reperio, Icali. Stiuam barbare vocant, quam latini ſaburram.

Vinis inundatam, bene, nam inundare dicitur id quod nimiam aquam intus recipit, & quod aquæ circundant. Decoquendis ſtercoribus. bene dictum decoquere enim eſt non ſolum purum reijcere ab impuro, vt eſcas decoquere, argentum decoquere. Sed impurum ſecernere à puro, vt humorem vini, ſtercora eſcarum decoquere.

Præmeditatorium. Tertullianicum, credo vocabulum; Et credo intelligit ſtomachum, & magis proprie quam Sanctus Hieronymus cum guttur appellauit latrinarum præmeditatorium. Eſt autem præmeditatorium locus in quo præmeditatur exercitator, modum quo exerceri debeat.

Ad laſciuiam ſapere, dixit ad imitationem illius ſapere ad ſobrietatem: Tantum ſuper Afri ſententia, & verbis.

Sed vero non homines ſoli his cupiditatum communium ſcopulis illiduntur, hærent etiam beluæ; & errant quandoque, in potu non nullæ. vt ſimiæ, ſphynges, cercopiteci, quæ vinoſiſſima eſſe animalia feruntur; eſculentis rariſſima, & rariſſimè peccant, nam aues, quæ carniuoræ ſunt, macilentiores eſſe ceteris videmus; quadrupedes autem vltra naturæ metas æqua poſcentis, comedendo nequaquam tranſiliunt; oues dum ſub veſperam feſtinantius, atque auidius ſolito paſcuntur, id non per ingluuiem faciunt, ſed quoniam de nocte ruminant, pabulum ad eam rem præparatum habeant, oportet. Quod vrſi cupiditate mellis alliciantur, id medicamenti gratia factum putant quidam, ſiue enim mellis ipſius eſu aluum ſoluunt, aut inſultantium apum aculeis euulnerati ſanguinem emittunt. Canes, & feles, & leones feruntur auidiores in hoc genere eſſe. illi enim vomitu ſtomachum cibis aggrauatum exonerare coguntur; ad quam rem herbarum folia aſperiora, quæ gutturi hæreant, & ſtomachum irritent, inquirunt; hi branchijs in ſtomachum immiſſis, fruſta carnium eximunt, tamquam ex olla.

Exponitur late.
Animalia vinibiba.
Muſcari cibo nõ excedunt.
Oues.
Vrſi.
Leones. Canes. feles.

In Venereis paulo frequentius peccant; in Africa per æſtatem, dum diuerſorum generum animantes ad aquam, quæ ijs in regionibus eſt rariſſima, conueniunt, de genere in genus tranſmigrant, vnde prouerbium enatum, *Africa ſemper aliquid noui affert*. Leenam ſuam leo olfactu detegit ſi cum Pardo adulterauerit, Crocodilus ſuam ſi fidem coniugij violet vteri diſcerptione, ac morte mulctat; ſed vt habet Ariſtoteles, *neque temperantes, neque intemperantes beſtias dicimus, niſi per tranſlationem ſermonis. Etiam ſi omnino animantium genus aliud ab alio libidine, & profuſa ad rem veneream petulantia, & omnium rerum edacitate differat. Non enim conſilium vllum ha-*

Animalia in venereis quomodo.
In Africa. Leena cũ pardo. Crocodilus.
Animalia an temperantia.

habent, neque rationis agitatione prædita ſunt, ſed à natura deſciuerunt, vt homines furioſi.

Homines in ſuis cupiditatibus quomodo ſe gerant.

Atque hæc in cupiditatibus ijs homines, quæ communes ſunt, quid in proprijs, & rationalibus ijdem? quam ſceleſti? quam irrationales? & quam digni Satyra? verè ille dixit, & de noſtris etiam temporibus non niſi verè etiam diceret,

Iuuen.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas
Gaudia, diſcurſus; noſtri eſt farrago libelli.

Peſſima deſideramus.

Optimè votis, hoc eſt, cupiditatibus, primum aſſignauit locum Poeta, hæc enim paſſiones ceteras ſuo aduocat modo, vt dictum eſt.

Iuuenalis.

Et quando vberior vitiorum copia? quando
Maior auaritiæ patuit ſinus? Alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.
Prælia quanta illic diſpenſatore videbis
Armigero? Et alia, quæ ſequuntur.

Et nociua.

Quid quod cœci ſemper ſumus, & irruimus in deſideria nociua, tanquam in retia, & tela beluæ?

Iuuenalis.

Qid enim ratione timemus
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non pœniteat, votique peracti
Euertere domus totas optantibus ipſis
Dij faciles, nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. eſt &

Inſatiabilia in ſtudijs diuerſis.

Sed aſpice quemadmodum, & immenſæ ſint hominum cupiditates, & hient ſemper, & poſcant; & ſaturentur nunquam; etiam cum omnia deuorauerint. Alius libidinibus ad inanitatem adigitur, alius abdomini ſuo natus inſeruit, alius in lucro totus obrutus eſt, & vſurarum fœnorumque ſummam verſuris aggeſtam, non vincit enumerando. alium inuidia macerat; alium ambitio cœca huc illuc defert: hic in veſtitu patrimonium conſuit, & conſumit, ille in gemmis in tabulis, eſt totus. Nemo non ſuis laborat cupidinibus. *Qualem, dicimus,* inquit Seneca, *eſſe ſeriem cauſſarum, ex quibus nectitur fatum, talem, & cupiditatum altera ex fine alterius naſcitur.* Amplius eſt. Vna plurium parens eſt cupiditatum; qua de generatione, dicam inferius. Nunc, quantum, quæſo te in ædificijs, ſubſtructionibuſque peccatur, nos ipſi etiam num in dies experimur. qui non nos loco, ſed locum nobis aptari ſatagimus. ſed vt cœpta proſequar? Vilia ſunt, quæ ad manus habentur ſaxa: niſi marmora deferantur, & Alpes, & Cherroneſus, & Africa cædantur; tuguriolum ſe, aut gurguſtium erigere dicunt. Ergo Area primum deligitur, lata, patens, & vrbis pœnè ſpatium intercludens, quod in Nerone ædes edificante notauerat quiſpiam dicens.

Deſiderium ex deſiderio.

Sect. ſequenti.

Cupiditas in ædificijs.

Architecti munera.

Roma-

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites
Si non & Veios occupet iſta domus.

Magnark ædium deſcriptio. Tum ab Architecto Scænographia deſcribitur ad rectam Areæ diſtributionem, hanc excipit ortographia, quæ altiores ædium ſtatuendarum partes in imagine repræſentat. poſt hanc ſciographia vniuerſæ ſtructionis figuram præfert. Fundamenta excauantur altitudine, ac latitudine admirabili, & quernis ſudibus acumine præuſto ſolidantur, aut feſtucis pauitantur propter ædificij firmitudinem. Intra fundamenta ſubſtructiones inſanæ, iactis molibus, ſaxiſque ingentibus Tyburtinis infarciuntur, donec areæ adæquentur. Hinc Atrij diſpoſitio ſuccedit quadrati, aut quadrangularis. hic aut columnæ longo ordine ſupra baſes ſuas eriguntur ex porphirite, aut ex marmore; quarum ſcapi ſtriati periſtylia vel Dorico, vel Ionio opere varijs luxuriantia foliorum inuolucris, vel ſolidi Athlantes, aut pulcherrimarum formæ puellarum Chariatides ſuperductos arcus ſuſtentant, Atrio ſubdiale circundatur.

Aedium partes. Iam ad ædificium domus deueniamus. Prima pars Ipogæum cameratum. hic coquina, furnus, cellæ vinariæ, pœnora, carnaria, *Pœnora.* balneæ, apothecæ ad olea, ad legumina, ad frumenta, ad ſalſamenta. *Equile.* Ex altera parte, equile, & tabernæ ad ordea, ad fœnum, ad paleas ad ephippia ſeruanda, & equiſonum, mediaſtinorum, cubilia, ad ligna, ad cremia, ad carbones. Pars altera contignatio prima eſt, in qua cœnatio, & aula intro euntiobijcitur, tecto lacunari adoperta; ad cuius latus alterum Andronitis eſt, & alterum *Domus ſupellex.* Gynæcæum. in vtroque domicilio prima, & ſecunda, & tertia cubicula, conclauia, in his camini, armariola hyalothæcæ, abachi, menſæ, lecti, thalami, ſellæ, ſedilia. Super hanc altera ſubſtruitur contignatio. niſi enim ædes triſtegæ fiant, anguſtæ reputantur. tum cœnaculum, & hic familia ſuas habet ædiculas. Gallinæ ſuas cortes, columbæ ſua Periſteroſtrophia cum columbarijs. Nihil addo de ſcalis, cochleis, viridarijs, hortis, fontibus, nihil de parietum incruſtaturis, de feneſtellis, patentibus, clatratis, columnatis, de ſubdialibus hypetris de paradromis de ambulationibus æſtiuis, hyemalibus: de hypocauſtis, vaporarijs, ſudatorijs, de frigidarijs, de tectis de culminibus. omnia inſana ſuperbiſſima ſuperuacanea; quid quæſo diceret lacon ille, qui ingreſſus in *Laconis dictum.* ædes quaſdam, cum tecti trabes quadratas vidiſſet, interrogaſſe fertur, an eo loci arbores quadratæ naſcerentur? credo putaſſet auratas picturas variegatas exoriri.

Contracta piſces æquora ſentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens *Horat. lib. 6.*
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis dominuſque terræ
Faſtidioſus.

Et

Et in hæc ædificiorum monimenta, num de vicino materias contrahimus? Eruimus iuga montium, & ea, quæ ſeparandis gentibus pro termino natura conſtituit. *Nequicquam, Deus. abſcidit terras oceano diſſociabili*. Naues ad euehenda marmora, & ſiluas ædificantur, & per fluctus, ſæuiſſimam mundi partem, tranſmeant. Omnia hæc an à moderata commodè habitandi cupiditate proficiſcuntur? quæ ita ædificantur, tanquam ſi nunquam morituri, atque adeo relicturi has ædes ſimus. Nimia ergo æternandi nominis ambitio ſuperuacanea gloriæ, famæque auiditas, ad hos ſumptus, animum transfert. Et quod ambitio, aut ſuperbia ſumptuoſa ſit, non mirandum credo, ſed in auaro, opumque cupiditate ardentiſſimo luxuriam, aut profuſionem nonne ſtupeſcas? quanti ſumptus in nauium onerariarum conſtructionibus? quæ vltro, citroque merces non ab Italia in Aegyptum; aut Gallias vſque à noſtris littoribus in alium orbem mercimonia deferant, referantque. Primum auaritia magnam ſui partem in abiete, in ferro, in lino, in ſparto, in rudentibus, in ſpiris, in tabulatis, in malis, antemniſque euiſcerat. tum ſe totam in ſinum nauigij, an maris? exonerat. creditque Oceani tumultuantis fluctibus infidis. Sed mirer ne cupiditatem magis auarorum: an ne audaciam nautarum? Audax ſanè hominum genus, qui communis matris omniũque parentis terræ pertæſi de portu, hoc eſt de gremio telluris in quo geniti vitæ primas hauſerunt, luces; abſcedentes extra Herculis columnas, & Gaditanum fretum in apertum ſe mare conijciunt, & ſiccis oculis monſtra vident natantia per arabicum, lybicum, Atlanticum, Aethiopicum, oceanum, qui viui, videnteſque eas inſulas præteruecti ad quas antiqui non niſi nudas corporibus animas adire poſt obitum poſſe, crediderе; & poſt Heſperides, ſeu Gorgades, promontorio viridi poſt tergum relicto in altiſſimum ſe aquarum ambitum immittunt, cœlum vndique, & vndique põtum conſpicientes, ijſque teſtibus, & comitibus enauigantes; vltra bonæ ſpei famoſum naufragijs, tẽpeſtatibuſq; promontorium ad aurum indicum, gemmas, margaritaſque properant. Quid ego in hac nauigatione primum obſtupeſcam. an largiſſima ſpatia enauigata maris, & terrarum prætervecta? An pericula tempeſtatum, ventorum, turbinum, typhonum, imbrium, fulminum, tonitruum, quæ in ijs cœli mariſque regionibus, & frequentia, & horribilia, eſſe referuntur? An piſtricum, orcarum, balenarum, cætorũ, corpora informia, immania, & hiante gutture minitantia? An littorum orarumq; accolas memorem, ad quos appellendum ſæpè ſit, truces moribus, colore, atque habitu terribiles, incultos, feros, inhoſpitales, antropophagos? Hec tamẽ omnia flocci, nauciq; cupiditas æſtimat, dũ auro potiatur. Quid? An ad hæc vitæ apertiſſima pericula tardo gradu, ac

Nolitio in ædificando ſumptuoſa.

Auarus ſumptuoſus.

Nauium ædificiũ & pariet.

Auarus an nauta audacior.

Nauigatio indica.

Pericula nauigãdi.

Gens indica.

vel uti timida, cupiditas incedit? aduolat. & ventorum omnium ſecura eos optat, vocat, & velis expanſis laceſſit. Quid ego velorum multitudinem, amplitudinemque recenſeo? non binis, aut ternis, quaterniſue nauigatur. duodena, aut quaterdena explicant, quo mortem procacius prouocent. Epidromi ad puppim bini, & prior quidem ſeu exterior ſimplex eſt, interior geminus vnus alteri ſuper poſitus, Artemoni autem duo alia ſuper imponuntur carbaſa, & hæc, ſi deo placet Thoracio coronantur. proram dolon occupat, item geminus, ſed maior, tribus ſinibus conſtat. adde his ſiparium, adde lupatum, adde orthiacum; etiam, infra roſtrum velo inuentus locus eſt, aquas radenti, & ex his auram expiſcanti. & hiſce omnibus armamentis Etheſias fortaſſe, & auras lenes, & zephyrorum ſecundos flatus, aut ornicheas amplexantur. fallor, niſi perpetuis aquilonibus prodromis, & turbinum, & præſterum furoribus, & circum actis, procelloſiſque typhonibus agitantur, & hæc cum ad cœli tempeſtates ampliſſima vela ſint, humanis tamen anguſta cupiditatibus videntur. Ergo ad velorum numerum addita magnitudo eſt. Maiora nauigio ſunt, & latiores explicant ſinus, quam vt quiſquam poſſit credere.

Vela nauium.

Ventorum violentorum, & lenium nomina.

Iam quando ad Taprobanam inſulam, & auream Cherſoneſum, & ad Malacam, & Moluchas peruentum eſt, & poſt Peruana regna, & Mexicana, & Braſilica, & Iaponica, & Sinica peruoluta, ac luſtrata; & poſt reditus in patriam felices, quando horrea ſqualent pretioſorum glebis metallorum oppleta, & Apothecæ aromatis inundantes, & arcæ gemmis vnionibuſque refertæ, & tabernæ ſericis maſſis anguſtæ; an vero tunc obdormiuit ſaturata cupiditas? an quieuit? an ceſſauit? *Vnus pelleo iuueni non ſufficit orbis*. omnia Alexander poſſederat, & pœne manu prehenderat. Cupiditas vltra omnia eſt. qui quamuis in extremo margine terrarum conſiſteret, nec haberet quo pedem proferret, habuit tamen quo tranſmitteret ſuas cupiditates; male, me Deus amet, dixi; explicabo melius, habuit, inquam, quo eius animum cupiditas immenſa tranſduceret, & in alios præter hunc orbes terrarum inueheret. Neque in deſiderijs ſolum ſubſtitit, claſſem iuſſit apparari celeriter, atque adornari, qua vectus Oneſicritus explorator orbium nouorum potius, quam claſſium præfectus ignotos inquireret mundos, inuentoſque Alexandri addiceret cupiditati. Rectè igitur Ariſtoteles, & Sanctus Thomas infinitudinem quamdam cupiditatibus humanis ineſſe dixerunt, quod quemadmodum accidat diſputandum eſt.

Auarus inſatiabilis.

Alexandri cupiditas.

Cupiditas infinita quomodo ex Ariſt. & S. Tho.

Non in entitate.

Primum infinitas iſtas in ſua entitate eſſe poſſe negamus, actiones enim animæ ſunt, facultatem ad operandum habentis finitam;

cum

cum ipſa etiam finitæ ſit perfectionis. & quamquam accidere poſſit, idque etiam frequenter eueniat, vt vna, & altera remiſſior cupiditas, acriorue naſcatur, nunquam tamen vlla, ita intenditur vehementer, vt in infinitum augeatur. habet vna res quæque ſuos limites, quos vltra non progreditur. Iterum nulla infinita eſt duratione, vel exiſtendi diuturnitate cupiditas. Vita ipſa breuis, etiam quæ diu perdurat, res ſi qua diu mortalibus vlla eſt, nulla igitur cupiditas vltra vitam abit, & nulla, non aut ſomno, aut occupatione, aut tædio, pœnitentiaue cupiendi, aut alterius ſucceſſione cupiditatis interrumpitur. *Non in duratione.*

Infinitudo ergo in re præſenti illa reliqua eſt, quæ ex parte obiecti delectabilis exoritur, quod, vt infinitum eſſe poſſit, non tamen conſequitur, vt infinitam hominis erga ſe excitet cupiditatem, quemadmodum in cupiditatibus erga Deum noſtris experimur. *Sed in obiecto.*

Reſtat igitur, vt de ſola infinitate obiecti agamus. hæc duplex. altera ſucceſſiua. Syncathegorematicam Philoſophi appellant. cum in vna quidem re delectabili non conſiſtit, ſed ita ex vnius cupiditate ad aliam, & aliam tranſis concupiſcendo, vt finem nullum facias, & quamquam res, quæ exiſtunt omnes finitæ ſint multitudine, ac numero, cogitatio tamen, & cupiditas illis enumeratis ad eaſdem, quas cupierat redire poteſt. aut alias ſibi fingere concupiſcendas. Altera infinitas eſt re ipſa in vno obiecto, à qua ipſum iure infinitum nominatur. in hoc noſtram ferri poſſe cupiditatem patet ex amore, & deſiderio Dei videndi, quod quidem duplex eſt. alterum gratuitum, quo ab ipſo Deo tanquam ſupernaturali munere donamur. alterum eſſe poſſe naturale ex noſtra facultate elicitum contendunt quidam cum Sancto Thoma, nec immerito. *Obiecta quomodo infinita.* *Infinitum duplex Syncathegorematicum. Cathegorematicũ* *Duplex Dei videndi deſiderium.*

At vero cum res infinita nulla ſit, imò nec dari fortaſſe poſſit, præter Deum; cumque ea, quæ eſſe nequeunt, appetere rationalis appetitus neſciat; quomodo fieri poteſt, vt infinitæ ſimul opes, honores, aut aliud quidpiam ſimile appetatur? Huic difficultati ſic occurritur. Infinitas hæc duplex; altera negatiua; altera poſitiua, hæc dari quia non poteſt, concupiſci fortaſſe non poteſt; illa in ſucceſſione rerum conſiſtit, quæ ſe inuicem ita ſubſequuntur, vt finis nullus ſit. hanc ergo omnem multitudinem rerum ſibi ſuccedentium poteſt noſtra cupiditas totam ſimul haurire, atque complecti, quemadmodum, & cogitatio ipſa comprehendere. *An infinitæ opes appetantur.* *Qua ratione ad fiat.*

Ariſtoteles, & Sanctus Thomas aliam aſſignant rationem, cur cupiditas rationalis infinita ſit. Quia ſcilicet concupiſcentia finis ſemper eſt infinita; finis enim per ſe concupiſcitur, vt ſanitas, vnde maior ſanitas magis concupiſcitur, & in infinitum. Quæ doctrina difficilis ſanè eſt intellectu, neque Caietanus in ſuis com- *Ariſt. & S. Thomæ reſponſio difficilis.*

N 2 men-

mentarijs quidquam videtur prælucere.

Explicatur.

Aio ergo deſiderium maioris finis haud ita magis augeri, vt ſi finis in infinitum creſcat, creſcat etiam vehementia deſiderij? hoc enim falſum eſſe ex ſuperioribus patet; ſed in fine infinito cupiditas omnis verſans finita cum ſit infinita tamen dicetur extrinſecè. Iam vt ad explicationem propè accedam. addo rei in ratione finis apprehenſæ, non eſt cur determinationem, menſuramque præſcribamus. Quemadmodum ſi ratio concupiſcat opes, aut honores, vt finem, in quo quieſcat. nulla ratio eſt, quamobrem tantas, & non plures diuitias, tantum, & non ampliorem honoris gradum deſideret. Si enim in re deſiderata modum, finemque conſtituat; ſtatim vel ceſſabit in ea rtio finis, aut non erat finis rationalis voluntatis, ſed naturalis. aut erat medium ad finem conſequendum. Id circo enim tantum, nec amplius diuitiarum concupiſco, quia tanta magnitudo, & non amplior conducit ad aliquid comparandum. id igitur erit finis opum concupitarum; ſed de his hactenus.

Finis cupiditatis quomodo infinitus.

SECTIO VII.

DESIDERIORVM EFFECTA QVÆDAM.

Deſiderium nunquam vnum. Viperæ inſtar, & leporis. Exemplum in Rege cupiente. Hinc bellici apparatus. Inſtrumenta bellica. Bombardę deſcribuntur. Bellorum præſentium deploratio. Romanorum circa Siciliam apparatio bellica. claſſis. accelerata. Cupiditati initio reſiſtendum. Ex ea morbus menti, imo amentia. Ariſtotelis ſenſus. ex ea dolor, & ſenectus ex Theocrito. Ex ea impedimentum ad lætitiam. Romani exemplum. quomodo ex deſiderio Gaudium?

Deſiderium ſæpe multiplex.

PRimus in deſiderij effectibus numeretur ille. nunquam vnum eſſe. cupiditates ſe inuicem pariunt, fouent, enutriunt, augent; neque id ſolum, vt vni defunctæ, altera veluti hæres ſuccedat. in Viperis aiunt hoc accidere, vt matrem naſcens enecet; & enectæ filia ſuperuiuat. Vna cupiditas ſine puerperij doloribus, ſine vteri diſcerptione, ſine ſui periculo, plures effundit, atque alit. Quod de lepore Plinius dixit ſolum hunc præter Daſypodem, ſuperfœtare, aliud educantem, aliud in vtero pilis veſtitum, aliud implume, aliud inchoatum, gerentem pariter; hoc ipſum in cupiditatibus. Feratur Imperator, aut Rex quiſpiam ambitionis, aut famæ æſtibus. ecce tibi ex hoc vno quantus emergit numerus cupiditatum, regni, aut vrbis, aut oppidi alieni inuadendi, exercitus parandi, legionum deſcribendarum, auxiliorum,

Viperis deſideria comparantur.

Et leporibus.

Exemplum in Rege.

rum,

rum, ſubſidiorum aduocandorum, opum parandarum, commeatus vndique conducendi. mittuntur trans montes, & maria legati, feciales bello indicendo, ſpeculatores regionum, locorum, oppidorum. Apparatus bellici inſtrumenti, vt copioſiſſimus fiat, curatur. noctu in ſomni domicilio, hoc eſt in thalamo, vigilatur, nam *ſomnus ſollicitas deficit ante domus*. iam cum cogitatione, & cupiditate architectis poliorgeticis quantæ inſtruuntur, intra lectum machinæ? adaptantur ſcalæ nunc ligneæ, nunc coriaceæ, nunc reticulatæ. quarum quædam compactiles, quædam inſpectoriæ, quædam ad aſcenſum infra vrbem præbendum, quædam ad pontes ſuſtentandos. Plantantur ſambucæ, texuntur Crates. Arietes, equi, vineæ, Plutei, Catti, muſculi, & id genus varia diſponuntur. Et hæc quidem priſca, & obſoleta. Quid ego de recentibus ad exercendas obſidiones inſtrumentis loquar? Tartareum ſane inuentum eſt, neſcio an etiam ingenium de Tartaro fuit, à quo igniuomæ, & ferriuomæ inuentæ machinæ, baliſtæuæ quarum, & magnitudines varias, & vſus multiplices, & damna innumerabilia, Vtinam ætas noſtra non in dies experiatur.

Apparatus bellici.

Tibullus.

Inſtrumenta ad bellum.

Bombardarum deſcriptio.

Teſtem appello Germaniam vtramque Belgium, & nuperrimè Italiæ pulcherrimam partem Galliam ciſalpinam, cuius nobiliſſimæ vrbes quantis fuere nuper obſidionibus, & quam periculoſis obſeſſæ. Strages vero ciuium paſſæ ſunt tantas, quantas alta olim pax felicitates creauerat. iacebant paſſim in campis demortuorum ciuium cadauera, & ipſa intra opida in matrum ſinubus filiorum buſta, qua capitibus deciſis, qua brachijs, tibijſque diuulſis diſcerpta, iam non corpora, ſed fruſta. quis hoc hoſtis? quæ furiæ? quæ monſtra? quæ inſtrumenta patrarunt? & hoſtes quidem Chriſtiani in Chriſtianos, amici in amicos, conſanguinei in ſanguine coniunctos. arma autem fiſtulæ ferreæ, quædam minores brachio ſuſtentatæ, quædam maiores furcis impoſitæ; aliæ grandiuſculæ aſſeribus inſertæ: grandiores aliæ rotis volubilibus aduectæ. omnes igne concepto ignem cum tonitruo euomentes, & in igne fulmen, & in fulmine ferreos globos, & in globis mortem immittẽtes, an in omnibus non innumeræ cupiditates à prima cupiditate exortæ. Ita ſanè, & vtinam qui, ſed teneo me, & ad antiqua redeo. Arſit populus olim Romanus deſiderio Siciliæ capiundæ, & deſiderium augebat æmulatio populi Cartaginienſis, cuius exercitus, & claſſes terra marique Meſſanam, obſidebant, vrbem ea tempeſtate non minima Siciliæ portione dominantem; Ex hac vero cupiditate, quot emerſere aliæ? legiones vt ſcribantur, vulgare eſt, arma vt parentur, comeatus cogantur, Conſul, Imperator, Tribunus, Decurio, Manipularius, primipilus ſeligatur, vſitatum in omni bello eſt. nouum aliquid, & Romanis inauditum, inuiſum, inexpertum cupiditas excogitauit. Claſſes traijciendo

Bella hodierna deplorantur.

Hodie Lombardia.

Vbi Chriſtiani in chriſtianos.

Bombardarum genera varia.

Exemplum à Romanis.

Sicilia dominatū cupientibus.

Exercitus paratus.

Claſſis celerrimè adornata.

Florus. do freto inacceſſo Romanis, & intractato, & horribili. *Itaque rudis ille, & paſtoritius populus, vereque terreſtris, fretum Charibdi, e Scylla infame repente deſiderio exhauſit. Siluas cedi iubet, & ad littus Oſtia duci*. ex his pars in carinas diſtenditur, pars erigitur in ſtatumina, pars in tabulata leuigatur ad triremium latera contegenda; ſunt qui remos detondeant, qui foros delinant, qui tranſtra collocent, ſunt quibus puppes, quibus proræ, quibus roſtra, quibus gubernacula, quibus mali, quibus antemnæ demandatæ ſint, interea tremere ſiluæ, & expoliari, ac viduari antiquiſſimis filiabus. Dum hæc peraguntur, multa pars hominum rudentibus, ſpiris, funibus, anchorarijs contexendis diſtinetur, multa clauis tabulas compingit in ſtatuminibus, multa terebellis perforat, multa rimas fatiſcentes ſtupa implet, multa oblinit pice: & ne in erudiendo remige tempus atteratur; nauta, remex, miles claſſiarius deligitur. ille in arena rudentibus carcheſio inſerendis per trochleas deferendis ad ſcalmos, cuneoſque alligandis manus edocet ſuas, alter remos ad præfecti numerum, modumque agitat nunc impulſu, nunc reductu, nunc inhibitu; tertius in arpagonibus, in armis, in pontibus, in telis occupatur. Summa. *intra ſexageſimum diem, quam cæſa ſilua fuerat. centum quadraginta nauium claſſis in anchoris ſtetit, vt non arte facta, ſed conuerſæ in naues, atque mutatæ arbores viderentur*. Tantum audent, & poſſunt cupiditates.

Aedificatio, & partes nauis.

Intra ſpatium ſexaginta dierum claſſis ingens parata.

Quæ cum malæ ſunt, primo quoque tempore, & in ſuis faſcijs, atque crepundijs, adeo in ipſis natalibus ſuffocandæ, ne in infinitum fœtificent, ac mentem peſſundent: qui alter cupiditatis effectus eſt, morbus ſcilicet, aut inſania mentis.

Cupiditatibus initio reſiſtendũ, ne augeantur.

Morbus mentis ex deſiderijs. Horat.

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.
Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Ariſtoteles. Aurea ſunt, quæ in hanc rem Ariſtoteles docet. *Id*, inquit, *caſtigandum, & coercendum eſt quod turpia concupiſcit, & quod impunitate amplificatur, & prorogatur. Quales ſunt maximè cupiditas, & puer. Nam etiam pueri cupiditatem tanquam vita ſua ſequuntur ducem, maximeque in his rerum iucundarum appetitio dominatur. Itaque ſi non parebit rationi, neque ſub eius erit imperio, ſerpet, & manabit latius. Nam cum ſit inexplebilis rerum iucundarum appetitio, maximeque in ſtulto, & amente, tunc cupiditatis eius vſus, vires eius; quod cognatum eſt, amplificat adeo vt ſi magnæ ſint, & vehementes cupiditates mentem, ac rationem de ſua ſede detrudere, & deturbare poſſint. Danda igitur opera eſt, vt mediocres*

Creſcentes cupiditates in amentiam trahunt.

eres ſint, & modicæ, neque quidquam rationi aduerſentur. hæc Ariſtoteles, & plura, quæ prætermitto.

Alius huius perturbationis fructus eſt dolor. intemperans enim dolore agitur, & cum voluptatibus potiri non poteſt, & tamen concupiſcit, ſemper enim cum dolore coniuncta cupiditas eſt. Tametſi abſurdum videatur propter voluptatem dolore affici. Paradoxum hoc verum eſt; quod Ariſtoteles fatetur. affligi, ac dolere ne doleas, & vt voluptatem conſequaris: & quod admirabilius eſt; non ſolum dolore emitur voluptas, ſed ipſa voluptas empta dolores parit. Sapienter ille, *nolo*, inquit, *emere tanti pœnitere*. & alter ille *nocet empta dolore voluptas*, & Plinius, *vitam ipſam, quæ lacrimis inchoatur, nimis ſæua mercede emi à natura* exiſtimauit. Quum vero differuntur deſideria, quam torquent animum, atque diuexant? *Nihil æque amarum eſt, quam diu pendere. Aequiore quidam animo ferunt præcidi ſpem ſuam, quam trahi.*

Ex cupiditate Dolor vehemēs.

Paradoxum verum.

Dilata cupiditas angit.

Seneca.

Cum enim inquit Seneca, *expectatio longior eſt conſeneſcit animus, & debilitatur mens*. Spes quæ differtur affligit animam, ſed quanta dilatio ſenium vitæ, animæ ægritudinem inducit. lepidè apud Theocritum paſtor ille, qui deſiderio, inquit, conficiuntur, vno die ſeneſcunt.

Spes, & expectatio affligunt.
Prouerb.

Deſiderans citò ſeneſcit.

Quin vero deſiderium id præſtat etiam; quod voluptatem accipere ex his, quæ habes præſentia, prohibeat. nonne auarus eſt, quaſi pauper cum in multis ſit diuitijs?

Auarus in diuitijs eget.

Et vt Gregorius Nazianzenus habet.

Per expetita ſemper indigentior.

Exemplum luculentum huius rei extat in Amano, qui cum Princeps, ac primus apud Aſſuerum eſſet, & omnia ei ſuppeterent, vt habetur in ſacris paginis. *Et cum hæc omnia*, inquit, *habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores Regis*.

In Eſteris libro.
Amani exēplum.

Sed verba Salamonis, alium deſiderij effectum indicant; ea sūt, *lignum vitæ deſiderium veniens*. nempè non eſſe ipſum ſine aliqua deſiderantis iucunditate exoriente, ex quodam veluti odore appropinquantis obiecti concupiti. Veniens enim deſiderium, id eſt res ipſa dilecta, & deſiderata, quæ nomine deſiderij, & deliciarum donatur. dum accedit languentem prius ex dilatione animam rediuiuam facit, & ſicut Aurora exorientem Solem, ita gaudium anteit obiecti delectabilis aduentum, atque præſentiam.

Ex deſiderio gaudium, quomodo oriatur.
Prouerb.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE VOLVPTATIS PERTVRBATIONE.

PRimas quod ad me, aut ſecundas tibi ò voluptas conceſſi, nam pœne vniuerſis cordi es. At vidiſti qua vi, violentiaque ſibi illas Amor, & Deſiderium abripuere; & qui animi mei ſenſus eſt, vulgo non bene oles. Audis luxurioſa, crapuloſa, vitiorumque mater omnium. & Ego opinionis meæ tanto à me ſtudio, tantaque animi contentione, & ætatis contractione coemptæ iacturam facere veritus nimis ſum, & ne non bene ſubolerem, ſi in primis à me fuiſſes collocata. Sed num honeſtatis nulli te radij luce colluſtrant? imo multi, virtutum ſi omnium fructus voluptuoſi, ſi radices amaræ. & ex hac parte, ò honeſtiſſima voluptas, qui & ingenio, & ſtudio ſemper, & frequentiſſimè aduerſantis fortunæ concuſſionibus in mœſtitudinis ſcopulos allidimur, libentiſſime te amplexamur, fouemus exoſculamur, tuoque etiam coniugio perfruimur. Quæſo, hanc ſedem pro prima reputa. Amor, & Deſiderium ceu Paranymphi præiere, non tibi vt antecellerent, ſed famularentur. In loco ergo hoc volentes te inducimus, ac ducimus.

SECTIO I.

VOLVPTATIS NOMINA PLVRA.

Perturbationis huius nomina varia. Quid ea ſint Stoicis hæc non niſi homini conuenire. Gaudium differre à lætitia, & voluptate non eſſe gaudium, niſi vulgo. Ex Seneca, à quo Virgilius leuiter accuſatus, quod mala gaudia dixerit. hæ Stoici, alij delectationem, voluptatem, gaudium, letitiam, fruitionem pro eodem habent, & in beſtijs etiam ponunt. Voluptatis Ethimon.

BIBL. ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

TErtia circa obiectum delectabile verſans perturbatio in parte concupiſcibili poſita, voluptas eſt. de qua poſt deſiderium agendi locus. Sed ante omnia quinque illæ ſunt explicandæ voces. gaudium, voluptas, delectatio, lætitia, fruitio. vt ad alia progreſſus fiat. Et gaudium quidem, ac lætitiam Stoici ſic deſcribunt. *Cum ita mouemur, vt in bono ſimus aliquo. dupliciter id contingit. Nam cum ratione animus mouetur placidè, atque conſtanter, tum illud*

Voluptatis nomina.

Gaudium, & lætitia quid ſint Stoicis.

illud gaudium dicitur , cum autem , & inaniter , & effuſè animus exultat ; tum illa lætitia geſtiens , vel nimia dici poteſt ; quam definiunt , ſine ratione animi elationem. Hæc Cicero.

Cic.l. 4. Tuſc.

Gaudiũ,& lætitia non niſi in homine Stoicis.

Itaque ſecundum Stoicam diſciplinam gaudium, & lætitia ad homines ſolos ſpectant. in quo quidem, & alij conſentiunt, neque enim beſtiæ lætari, aut gaudere proprio vocabulorum ſignificatu dicendæ ſunt. Rurſum Stoici gaudium negant eſſe perturbationem. Soli enim ſapienti illud concedunt in quo perturbationibus locum nullum concedunt. Lætitiam vero ſemper in perturbationibus ponunt. Sic Tullius, *gaudere*, inquit, *decet, lætari non decet*.

Gaudiũ Stoicis nõ eſt perturbatio.

Lætitia eſt.

Idem docet de voluptate, & gaudio Seneca, quod de lætitia, eodemque gaudio docuit Cicero. *Scio*, inquit, *& voluptatem, ſed ad noſtrum album dirigimus, rem infamem eſſe; & gaudium niſi ſapienti non contingere. Eſt enim animi elatio ſuis bonis viribuſque fidentis. vulgo tamen ſic loquimur, vt dicamus magnum gaudium nos ex illius conſulatu, aut ex nuptijs, aut ex partu vxoris percepiſſe, quæ adeo non ſunt gaudia, vt ſæpè initia futuræ triſtitiæ ſint. Gaudio autem iunctum eſt, non deſinere, nec in contraria verti. Itaque cum dicit Virgilius noſter, & mala mentis gaudia, diſerte quidem dixit, ſed minus propriè; nullum enim malum gaudium eſt. Voluptatibus hoc nomen impoſuit, & quod voluit expreſſit; ſignificauit enim homines malo ſuo lætos*. Sic Stoicus Seneca, eius etiam legenda epiſtola. Delectationem ex ijſdem Stoicis, ſic definit Cicero. *Delectatio voluptas ſuauitate auditus animum deliniens, & qualis eſt hæc aurium, tales ſunt oculorum, & tactionum, & odorationum, & ſaporum, quæ ſunt omnes vnius generis ad perfundendum animum, tamquam illiquefactæ voluptates*. Itaque Stoici omnia hæc quatuor vocabula ſolis hominibus, eorumdemque ſignificationes aſcribunt, quæ ſi quando beſtijs attribui videntur, impropriè omnino illis conuenire dicenda ſunt.lege Senecam.

Voluptas an ſit gaudium Stoicis.

Senec. Ep.

Virgilius.

Epiſt. 23.

Delectatio quid Stoicis.

Sed delectationis nomen propriè competere ei, quæ in animalibus eſt, perturbationi, circa delectabile præſens, docet eruditè Sanctus Thomas, adde etiam voluptatis nomen animalibus competere, ſi ſignificationem ſpectemus; ſignificat enim delectationem corpoream, & animalem, & ſenſuum ductu percipiendam. ſi vero deriuationem, aut ethimologiam conſideres, voluptas à voluntate optante dicitur. Reliqua fruitio eſt; de qua cum multa afferi poſſint, nunc illud vnum aſſero. eam à voluptate, & delectatione, quæ ex perceptione, & præſentia obiecti amati percipitur, nullo diſcrimine ſeiungi. Deinceps ad rem accedamus. reſtant enim quæſtiones explicatu difficiles.

Delectatio, voluptas, gaudium, lætitia in animalibus, & communiter vnum ſunt. S. Thom. 1.2.

Ethimon Voluptatis.

O SEC-

SECTIO II.

QVÆ, ET QVOMODO VOLVPTAS SIT PASSIO.

Eſſe patet ex Ariſtotele, & SanctoThoma, quia motus. Quid ea propriè, & quomodo oritur. Coniunctio obiecti, & eius ſtatus quotuplex. Obiecto abſente voluptas oriri poteſt. Item ex iniucundorum memoria. Ariſtoteles explicatus. Voluptas perficit operationes. Maroni cum laude lux. An voluptas ſit finis. Sanctus Thomas defenſus. Piccolominei argumenta ſoluta, Voluptas, qua ratione motio, diuiſibilis, indiuiſibilis, tota ſimul, ſucceſſiua ſenſibilis, & rationalis, ſubita, motus, & non motus. & in his loci Ariſtotelici varij elucubrati.

Ariſtot. de voluptate dictum. Vnde ſequitur eã non eſſe perturbationem. Quod falſum eſſe probatur argumentis. Ex eod. Ariſtot.

QVæſtio hæc ex eo, oritur, quod Ariſtoteles dixerit, *virtutem omnem in voluptate, & dolore eſſe poſitam; & perturbationes eſſe, quas voluptas ſequitur, aut dolor*. Ex quibus ſequi videtur in perturbationibus non eſſe voluptatem numerandam. Sed voluptatem aliquam eſſe perturbationem, fatendum eſt. nam virtutes circa perturbationes moderandas verſantur, & temperantiæ præſertim virtus, circa voluptatis moderationem verſatur. Igitur voluptas perturbatio eſt. Argumentationis vtramque partem aſſeuerat multis in locis Ariſtoteles, quamobrem immerito à Piccolomineo negatur aſſumptio. Sanctus Thomas eandem concluſionem huiuſmodi argumento conficit. Motus appetitus ſenſitiui propriè paſſio dicitur, ſed voluptas motus eſt ſenſitiui. Igitur voluptas paſſio eſt. cuius argumenti vis in eo eſt. quod omnis affectio ex apprehenſione ſenſitiua procedens eſt motus appetitus ſenſitiui. Quemadmodum autem voluptas aſſeratur, aut negetur eſſe motus, paulo poſt dicam.

Ex S. Thoma.

Voluptas motus eſt ſenſitiui.

Quid proprie ſit.

Quando oritur.

Iam voluptas omnis prouenit ex coniunctione obiecti conuenientis cum ſentitur, & cognoſcitur, Itaque coniunctio, ſeu vnio, rei conuenientis cum ſenſu, aut cum potentia cognoſcente voluptas non eſt. Sed ſenſatio, aut cognitio, quæ voluptatem præire debet, vt Sanctus Thomas docet. Ex hac vero oritur in appetitu, aut ſenſitiuo, aut rationali affectio motioue quædam complacens ſibi in ea vnione. atque hæc eſt voluptas.

Oritur ex reali coniunctione cum obiecto cõuenienti, & cogitatione etiam.

Non ſolum autem oritur ex reali vnione obiecti cum ſenſu, aut appetitu; ſed ex memoria vnionis præteritæ, aut ex ſpe futuræ, aut ex deſiderio, aut ex ipſa cogitatione obiecti, aut præteriti, aut futuri, aut abſentis, aut ex amore eiuſdem, vt experientia manifeſtum facit. Ex quibus patet voluptatem duobus enaſci tẽporibus. vnam dum delectabile abſens eſt, alteram eo re vera præſente. De pri-

primo voluptatum genere Ariſtoteles ait, *eas ineſſe vehementes iſs, qui recordantur, & ſperant, ſiquidem ineſt ijs ſenſus, quæ re neceſſe eſt omnia iucunda in ſenſu conſiſtere præſentium, aut in memoria præteritorum, aut in ſpe futurorum, ſentiunt enim præſentia, recordantur præterita, ſperant futura, ac quæ quidem memoria cuſtodiuntur, iucunda ſunt, non ſolum quæ tunc cum aderant, iucunda erant, ſed non nulla etiam non iucunda, ſi præterea eueniat quidpiam honeſtum, & bonum. vnde illud dictum eſt.*

Duplici in obiecti ſtatu oritur voluptas, quæ inde duplex.

Ariſtot. dictum quando iucundã voluptatem pariunt abſente obiecto.

Quomodo etiam pariunt iniucunda.

Verum delectat ſaluum meminiſſe laborum.

Et illud.

Nam delectatur, memor eſt quicumque laborum
Cum res, & multas paſſus, multaſque peregit.

Omnino quæcumque præſentes oblectant, etiam oblectant ſperantes, & recordantes plerumque, quamobrem, & iraſci iucundum eſt, vt Homerus cecinit. Excandeſcentia.

Quæ melle effuſo longe eſt dulcior.

Et plurimas cupiditates conſequitur quædam voluptas. aut enim dum recordantur, quomodo potirentur, aut dum ſperant fore vt potiantur, perfunduntur quadam voluptate. Et qui amant, cum colloquuntur, & ſeribunt, & cantant, ſemper aliquid de re illa, quam amant, gaudent. In omnibus enim iſtis talibus dum recordantur, quodammodo ſe ſentire arbitrantur rem amatam. Hæc ex Ariſtotele apud quem etiam alia ad hanc rem.

Lib. 2. Rhet.

De poſteriore autem voluptate, quæ ex præſentia obiecti oritur, docet eam eſſe *motionem quandam animi, & conſtitutionem ſubitam, & ſenſibilem, in ſtatu naturæ conuenienti.* Quæ poſtrema Ariſtotelis verba ſic Sanctus Thomas explicat, vt per ſtatum naturæ cõuenientem denotetur cauſſa delectationis, ſcilicet præſentia connaturalis boni. Sed inferius nobis explicandus eſt.

Quomodo oritur voluptas obiecto præſenti.

Ariſtot. à S. Th. explicatus.

Nunc de duplici voluptate ſupra dicta agamus. Et prior quidẽ concomitans eſt perturbationum, & vitæ functionum, operationum, & motuum appetitus, vt Ariſtoteles ait, & eas perficit; auget enim, & amplificat muneris functionem ſua voluptas. Nam diligentius quidque iudicant, accuratiuſque perſequuntur, & adminiſtrant, qui cum voluptate ſuo munere funguntur.

De priore voluptate.

Altera voluptas ſe habet, vt finis functionum, & perturbationum, & vt perficiens eas. de qua Ariſtoteles: *perficit muneris functionẽ voluptas, non vt habitus penitus inſitus, ſed vt finis quidam ſubſequens.* in quo diſcrimen eſt à perfectione, quam prior etiam voluptas præbere functionibus dicta eſt. ea enim perficit tanquam ſtimulus vrgens, & incitans. hæc tanquam ſcopus attrahens, & tanquam finis alliciens currentem. Vnde rectè Poeta dixit.

De poſteriore.

Quomodo vtraq; perficit operationes.

Trahit ſua quemque voluptas.

Laudatur Virgilius, & explicatur.

Trahere enim propriũ finis eſt. Amantibus qualis erat Coridon,

O 2 nul-

nullus, præter hanc, finis: ſed & Epicuræis finis alius nullus, quare eam *Ducem vitæ* dixit eius ſectæ ſectator latinus poeta Lucretius.

Lucretius.

Et iam cetera, mortales quæ ſuadet adire
Ipſaque deducit, dux vitæ dia voluptas.

Voluptas an poſſit eſſe finis operandi.

Sed quemadmodum delectatio finis eſſe poſſit, cum ſæpè imò nunquam vir bonus, & ſtudioſus voluptatis gratia operetur, & ipſe perturbationes in homine nó ſemper propter voluptates exiſtant?

Reſoluitur quæſtio.

Quomodo voluptas non ſit finis.

Quomodo poſſit eſſe.

Ex Ariſt. & S. Thoma qui deſſus.

Amorē, & odiū ſēper ſequitur voluptas, & dolor.

Huic quæſtioni ita occurrendum. Voluptatem non eſſe ſemper finem, ſecundum quod finis eſt id, cuius gratia, aut propter quod, aliquid faciendum ſuſcipitur; id quod Epicurus iubebat. Sed ſecundum quod omne bonum cumulatiuè fini ſuperueniens, aut in operationis complemento, tanquam in termini, finiſque appendicem, aut coronidem, aut parergon ſubſequens; finis dicitur; maximè cum quies quædam eſt, & adaptat animam in fine adepto. Atque in hunc modum voluptas, & dolor finis ſunt aliarum perturbationum, vt Sanctus Thomas pluribus locis docet cum Ariſtotele conſentiens. Nam in amore ſimplici, & ſimplici odio, hos enim affectus etiamſi ſimplices guſtus boni, & mali præciſè, & naturaliter exurgentes abſque intentione conciliandæ delectationis, vel moleſtiæ declinandæ, tamen conſequitur quædam ſua voluptas, rationem habens finis, & complementi eius operationis, quæ amor eſt. Quæ ſi conſideraſſent quidam nequaquam à doctrina Sancti Thomæ exorbitaſſent.

Piccolom. argumētū, quod & voluptas nō ſit motus, neq; perturbatio.

Sed iam obiectiones quaſdam Piccolominei diſſoluamus, & ſimul alia adijciamus ad elucidandam Ariſtotelis doctrinam ſpectantia. Voluptas, inquit Piccolomineus, *motio non eſt, atqui omnis perturbatio eſt motio, ergo voluptas perturbatio non eſt.*

Solutio eſt diſtinctione ex S. Thom. allata.

Quomodo voluptas eſt motio.

Propoſitionem huius argumenti iam dudum diſtinxit Sanctus Thomas, voluptatem ſcilicet non eſſe motionem, ſeu motum conferentem ad conſecutionem finis, ſeu obiecti conuenientis appetitui. Eſſe vero motum, aut motionem appetitus circa finem, aut obiectum iam adeptum, quod ſatis eſt ad hoc, vt perturbationis naturam teneat. Neque enim in perturbationibus eadem ratio mouendi requirenda eſt. Hinc eſt quod delectatio ſæpè non motus, non ortus, aut generatio, ſed mutatum eſſe, ſed quies, ſed terminus vocetur. Cum tamen ipſa vere ſit immutatio appetitus ab appetibili obiecto, ſeu vt ipſe loquitur Piccolomineus. *Motus attinens ad appetitum ſenſuum.* quod ad rationem propriæ perturbationis eſt ſatis. At voluptas, inquit Piccolomineus, totum aliquid eſt, & indiuiduum, motio autem diuidua. Miror hoc de voluptate dici ab Alexandro Piccolomineo, quod de omnibus perturbationibus poſſit aſſeri, ſed vero id occaſionem nobis præbet altius hac de re diſcurrendi.

Inſtat Piccolom.

Obſiſtur eidem.

In primis enim amor, qui ſecundum omnium ſententiam perturbatio eſt, non ne totum quid eſt, & indiuiduum? non ſolum quando circa obiectum præſens verſatur, quo tempore non videtur poſſe accidere, & voluptas indiuidua ſit, amor autem diuiduus, ſed neque abſente obiecto, non enim eſt veluti impulſus, aut tractio, aut veluti itio quædam, ad obiecti conſpectum, ſed complacentia in bonitate obiecti amabilis. igitur nullam habet rationem diuiduationis, aut ſucceſſionis, aut motus, hoc enim fortaſſe Piccolomineus intelligit diuiduationis vocabulo, ſed totum quid ſimul eſt, & indiuiduum, ſicut voluptas: cur igitur amor perturbatio eſt, voluptas autem non eſt.

An voluptas ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis?

An eſſe totum ſimul obſtet perturbationi.

Amor totus ſimul eſt.

Deinde hoc eſſe indiuiduum, aut totum ſimul, eſt ne in inſtanti, aut momento exiſtere? at id nonne aliæ habent perturbationes? amoris, odij, timoris, deſiderij, fugæ, ſpei; primum enim eſſe incipiunt in momento, deinde vero per tempus aliquod perdurant. ſicut ipſa voluptas. An vero illud eſt, vt qualis initio extitit, talis ſemper in ſua intentione perſeueret? At hoc & ceteris competere poteſt animæ perturbationibus; & falſum etiam eſt. falſum, inquam, quoniam ſicut, & ceteræ paſſiones, ita voluptas, augeri poteſt, & minui. Quod ſi hæc illa non habeat quia circa obiectum iam adeptum verſatur, eadem ratione amor, odiũ, & aliæ perturbationes, dum circa præſens ſunt, non mutantur. Sed neque obiecto non dum præſente augeri habent, aut minui, niſi facta mutatione in obiecto per ſenſum propoſito, at facta mutatione in obiecto præſente, non ſolum amor, ſed voluptas etiam immutabitur, vt patet. Par igitur eſt perturbationum aliarum, ac voluptatis ratio. An tandem diuiduatio eſt ſucceſſio? voluptas autem ſucceſſione caret. & tota ſimul eſt. At hoc etiam amori, atque odio commune eſt, ſicut & viſioni, & ceteris quæ cum in ſua entitate acquirenda ſucceſſionis non egeant; ſunt enim totum quid indiuiſibiliter enaſcens, non per partes, vt tempus, oratio, motus, ſonus, quæ particulatim per ſucceſſionem fiunt, illa tamen poſtquam facta ſunt, durant per aliquod ſpatium temporis. dicunturque eſſe entia ſucceſſiua per accidens; nempe quia vel ſunt in ſubiecto ſucceſſiuè exiſtente, vel ſunt alicui rei ſucceſſiuæ ſubiecta. Exemplum ſubijciam. Punctus, & motu, & ſucceſſione caret, ſed dum eſt in linea, aut globo, aut corpore, quæ ſunt per ſe ſucceſſiue mobilia; efficitur, & ipſe ſucceſſiuè mobilis per aliud. iam enim cum corpore hinc, alio transfertur. Anima ſecundum ſuam naturam ſucceſſiuè moueri nequit, quæ ratione corporis, mouetur tamen. Eſſe hominem terminus eſt, & mutatum eſſe generationis, & motus, quamobrem ei moueri non competit; cum terminus nequaquam moueatur. veruntamen ratione humanæ naturæ, aut hominis, aut eſſe hominis, quod corruptioni, &

Quid ſit eſſe totum ſimul, & indiuiduum.

Perturbationes poſſunt incipere in momento.

Tã voluptas, quã aliæ perturbationes augeri poſſūt & diminui in progreſſu.

Diuiduatio an ſit ſucceſſio in perturbationibus.

Perturbationes quomodo ſucceſſiuæ.

Indiuidua quomodo moueantur. Exempla.

motui

motui obnoxium eſt, etiam hominem eſſe mobile cenſetur. Multo autem hoc magis voluptati conuenit, quæ quamquam terminus eſt, & mutatum eſſe perturbationum earum, quæ ſunt quædam ad conſequendum delectabile veluti via, & motus ſicut eſt hominem eſſe. tamen habet etiam quod ſit motio naſcens ab appetitu, & tendens in obiectum, aut circa illud verſans, in modum rei fluentis, aut emanantis ab appetitu, quod non habet terminus ille, quem diximus generationis humanæ, qui eſt, hominem eſſe. quia non eſt affectio, aut motio ſed eſt quid permanens, atque in ſe ipſo ſtans.

Voluptas quemodo eſt motus.

Adde. quod, hominem eſſe, eſt terminus intrinſecus generationis humanæ, calor eſt etiam intrinſecus calefactionis terminus. Non ſic voluptas Amoris, aut deſiderij, ſed eſt affectio poſt deſiderium, & poſt deſiderij terminum proprium, & intimum exurgens.

Voluptas quomodo eſt finis, & vltimum.

Dicitur autem terminus, quia vel eſt finis operationum, aut perturbationum: finis tamen conſequens, vt ſupra dictum eſt, & potius vltimum, & poſtremum, quam finis. Vel quia tunc eſt, quando obiectum de abſente factum eſt præſens, vel quia oritur poſt eas perturbationes, quæ dicuntur tendentiæ, & acceſſiones ad obiecta. Sed exactius hæc capite ſequenti. Ex his dictis elucet definitionis Ariſtotelicæ de Voluptate ſignificatio cum dixit. *voluptas eſt quædam motio animi, & conſtitutio ſubita, & ſenſibilis in ſtatu naturæ conuenienti*, quam optimè declarat Sanctus Thomas intelligens per ſtatum naturæ conuenientem præſentiam obiecti delectabilis.

Voluptatis definitio ex Ariſtot. elucidatur.

Voluptas quomodo ſenſibilis. Non in ſolo ſenſu voluptas, ſed in ratione.

Sed vocabulo illo ſenſibilis quid intelligi voluit Ariſtoteles? An vero appetitui rationali ſuam negat voluptatem Philoſophus? verumtamen id negare nefas ei eſt; quod alibi aſſeruit. *Habet*, inquit, *ſenſus ſuam quiſque voluptatem, itemque cogitatio, & cognitio. Atque vt quæcumque functio eſt perfectiſſima, ita iucundiſſima eſt.*

Ariſtot in Rhetoricis agit de vtraque.

In Rhetoricis Ariſtotelem de perturbationibus humanis, & verè ſenſibilibus agere videri aſſerunt quidam. Ego, ſi ipſum agere dicant, de ſenſibilibus præcipuè aſſentior, ſin vero de ſolis illis, diſſentior. Nam cum agat de cupiditatibus etiam rationalibus, quæ maximè in iudicijs, contentionibuſque cernuntur, item de gloria, honore, probitate; cur non etiam de voluptate rationali, quæ hiſce ex cupiditatibus exoritur? Sed ſenſibilis eſt voluptas, vel quia etiamſi in ratione exorta, tamen corpus etiam afficit, vel quia cum valde exigua, aut minima eſt, vix voluptas eſſe dicitur, quia videlicet non ſentitur, ideſt animaduertitur.

Quomodo ſubita.

Manifeſtum etiam ex prædictis efficitur, quomodo voluptas quoddam ſubitum ſit. de qua re idem alibi ſic habet. *Voluptas totum quoddam eſt, atque integrum, neque quiſquam voluptatem vllo tempore*

L. 10. Eth. c. 3.

pore ſumat, cuius, ſi longius producatur forma, ſit perfectior futura. Itaque neque motus quidem eſt, omnis enim motus in tempore verſatur, & ad aliquem finem refertur. & cætera.

Rurſum occurrit hic Piccolomineus exclamans definitionem in Rhetoricis allatam, in qua voluptas motio eſſe dicitur. definitionem eſſe popularem, & à Platone traditam, quod & oſtendit ibidem Ariſtoteles dum ait, *ſe non exquiſite de rebus ſingulis definire*. Sed hæc in Rhetoricis definitio exacta etiam ſatis eſt. neque ijs, quæ docuit in Ethicis contraria. *Explicatur, & defenditur, Ariſtot. in Rhetoricis.* Quandoquidem hic negat Ariſtoteles voluptatem eſſe motum ſucceſſiuum, & fieri per partes, quæ careant ſingulæ denominatione termini. *Voluptas quomodo motus, & non motus.* cum voluptas quouis tempore perfecta ſit, non ſic oratio, cuius quæcumque pars accipiatur etiam vt terminus præcedentis motionis, imperfecta eſt & nomine orationis non appellanda. Perſpicuum igitur eſt motum, & voluptatem inter ſe differre. Negat itaque Ariſtoteles, in Ethicis voluptatem eſſe talem motum, qui tendat ad terminum ſucceſſiuè, & per partes acquirendum. *Idem explicatur in Ethicis. Circa voluptatē.* negat itidem eam eſſe talem cuius partes nomen voluptatis reijciant, ſed aſſerit quamcumque voluptatis particulam, & naturam voluptatis, & nomen habere, ſicut habet cum tota conſideratur. Quamobrem contra Platonem concludit, *Voluptatem neque generationis, neque ortus rationem habere*. *Et eius motum.* Non tamen propterea negat eam eſſe motionem ſubitam, & habentem ſuam eſſentiam, & formam totam ſimul, neque negat eam poſſe, aut remitti, aut intendi. Neque enim perpetua voluptas gigni poteſt, functionem enim muneris ſequitur, quæ maior, minorue eſſe poteſt. Non nulla autem delectant, quandiu noua ſunt, *Et remiſſionem.* ſed poſtea non æque propter hanc cauſſam. *Principio enim incumbit in ea cogitatio, & contente ſuo munere fungitur, vt qui defixis oculis rem aliquam intuetur, deinde talis in fungendo munere contentio non adhibetur, ſed muneris functio remiſſior, ac negligentior eſt, qua propter voluptas quoque inobſcuratur*. Quid clarius.

SECTIO III.

PROGRESSVS ANIMÆ VSQVE AD DELECTATIONEM, ET VARIÆ CIRCA ID QVÆSTIVNCVLÆ.

Anima primum cognoſcit obiectum, tum amat poſt deſiderat; quarto diuerſi motus ad obiecti conſecutionem. quinto cognoſcitur obiecti conſecutio, tum deficit deſiderium, non amor. Demum voluptas. Hæc cur quies, non vero Amor? Quidam reiecti, auctoris reſponſio, & de amoris inquiete plura. Voluptas an ſemper ex operatione? Prabita Ariſtoteli, & Sancto Thomæ lux. An amor ſemper anteit voluptati. Aſ-

ſenſio

ſentio quid muneris functio apud Philoſophum, explicatum. Iterum de operatione ad voluptatem requiſitam. reiectis quibuſdam vera reſponſio aſtruitur.

Anima primũ ſẽtit, aut cognoſcit obiectum bonum.

ANima per apprehenſionem cognoſcit, aut ſentit, aliquod obiectum ſimpliciter bonum eſſe, aut ſaltem videri; aut hoc idem videri, aut eſſe ſibi bonum. hinc eiuſdem animæ appetitus concupiſcens mouetur ad amandum; & hic motus nihil aliud eſt, quam operatio appetitus complacentis de illo bono ſuo apprehenſo, qui amor dicitur. Quod bonum quia eſt abſens: amatum tamen, ilico ab eodem appetitu alius elicitur actus, & motus, qui deſiderium, aut cupiditas, aut concupiſcentia appellatur, eius obiecti abſentis adipiſcendi. poſt deſiderium ſequuntur actus alij plures; tam intellectus, quam voluntatis, aut phantaſiæ, cogitatiuæ, & facultatum corporalium, ſpectantes ad conſecutionem, adeptionem coniunctionem, vnionem, præſentiamque boni eius, habendam, & ad comparanda media, atque adiumenta ad ipſum. qua habita eliciendus eſt actus cognitionis, & apprehenſionis de adeptione boni illius, debet enim ſentiri, & cognoſci adeptio rei concupitæ, quæ actiones omnes animæ inter perturbationes non cenſentur. Iam adeptione boni ſecuta, ceſſat quidem actus deſiderij, non vero actus amoris. Amor enim tam eſt erga bonum abſens, quam erga præſens. Demum in ipſo boni complexu anima ſuo eodem appetitu alium, & vltimum actum producit, quo complacet ſibi de vnione, ac præſentia boni ſibi conuenientis, & huic actui nomen eſt gaudium, voluptas, delectatio, fruitio.

Tũ appetitus mouetur ad amorẽ.

Poſtea deſideriũ.

Præterea varij eliciuntur actus à varijs facultatibus propter conſecutionem boni.

Idem cognitio conſequutionis, ſeu boni iam acquiſiti.

Hoc facto ceſſat deſiderium non amor.

Tandem exurgit ab eod. appetitu delectatio, ſeu gaudium.

Hinc emicat reſponſio ad celebrem illam quæſtionem, quare voluptas dicatur quies potius ipſa, quam Amor, dum circa obiectum adeptum verſantur. Cui quæſtioni varijs modis occurritur a diuerſis, quorum dicta neque referre, neque confutare vacat. Nos primo negamus Amorem dici poſſe quietem, quia idem omnino eſt cum amore, qui fuerat ante obiecti conſecutionem coniunctus cum deſiderio adipiſcendi, idemque erit, ſi præſentia obiecti euaneſcat: igitur ex ſua natura Quies non eſt, Anima enim in amore verſans adhuc torqueri poteſt. quamobrem venuſtè Plautus, *Amoris Rotam* dixit, ſed præſtat eius verba deſcribere, quibus Amorem quietem eſſe non poſſe, demonſtratur.

Voluptas cur quies non vero amor.

Panan. in introd. dict. 3. q. 1 p. 2. n. 17.

Rumund dict. 3. q. 2. ar. 5 nu. 217.

Reſponſio de amore prima.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego coniecturam de me domi facio, ne foris quæram.
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus animi
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior. ita nullam mentem
Animi habeo.

Amor inquies ex Plauto. Ciſtellar.

Plu-

Plurima ſequuntur venuſtiſſima. Hiccine ergo amor quies eſt? Deinde etiam ſi ante præſentiam, adeptionemque boni, nullus Amor antcceſſiſſet, qui cruciaret animum: ſed ad inopinatam obiecti alicuius præſentiam exarſiſſet repente, & ſimul cum conſecutione extitiſſet; Aſſero neque tunc Amorem illum eſſe quietis nomine donandum. Quia Amor non oritur ex adeptione boni, ſed ex bonitate adepti. At quies, conſequutione, & poſſeſſione exoritur, quod nulli actui conuenit præter voluptatem. hæc ergo eſt quies.

Reſponſio ſecũda.

Reſponſio de voluptate 1.

Præterea quies ſequitur poſt omnem motum, & operationem: at vltima animæ operatio, & id quod omnes eius operationes conſequitur, voluptas, & delectatio eſt.

Secunda.

Inueſtigandum autem vlterius eſt, an verum vſquequaque ſit, delectationem ſequi ex operatione, vt dictum eſt, & Ariſtoteles conſentit in Ethicis; *nam neque ſine aliqua inquit, muneris functione*, (græce habetur *Energia*, ideſt actus (*gignitur voluptas, & omnem muneris functionem perficit voluptas*. Et quidem cognitio conſecutionis, ſeu adeptionis neceſſario præuenit delectationis actum: ſed an iſta cognitio debeat actu ſemper præuenire? videtur enim negandum; quia ſi quis ſpeculetur, & de ſua ſpeculatione delectationem capiat, non eſt neceſſe, vt cognitione altera cognoſcat ſpeculationem ſuam. quod multo magis probatur. Cum enim delectatur appetitus de re præſenti cognita vt delectabili; delectatur etiã de ſua illa cognitione, deberet igitur hanc delectationẽ de cognitione præire alia cognitio, & ſic infinitæ fierent cognitiones.

An voluptas ſẽper ex operatione ſequatur.

Annuit Ariſtot.

Præit enim cognitio, ſeu ſenſatio obiecti præſentis.

Quid ſi delector de cognitione tãquã de obiecto?

In hac quæſtione ita iudicare poſſe videor; circa obiecta, quæ cognitiones non ſunt, antequam delectatio profluat, ſemper cognitio adeptionis præcurrit. quod Ariſtoteles, & Sanctus Thomas docent. Si vero de noſtris intellectionibus, ſpeculationibuſque delectamur, non eſt neceſſarium, vt eam delectationem anteuertat noua alia cognitio, veluti reflectens; poteſt enim fieri, vt vna cognitio obiectum percipiat, & ſe. Ariſtoteles vero quando docuit voluptati præire oportere actionem, ſeu muneris functionem, non cognitionem hanc intellexit, quæ muneris functio non eſt; ſed aliam. quam ergo? An amorem? neque hanc credo. quis enim amorem eſſe muneris functionem credat? Et an ad omnem voluptatem Amor antecedit? Sane ſi de illis obiectis ſit ſermo, ante quorum adeptionem nulla vnquam præiuit cognitio eorum delectabilitatis, vel de ijs, quæ nunquam à nobis ſeparantur, videtur poſſe exiſtimari nullum Amorem voluptati præire. vt ſi quis delectetur de Theſauro nec opinanti inuento, vel de ſuo ingenio, aut memoria. & huic parti videtur Sanctus Thomas fauere, qui duo ait voluptatem anteire, adeptionem, & adeptionis cognitionem.

Reſponſio negatiua.

1.2.q.31.ar.1.q.32 ar.1.

Quid ſit muneris functio.

An Amor ſẽper anteit voluptatẽ.

Videri negandũ

Verum his ratio opponitur; nam voluptas neceſſario ante ſe habet adeptionem, & cognitionem adeptionis ſibi conuenientis: ſed

Sed ratio in contrarium.

P ex

ex cognitione boni conuenientis oritur Amor, ergo amor præit voluptatem ſi non tempore, ſaltem natura. Natura autem prius naſci Amorem, quam voluptatem in confeſſo eſt; voluptas enim eſt de bono amato præſente.

An ad amorem obiecti præſentis ſemper voluptas naſcitur.

Aſſenſio.

Sed an exiſtente Amore circa obiectum conueniens, & præſens neceſſe ſit enaſci voluptatem; vel poſſit cohiberi ne naſcatur? Credo Amorem in appetitu ſenſitiuo circa obiectum apprehenſum vt bonum cohiberi non poſſe; per ſe loquendo, & ſecundum naturalem curſum, ne ſaltem primo motu ſentiatur, cumque etiam ſequatur proximè voluptas; prohiberi tamen à voluntate poſſe, quæ libera eſt, ne Amor vltra progrediatur, neque voluptas augeatur; & niſi Amori modus ponatur, neq; voluptati poni poſſe. Amorem enim voluptas proportione conſequitur ſed de his alibi dictum.

Quid numeris ſignificatio.

Eſt operatio qua conſequuntur obiecta.

In obiectis corporeis clara.

Explicata in incorporeis, & internis.

Reſtat adhuc dilucidandum, quid nomine operationis intelligatur, ad quam ſequi dicitur voluptas? Aio autem illam eſſe, qua adeptio obiecti perficitur, ſeu qua obiectum fit præſens appetitui, qui delectatur, quæ ſemper operatio eſt; nam obiecta ſenſitiui appetitus externa ſolent eſſe, & corporea, quæ non niſi operatione conſequitur. Quod ſi de obiectis appetitus rationalis agamus, cuius delectationis obiecta poſſunt eſſe interna, atque intima, vt eſt ſpeculatio, ſcientia, habitus boni, habilitates, facultates naturales, & cetera. adhuc etiam aſſero interuenire, ac præire operationem aliquam, quæ faciat obiectum præſens voluntati gaudium ſuſcepturæ. Si enim de ſpeculatione ſuſcipienda delectatio eſt, tunc vel alia ſpeculatio ſpeculationem priorem admouet voluntati; vel ipſamet prior cogitatio ſe ipſam tanquam ſui baiula, atque adminiſtra oſtentat voluntati. rurſum cum voluntas de animæ facultatibus vel à natura conceſſis, vel ſtudio comparatis gaudet, tunc intellectus ſua operatione illas voluntati repræſentat; quibus delectetur. hæ enim facultates quamquam præſentes animæ ſint, non tamen ſunt præſentes vt obiecta; amabilia, atque delectabilia. Addo aliam reſponſionem vniuerſalem, & omni delectabili competentem. Dico igitur fieri non poſſe vt voluntas; aut appetitus delectetur in aliquo, niſi vt habito, atque vt ita dicam, ſub ſuam poteſtatem redacto; habere autem huiuſmodi, nihil eſt aliud, quam ea re vti; aut poſſe vti; at hoc per aliquam operationem completur. Quare manifeſtum omnem delectationem in operationem reduci, ſicut in cauſſam. Ita cum dicitur voluptas ſequi operationem intelligendum quidem eſt de operatione Adeptionis, vt dictum eſt, ſed adeptionis operatio quandoque antecedit in executione voluptatem, & tunc ea operatio erit, & cauſſa efficiens voluptatem: aliquando verò ſubſequitur quidem in executione, ſed tunc anteit intentione, ſicut quando de pecunia

Altera reſponſio de operatione ad voluptatem requiſita.

pecunia quiſpiam delectatur, quæ in arca eſt, ex eo delectatur, quia poteſt illa vti, & in hoc operatio ſe habet vt cauſſa propter quam, & vt finis, & voluptatem ante vertens intentione, & motione metaphorica. *S. Th. 1. 2. qu. 32. ar. 1.*

Occurres. Aeſtiuis caloribus, aura, frigidaque delectamur, cum refrigeramur, at refrigeratio, non actio, ſed paſſio eſt. Reſpondent quidam operationis nomine voluptatem præeuntis intelligi operationem veram, vel quaſi operationem, receptio autem formæ, & quæuis boni delectabilis coniunctio cum ſenſu, aut voluntate operationis nomine contegitur, antecedentis voluptatem, vt Caetanus, & Valentia adnotant, & ad mentem, vt ipſi aiunt, Sancti Thomæ, ſed non placent, & mens Sancti Doctoris explicata eſt. nam vult operationem ſemper veram anteire in aliquo genere cauſſæ, vt dictum eſt. *An operatio debet eſſe vera operatio, ſeu actio. Ramund. dict. 5. q. 2. ar. 5. nu. 222. Pars negãs Caetani, & Valẽtia. 1. 2. q. 32. ar. 2. 1. 2. d. 3. q. 5. p. 3. Reÿcitur.*

Reſpondetur ergo, operationem, quæ anteire habet, non neceſſe eſſe, vt ab eo exerceatur, qui debet delectationem ſuſcipere: ſatis eſſe, ſi ab aliquo exerceatur in ordine ad voluptatem ſuſcitandam, v. g. refrigeratio in æſtu ſi fiat à Zephyris, ab auris, ab Etheſijs, à niuibus, à gelu, calefactio in hieme, ſi ab igne, quæ operationes eius etiam cenſeri poſſunt, qui patitur; nam voluntariè, & libenter ſuſcipiuntur, & ipſo etiam cooperante fiunt. *Reſponſio vera.*

Ex his apparet, hanc propoſitionem delectatio eſt operatio, eſſe non ſolum veram formali ſignificatu, vt ſcilicet ipſa ſit actus animæ ab appetitu procedens. ſed cauſſali etiam. ita nempe, vt aliqua operatio in genere vel efficientis, vel finalis cauſſæ delectationem producat; aut vt aptius loquar, appetitum incitet ad eliciendam, ſuſcipiendamque voluptatem, quæ cum finis ipſa non ſit, cuius gratia, aut propter quam aliquis ſemper operetur, ſed aliquid vltimum, & conſequens, poteſt adhuc ad aliam operationem tanquam ad vltimum finem ordinari. *Voluptas poteſt ordinari ad aliã operationem.*

SECTIO IV.

VOLVPTATIS QVÆDAM CONDITIONES.

Auget inquiſitionem obiecti, condit operationes, vt fames eibum. Voluptas in alio impedit functionem circa aliud. Id explicatur, cum Thoma. Voluptas telum, latro liquefacit mentem. Cicero illuſtratus. Cyrcæum poculum eſt, imo peior. Boetij locus elegans. Voluptarij, inſani, ebrij, exempla à Plauto de Ebrio, & Amante inſano. Quædam voluptates Ariſtoteli morboſæ, & quæ. Mapphaei Barberini carmen, & laus. De vrbis incendio Neroniano. *Phalaris excuſatur cum Zeze.*

Voluptas auget obiectis inquiſitionem. Eadem operationum condimentum. Vt fames ciborũ.

PRopoſitiones quædam ad hoc argumentum facientes, quas Ariſtoteles pronunciauit, explicabuntur. Prima illa eſt. *Auget, & amplificat muneris functionem ſua voluptas*. rectè, vt enim optimum cibi condimentum fames eſt, & vbi hæc deeſt, garis moretis ſalſamentiſque paratur. ita operationum condimentum voluptas. quo illam nomine idem appellauit Ariſtoteles, & fames quidem, ac ſitis, ideo condire cibos, potioneſque dicuntur; quia voluptatem in comedendo, potandoque indueunt, & quæ bibuntur, eduntur que ſuauiora faciunt, voluptas autem omnia, quæ in operationibus occurrere poſſunt difficilia, amara, doloriſera condit, & melle quodam afficit. Sic diligentius omnia iudicant, accuratiuſque perſequuntur, & adminiſtrant, qui cum voluptate munere funguntur ſuo. verbi gratia. Geometræ fiunt periti, qui Geometriæ ſtudijs, & actionibus delectantur: & vnum quodque facilius, ac plenius intelligunt. Itemque muſicæ, & artis ædificandi ſtudioſi, & ceteri artifices magnos progreſſus in ſuo quiſque ſtudio, & munere faciunt, ſi eo delectetur.

Voluptas ab alijs obiectis impedit functiones in alijs obiectis.

Altera propoſitio. *Voluptates, quæ ab alijs, atque diuerſis rebus proficiſcuntur, proprij muneris functionibus impedimento ſunt.* quam exemplo tibicinum declarat idem Philoſophus; nam qui tibiarum, inquit, cantu delectantur, ſi aliquem, qui tibia canat, exaudierint; orationi, quæ habetur animum aduertere non poſſunt, quoniam magis eos delectat tibiarum cantus, quam negotium, quod agitur. ea igitur, quæ ex tibiarum ſonis percipitur voluptas, muneris fũctionem eam, quæ in oratione habenda expromitur, corrumpit. itemque hoc in alijs vſuuenit, cum quis ſimul duabus rebus operam dat, quæ enim muneris functio iucundior eſt, ea depellit, ac diſcutit alteram, eoque magis, quo maior fuerit, illius voluptas, adeo vt in altera re ſuo munere fungi non poſſit.

Ratio quomodo à voluptate impeditur ex S. Th. Primo diſtractione, 2. Contrarietate. 3. Vinculo.

Sanctus Thomas triplici modo rationem à voluptatibus perturbari docet; primo ratione diſtractionis, ſecundo ratione contrarietatis, tertio ratione ligationis. Diſtractio debilitat rationem circa res alias, vel ab eis omnino reuocat, & ſi delectatio corporalis fuerit magna, vel prorſus impediet vſum rationis, ad ſe intentionem animi attrahendo, vel multum impediet. Contrarietas corrumpit exiſtimationem prudentiæ, licet non deſtruat exiſtimationem ſpeculatiuam, cum diſtractio poſſit etiam ſpeculatiuæ nocere, quemadmodum, & ligatio, ſeu vinculum, quæ tunc eſt quando ad delectationem corporalem ſequitur quædam transmutatio corporalis; ſic autem euenire poteſt, vt vſus rationis impediatur, ſicut patet in vinolentis, qui habent vſum rationis ligatum, & impeditum. de hiſce voluptatibus, accipe hæc à Plauto.

Voluptas ſagitta eſt.

Nam qui ab eo quod amat

Quum extemplo ſauijs ſagittatis percuſſus eſt, illico res foras

Labi-

Labitur, liquitur, — Plaut.

Sagittas ſuauia appellat ex quibus voluptas etiam ſagittis armata prodit, & rem omnem perdit. rectè Seneca ad Lucilium *Voluptates præcipuè exturba, & inuiſiſſimas habe. latronum more, quos Philetas Aegyptij vocant; in hoc nos amplectuntur, vt ſtrangulent.* videlicet in hoc voluptas ſuauiatur, vt ſauciet, eneruet, euertat, enecet, & ſauciat quidem, rem familiarem, dum res foras labitur. corpus dum valetudine, & bona habitudine ſpoliat; animum ne ſuis facultatibus, & recta ratione vtatur cogit. — Senec. epiſt. — Latro eſt.

Quamquam illud eſt dulce, eſſe, & bibere
Amor amara dat tibi ſatis, quod ægre ſit, fugit forum, fugat tuos
Cognatos, fugat ipſe ſe à ſuo contuitu. — Plaut.

Perbelle autem eo verbo Plautus vtitur, quod ſcilicet res familiaris liquitur; non enim ſola ipſa, ſed animus etiam, & ratio per voluptates liqueſcit, niſi ipſæ voluptates ſint illiquefactiones rationis. Sic enim Zeno delectationem definit. *Delectatio eſt voluptas auditus ſuauitate tanquam illiquefacti animum perfundens.* quam definitionem explicans Marcus Tullius ſic habet. *Et qualis eſt hæc aurium, tales ſunt oculorum, & tactionum, & odorationum, & ſaporum, quæ ſũt omnes vnius generis ad perfundendum animum tanquam illiquefactæ voluptates.* Vireor vt Tullius Zenonis mentem attigerit, qui vult auditum voluptatis perceptione liquefieri, non voluptatem. Quamquam & rectè dici poſſit voluptas illiquefacta in animum ire. — Ratio voluptate liqueſcit. — Ciceronis locus.

Rectè itaque Boetius Seuerinus Cyrcæo poculo voluptates comparauit, quo epoto homines in beluas immutabantur. *Fœdis immundiſque*, inquit, *libidinibus immergitur quiſquis ſordida ſuis voluptate detinetur. Ita fit vt qui probitate deſerta homo eſſe deſierit, cum in diuinam conditionem tranſire non poſſit, vertatur in beluam.* Lege eius Metrum, quod prima parte operis noſtri allatum non repetimus. vbi poſt quam ſociorum Vlyſſis Cyrcææ potionis efficacitate metamorphoſim in porcos deſcripſit, leuius tamen hoc eſſe ait, præ voluptatum veneno. Nam illud corpus cum tranſmutaſſe viſum eſt, mentem intactam, rationemque integram reliquit, hoc, ipſam rationis vim virtutemque peruertit. — Voluptas poculũ Cyræum. — Imo peius.

Impedit, inquit Cicero, *Conſilium voluptas, rationi inimica: & mentis, vt ita dicam, perſtringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium.* quamobrem cum ebrioſis, & furioſis, aut inſanis comparat voluptarios Ariſtoteles, vt enim illi, nunc hilares in riſum, & cachinnum diſſoluuntur, modo mœrore oppreſſi, atque oculos attonitos circumferentes, aut in ſolum deijcientes muti ſilent, neminem, aut amicum, aut ſanguine, aut aliquo vinculo vel arctiſſimè coniunctum agnoſcunt: ſed omnes vt aduenas, ignotos, hoſtes deuitant. modo vero vniuerſis, quos habent obuios, arrident, ſalutant, amplexantur, ſuauiantur, domum vt ſe receperunt, in tar- — Ratio impeditur voluptate ex Cicer. — Voluptuarij inſani, ebrij.

tartarum introiſſe ſe credunt, reſiliunt foras, & ebrietatem, aut inſaniam ſuam vultu, geſtu, verbo, habitu, toto demum corpore oſtentantes, omnia importunè, deridiculè, ſuſque deque agunt.

Voluptas ebrietas eſt, & contra. Ita voluptarij homines, & intemperantes, incontinenteſque: Etenim quid eſt ebrietas aliud præter nimiam in nimium potando voluptatem? quid verò voluptas ex Amoribus impudicis, ex pecunijs, ex honoribus niſi nimia in illis hauriendis poculis ebrietas? vacillat ebrius capite, & tremebundo veſtigio veſtiga labant, & miratur ipſe ſe, ac ridet, incuſatque pedes ſuos.

Plautus. *Quid hoc? ſiccine hoc fit? pedes, ſtatim, an non*
An id voltis, vt me hic iacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.
Pergitin pergere? han ſæuiendum mihi
Ebrius. *Hodie eſt. magnum hoc vitium vino eſt,*
Pedes captat primum, luctator doloſus eſt.

Hic ex potandi voluptate laborat pedibus, & mente. Audi illum alterum ſenem. hoc eſt hominem conſilio, prudentia, experientia maturum, & grauem.

Amans. *Quam ego, inquit, vbi aſpexi, non ita; imo vt ſani ſolent*
Homines, ſed eodem pacto vt inſani ſolent.
Amaui hercle equidem, ego olim in adoleſcentia.
Verum ad hoc exemplum, nunquam, vt nunc inſanio.

Vide, quæſo te, vt maturitatem ſuam abiecit ab ſe Demipho, & inſanus repentè factus eſt, nunc inſanientem videbis illum. Nam obuiam factus amico ſuo lyſimacho, ſic illum alloquitur. Demipho. *Lyſimache ſalue*. Lyſi. *Euge. & tu Demipho; ſalueto, quid agis? quid fit?* D. *quod miſerrimus*. Lyſ. *Dij melius faxint*. D. *Dij hoc quidem faciunt*. G. *quid eſt?* D. *Dicam ſi tibi videam eſſe operam, aut otium.*

Amans inſanus. Lyſ. *Quamquam negotium eſt, ſi quid vis Demipho.*
Non ſum occupatus vnquam amico operam dare
D. *Benignitatem tuam mihi expecto prædicas*
Quid tibi ego ætatis videor? Lyſ. *Acheruntıcus*
Senex, victus, decrepitus. D. *Peruorſe vides.*
Puer ſum Lyſimache ſeptuennis. Lyſ. *ſanun es,*
Qui puerum te eſſe dicas? D. *Vera prædico.*
Lyſ. *Modo hercle in mentem venit quid tu diceres.*
Senex cum extemplo eſt, iam nec ſentit, nec ſapit
Aiunt ſolere eum rurſum repueraſcere,
D. *Imo bis tanto valeo, quam valui prius.*
Lyſ. *Bene hercle factum, & gaudeo*. D. *Imo ſi ſcias*
Oculis etiam plus quoque iam video, quam prius.
Lyſ. *Bene eſt*. D. *Malam rem dico*. Lyſ. *iam iſtuc non bonum eſt.*
D. *Sed auſim ego tibi eloqui, ſi quid velim*

Lyſ.

Lyſ. *Audacter*. D. *Animum aduerte*. Lyſ. *fiet ſedulo*.
D. *Hodie ire in ludum occepi litterarium*.
Lyſimache ternas ſcio iam. Lyſ. *Quid ternas*. D. *Amo*.
Lyſ. *Tun cano capite amas ſenex nequiſſume*.
D. *Seu canum, ſeu iſtuc rutilum, ſeu atrum eſt, amo*.

Quod quæſo te diſcrimen in his duobus ebrijs, Pſeudulo, ac Demiphone? niſi quod ebrietas à vino momento euaneſcit: ab amore per momenta augetur.

Et hæ quidem voluptates quamquam hominem ab homine auferunt, tamen humanæ quodammodo dici poſſunt, & in hominibus excuſari. Quid illæ, quas beluinas, immanes, ferinas, morboſas appellat Ariſtoteles. Qualis erat voluptas mulieris eius, quã dicunt vteris ferentium fœminarum exectis infantes deuorare ſolitam. aut qualibus rebus efferatos quoſdam circa Pontum populos condelectari ferunt, alios ſcilicet crudis, alios humanis carnibus, alios alijs liberos ſuos, inter ſe mutuos in epulas dare, aut quale eſt id, quod vulgo de Phalaride dicitur? cum ſcilicet antropophagiam exercuiſſe. ſed omnino falſo. **Exempla efferatæ voluptatum mẽtis vertentium.**

Nimirum is eſt homo. vt in ſummis crudelitatum generibus libidini ſæpè ſuæ per inuſitatas, & ſæuiſſimas voluptates faciat ſatis. Rectiſſimè, nec minus lepidè Maphæus olim Cardinalis Eminentiſſimus, Barberinus, nunc Summus Optimuſque Romanæ Eccleſiæ Pontifex de vniuerſa literaria non minus, quàm de Chriſtiana republica bene meritiſſimus.

Aſpide, inquit, *ſæuior* **Maphæus Barberinus.**
Hyrcaniſque feris mens hominum furit.
Non vrſum inſectatur vrſus:
Non perimit colubrum coluber, non tygrida tygris
Humana, virgas, gens, rotas, & vncos
Intulit terris, pedibuſque mortis
Aptauit alas. Quid Perilli
Infandum memorem bouem?
Nec ſenſibus, vel hoſtibus ſolum minax
Sui miniſtram gaudij
Perniciem cupit innocentum.

Optimè eo enim peruenere ſæpè quidam, vt niſi ſæuirent, ſqualerent in mœrore, dum autem in aliorum perniciem debacchantur, tunc geſtirent gaudio, & voluptate. Quod miles ille glorioſus apud Comicum ludicero iactat hoc illi ſerio faciunt.

Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior **Ter, eun.**
Quam ſolis radij eſſe olim cum ſudum eſt, ſolent
Vt vbi vſus veniat, contra conſertã manu oculorum
Extinguat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc macheram mihi conſolari volo

Ne

Ne lamentetur, neue animum deſpondeat
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem.
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus

Et hic ex hoſtibus geſtit fartum facere .quid Nero? de quo ſic pergit canere ſuauiſſimus Barberinus.

Voluptas ſæua Neronis.

Te matricida, te lues mortalium
Inceſſit tam dira Cupido?
Nam facibus paſſim incenſam populatus ignis vrbem
Te iubente fletibus
Clamore, luctu, cladibus, ruinis
Complens in atri verterat formam rogi.
Tunc lætus, fidibus canens
Diceris excidio
Auſus Troiano miſeram componere Romam.

Ex incendio vrbis.

De hac Vrbis Romæ haloſi propter voluptatem ab Nerone quæſita ſic Suetonius. *Per ſex dies, ſeptemque noctes ea clade ſæuitum eſt ad monumentorum, buſtorumque diuerſoria plebe compulſa. Tunc præter immenſum numerum inſularum domus priſcorum ducum arſerunt. Hoſtilibus adhuc ſpolijs adornatæ, Deorumque ædes ab Regibus, ac deinde Punicis, ac Gallicis bellis votæ, dedicatæque, & quidquid viſendum, atque memorabile ex antiquitate durauerat.* Quis talia videndo.

Sueton. Nero.

Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vlyſſei
Temperet à lacrimis?

Virg. Æn. 2.

Hoc incendium Nero è turri Mæcenatiana proſpectans, lætuſque flammæ, vt aiebat, pulchritudine haloſim hoc eſt vaſtationem Ilij in illo ſuo ſcænico habitu decantauit. lege, ſis, tacitum vberiore ſtylo, ac viuaciore hæc deſcribentem cuius verba poſtrema refero. *Peruaſerat rumor, ipſo tempore flagrantis vrbis, iniſſe cum domeſticam ſcænam. & ceciniſſe Troianum excidium, præſentia mala vetuſtis cladibus aſſimulantem.* ad quæ verba mellitiſſimus Poeta reſpexit, cum dixit.

Annal. 15.

Barberin.

Tunc lætus fidibus canens
Diceris excidio
Auſus Troiano miſeram componere Romam.

Quoniam vero, & in carmine ſuo lepidiſſimo Maphæus, & in ſuis Ethicis Ariſtoteles Phalarici tauri mentionem fecerunt; quaſi Tyrannus ille de crudeliſſimo eo ſupplicij genere voluptatem caperet, iuuat me in præſentia excuſare virum iſtum, quem ego exiſtimo prudentiſſimum fuiſſe, neque adeo ſæuum, vt fertur. Itaque iure à Poeta Taurus ille Perilli non Phalaridis dictus eſt, & crudelitatem Phalaridi obijci Ariſtoteles à vulgo dixit, non à veritate. Sed pro Phalaridis innocentia ſic perorat Ioannes Tzezes.

Phalaris excuſatur.

Tzezes in Chiliad.
De Tauro Phalaridis.

Phalaris, qui nomenclaturam habuit Tyranni,
Operibus autem alius iuſtus fuit Ariſtides.

Atti-

Atticum enim ſabrum aerarium Perilaum illum.
Taurum cum ſabricaſſet aereum, opus egregium
Ianuamque lateralem impoſuiſſet tauro
Tubuloſque feciſſet in naribus huius
Vt quiſpiam proijceretur in bouem aereum
Atque ignis ſubſterneretur, atque is doleret
Vox patientis tibia caneret per nares
Ipſi autem cum afferret donum taurum hunc
Phalaridi, iſque vellet mittere in Delphos hunc
Ipſum, ipſum autem vetantem mittere Deo taurum
Dicentem puniri quidem tauro homines
Ipſum autem tibijs canentem oblectaturum illo ſupplicio.
Phalaris iniecit primum ipſum in taurum
Cumque eduxiſſet ſeminecem per petras proiecit.

Ex malo igitur Perilli, aut Perilai facto, & inuento, male Phalaris audiuit, & quamuis ſæuitiam artificis in ipſo ſit vltus artifice, non effugit tamen, quo minus homines in taurum crudeliter conieciſſe, & ex eo voluptates ſibi aucupatus eſſe diceretur.

SECTIO V.

AN VITA CONTINENTER IN GAVDIO PERAGI QVEAT.

Voluptas finis hominis non niſi in Deo viſo eſt. Hæc hic qualis qualis, vt honeſta ſit oportet. An in hac vita tranquille viui queat? Reiectus Epicurus. Quid voluptas ex Nemeſio. Solonis de felici mens, Stoicorum item. Vtrique reiecti an in ſiluis voluptas? Cum Virgilio Horatio Claudiano, Dione Ruſticanæ voluptatis deſcriptio. priſcorum Romanorum ſtudium. In agris voluptas turbida: Illic ortæ cædes. An in hortis voluptas? Topographia; & laus hortorum Brancifortianorum, & Herculis Brancifortij auctoris parentis mei. Miſtica eorundem interpretatio. Gradus virtutis. perturbationes labyrinto ſimiles. Eſt in hortis aliqua, ſed non plena voluptas, maior tamen, quam in vrbibus.

HÆc in primis, quemadmodum præteritis diſſertationibus probatum eſt, finis hominis eſſe non poteſt, cuius gratia cætera peraguntur omnia. Niſi forte voluptatis nomine ea intelligatur, quæ ex claro Diuinæ Maieſtatis intuitu, in animis eorum exoritur, qui, & ſanctè vixerint, & poſtremum vitæ diem pari ſanctitate, & innocentia clauſerint; quæ Dei clare viſi fruitio à Theologis appellatur. de qua Pſaltes. *Inclinaui cor meum*

Voluptas finis hominis eſſe non poteſt.

Niſi in Deo viſo. Pſ. 118.

ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. Verumtamen cum de hac nobis fruitione, ac voluptate oratio nulla in præſentia ſit; illud tamen vnum pro certo habendum eſt. Voluptatem nullam, quæ in hominum vita capiatur, ſi ei, quæ diuina eſt, percipiendæ impedimentum creet, eſſe pro vera voluptate æſtimandam. Quid enim boni continere poſſit in ſe id, quod à ſummo bono delectabilique conſequendo, fruendoque animum auertat? & in omne ærumnarum genus conijciat?

Voluptas quæ mala eſt voluptas nõ eſt.

Id ergo noſtra diſſertatione quærimus; num honeſtis voluptatibus percipiendis; ita quiſquam ſe, dum viuit, gerere poſſit vt aut nullo omnino, aut pœnè nullo vnquam alicunde impulſu de ſua tranquillitate deturbetur. vel vt eiuſdem quæſtionis momenta breuioribus verbis explicemus; num quis artem fruendi rebus creatis ita comparare, & percallere poſſit, vt artifex fruendi iure nominetur. Scio circa id elaboraſſe Epicurum, & Ariſtippum. illum in voluptate Animi, hunc in ea, quæ corporis eſt, ſummum ponentes bonum. ſed tanto eorum abſurdior eſt doctrina, quanto opinio à veritate, & vera cognoſcenda voluptate remotior. Apage hos Epicuri de grege porcos. Melius ſane Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici, qui cum voluptate honeſtatem iunxerunt, niſi tamen in voluptatis, & honeſtatis notione èxerraſſent, quod in antiquis Philoſophiæ ſectatoribus, ſemper eſt deſideratum. *Propriè* inquit Nemeſius *Voluptates ſunt, quæ inſunt quodammodo, aut connexæ ſunt cognitioni diuinæ Numinis, & ſcientijs, & virtutibus. Simpliciter enim illæ voluptates ſunt, quæ honeſtæ ſunt, harum autem illud euidens ſignum eſt; ſi pœnitendi cauſſas nullas afferunt, neque detrimento afficiunt eos, qui perſruuntur. quod ipſum Chriſtiani quidem Philoſophi docuere ſimul, & opere præſtitere. Ex ethicis autem, ſcriptis quidem ſuis nonnulli de honeſtate, quadantenus mandauerunt, opere verò ipſi, aut actione minime perfecerunt*. Neque vero nunc modos eos loquendi in hoc argumento ſequor, quorum noſtri meminere Theologi, dum primum ſententiarum librum explanandum ſuſcipiunt, vt rerum creatarum vſus quidem permittatur, fruitio nequaquam; quo in ſenſu frequens eſt illud, *turpe eſt fruendis vti, vtendis frui*, eamdem ſignificandi vim habeant in præſentia fruitio, voluptas, vſus, & delectatio rerum conditarum vt ſectione prima dictum eſt.

An in hac vita tranquille viui poſſit.

An ars fruendi addiſci poſſit.

Epicurus, & alij reijciuntur.

Honeſtas, & voluptas vera, antiquis ignota Philoſophis.

Quæ ſit propriè voluptas ex Nemeſio.

Ethnicis ignota voluptas cum virtute iuncta.

Vſus, & fruitio nobis hic eadem.

Iam ſi ad Solonis ſententiam oculos conuertamus, eo nobis eundum erit, vt negemus felicem vllum vnquam poſſe dici, dum commoratur in viuis. Sat varijs omnes fortunæ ſæuientis incurſionibus res agitantur humanæ. Et Athænienſis ille Philoſophus, ac legiſlator ne ipſum quidem, Lydiæ Regem, & potentiſſimum, & opulentiſſimum inter felices connumerandum cenſuit, qui tamen ſuo ipſe iudicio ſummum ſibi felicitatis apicem conſcendiſſe videbatur. Deſineret porrò in viuentium eſſe numero, tum de eius

Solonis ſententia de felici.

Nemo viuens felix dici poteſt.

feli-

felicit ate iudicium eſſe ferendum pronunciauit Solon. Sed ſeuere nimis, & ad exactiſſimæ trutinæ momenta, felicitatis naturam dimenſus eſt. Latiore nos via progredimur, & ſecluſis poſtremis; ipſius decurrentis vitæ ſpatia videamus an tranquilla, & ex arte fruendi bene hilariterque diſpoſita delectabiliter à nobis pertranſiri poſſint. *Seuere nimis iudicat Solon.*

Et ecce ſe Chryſippus in ſtoa, Diogenes in Dolio apricans Magiſtros artis huius venditantes, & præ ſe alium quemcumque toruo ſupercilio deridentes, *nos*, inquiunt, *& ſapiens noſter ſolus felix, ſolus diues, conſtans, beatus, omniſcius, & rex. ceteri ſtulti, & numerus eſtis.* *Stoicorum ſententia. Stoicus ſapiens felix.*

Et fruges conſumere nati *Horat. epiſt. l. 1. ep 2.*

Non noſti quid pater inquit.
Chryſippus dicat? ſapiens crepidas ſibi, nunquam
Nec ſoleas fecit, ſutor tamen eſt. ſapiens, quo *Irriſa Stoicorum felicitas. Hor. l. 1. ſer. 3.*
Vt, quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque
Optimus eſt modulator, vt Alfenus vafer, omni
Abiecto inſtrumento artis, clauſaque taberna
Sutor erat, ſapiens operis, ſic optimus omnis.
Eſt opifex, ſic rex ſolus.

Sed vero huic Stoico ita felicitas inerat, vti regnum, qui dũ ſe in foro, & dolio regem facit, irriſum ſe, & verberãdum ſtultus præbet.

Sic rex ſolus. vellunt tibi barbam
Laſciui pueri, quos tu niſi fuſte coerces
Vrgeris turba circum te ſtante, miſerque
Rumperis, & latras, magnorum maxime regum.

Stoici ergo ſua regna, & felicitates, voluptateſque habeant Nos an ſua quiſque in re, atque opibus felix degere, & arte fruendi ſciat vti veſtigemus. Audio dicentem Venuſinum.

Beatus ille qui procul negotijs. *Epodon.*
Vt priſca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omnis fœnore.

Et ſane ſi qua ars iucundè vitam tranſigere, atque eo, quod cœlum, parenteſq; liberis parauere, aut virtute ſua quiſq; peperit ſapienter, hilariterq; frui doceat, ea non in vrbibus, atq; hominũ frequentia, non in foro, atq; aulis principum, ſed in ſiluis, atque agris addiſci, atque haberi poſſe videtur. Audio Mantuanum vatem. *Forte in agris, & ſiluis felicitas.*

O fortunatos, nimium: ſua ſi bona norint *Virg. Geor. 2.*
Agricolas. quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

Et quæ proſequitur, non minus ad ſuadendum efficacia, quam ſuauia ad delectandum. affertur alibi etiam exemplum ſenis recula ſua feliciter fruentis, ac præ ſe regias opes deſpicientis meminiſſe enim ſe ait. Q 2 *Cory-*

Georg.

Corytium vidiſſe ſenem, cui pauca relicti
Iugera ruris erant.

Sed in his. *Regum æquabat opes animis, ſeraque reuertens*
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis

Claud. epigr.

Audio, & Cordubēſē Claudianū de ſene ſcribētē, qui iuxtà Veronā agello ſuo bene fruēs, nūquā inde pedē extulit, neq; ad vrbē vſq;

Felix, qui proprijs æuum tranſegit in aruis,
Ipſa domus puerum, quem videt ipſa ſenem

Quod lepidiſſimum epigramma non minus lepidè clauditur.

Erret & extremos alter ſcrutetur Iberos
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Dio. Chriſoſt. or. 6.

Audio, & Dionem oratione quadā ſua imaginē viri ſuis fortunis bene fruētis in Euronico quodā ruſtico delineātē, cuius ad vrbē, & frequētiā itio pœnè nulla, cui venatio, & hortus, & grex, facile numerabilis, pro delitijs erāt. Domus vxore valida, liberis obſequentibus, nepotibus in ſinu ludētibus, hilaris magna, & pacata videbatur eſſe Reſpublica. ſed præter hæc, exēplū ſuppetit ex ſacris libris locupletiſſimum. Etenim humanæ gentis ſeminarium poſtquam ab vniuerſali internecione ſeruaſſet Pater Noæus, quo animū ſuum ex ante actæ hominū cladis aſpectu territū, atq; mæſtitudine obrutum aliquātulū releuaret, & quos ſibi ſupereſſe videbat ad viuendū dies ſine moleſtia trāſigeret; quod vitæ tādē genus, ac ratonē elegit? nēpe ruſticanæ; quod pauciſſimis innuitur verbis illis. *Cepitq; Noe vir agricola exercere terrā: et plātauit vineā.* Nec min⁹ elegāter expreſsū qua in re felicitas verſaretur humana, ſi qua illa ī re cōſiſtat, q̄ cū deſcribēs Iudaici populi trāquillā vitā ſub imperio Salamonis, dixit. *Habitabat Iuda, & Iſrael abſq; timore vllo; vnuſquiſq; ſub vite ſua, et ſub ficu ſua.*

Elegans ruſticanæ vitæ, & voluptatis deſcriptio.
Genes. c. 9.
Reg. 3. c. 4.

Enim vero quæ voluptas illi comparabitur, quæ ruſticana comparatur vita? Quæ ibi ad voluptatem non obuia? Elementa omnia vim ſuam, vſumque ſincerè, & palam effundunt, alibi perturbatè, & parciter. Solis nitores, roſeumq; iubar clementius emiſſum; aer latè, hilariterque diffuſus nullo fedatus tetro de ſubterraneis fornicibus halitu, mirum in modum vitalia recreat reſpirantibus. tellus natiuo ſuo veſtitu decora; illic tenero ceſpite herbis, atque arbuſtis virens; hic pomiferis diues arboretis; altera ex parte ſubacta, & ſemente intumeſcens recepta, ſpem agricolæ auaram fouet; alibi fruges, & fructibus largo fœnore locupletat. Quem non delectet tam varius aſpectus, vera prorſus diuitiarum, & quieta voluptatis ſedes, ac ſeges? Matutinis horis auium concentus ſolem aduenientē excipit ſuauiter fritillantium. teque excitatum ſalutat, & ſomnolentum excitat. In hortum ſi aſpicis, oculorum tibi aciem pœnè perſtringit certe per quam vehementer recreat florum diuerſicolor ea ipſa nocte agmen enatum. In prata progreſſo occurret nouū ver, læta animi iucunditas, omnia odora quadam ſuauitate deli-

buta, & ſuo rore gemmantia. Sub autumnum arborum delectabere conſpectu quæ pomorum reliquorumque fructuum rubente purpura, aut diſcolore habitu diſtinctæ, ſuę culturæ pretium, aut tui laboris fœnus largiter perſoluent. In his inſitiones miraberis, & matrimonia, adulteria etiam, & ſuppoſitos fœtus omnia in vſum, voluptatemque hilariter laborantia, quam vero non fœcunditatem in arboretis inuenies? Iam illic boues depoſito iugo lente paſcentes oberrant, hic lanigeræ pecudes, cum ſimis capellis laſciuiunt cum fœtibus ſuis: Porcelli alibi ad aquas peruolutantur, inter quæ ſe pugnam de loco conſerentes grunniunt, & nunc fuga capta hoſtem declinant, nunc pede à fuga retracto inſequentem, impetunt, impelluntque. Spicata ſeges illic fruge tumens ſiliginea hic farris, & ordei vberes faſces. Vitem alibi florentem, aut matureſcentem vides, & certa ſpe iam ex illa ſuauem illum amabilemq; liquorem præbibis; agnum denique, aut hædum de grege, aut pullum e corte; vel porculum ex hara lento igne coquis, & pro ſecundis menſis plurimas dapes inemptas manu tua ſeligis quas alibi ægre, aut multo præſtinabis. A cæna ſaturum te, ſecurumque curarũ, ac moleſtiarũ omniũ expertẽ circũ vernarum, operarumq; turbæ varijs tripudiantes luſibus ad noctem vſque circũludẽt, donec aduolans in ocellos ſomniculus intra ædes plenũ hilaritatis reducat.

In hac opinione putẽ Romanos olim fuiſſe priſcos illos homines, qui vel cõſulatu, vel dictatura, vel magiſtratu alio feliciter geſto, poſt quã bellis pro patria ſuſceptis, & hoſtibus debellatis triũphum glorioſiſſimè duxiſſẽt, ſubinde, & vrbe, & vrbis frequẽtia, ac maieſtate relictis in proprias ſeſe villas abdebãt, & ad domeſticas honeſtaſq; voluptates, tãquã ad portũ ſeſe à turbulentis Reip. vitæq; fluctibus ſubducebãt. Adhæc etiã Venuſinus Mæcenatẽ ſuum inuitabat. *Priſci olim Romani hoc in ſtudio.* *Qui à conſulatu & magiſtratu ad villas.*

Faſtidioſam deſere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes, ſtrepitumque Romæ
Plerumque gratæ diuitibus vices
Mundæque paruo ſub lare pauperum
Cænæ, ſine aulæis, & oſtro
Sollicitam explicuere frontem.

Et quęnã tãta vbertatis in antiquo illo æuo cauſſa fuit, quã noſtris tẽporib⁹ exhauſtã dolemus? Ipſorũ tũc dominorũ manibus agri colebãtur, & herorũ veſtigijs attritæ glebæ mirum in modũ pingueſcebant: gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore. *Horat. l. 3. od. 29.* *Plinius.*

Sed hæc etiã loca, quãuis ſolitaria peruadit ſollicitudo trãquillitatis omnis, & voluptatis erugo. Etiã in ſiluis oberrat inuidia, oculos circũferẽs huc, atque illuc obliquo intuitu, & sãguineo vaſtãs vniuerſa. Aemulatio nõ vrbes primũ, aut vrbiũ pomæria fraterno ſanguine; *In agro voluptas non liquida.*

Aemulatio, & inuidia in ſiluis primum. Geneſ. 1.

Siluæ, aut agri eadem docuerūt.

guine,ſed agros,& villas cōmadefecit.Siluę primū occidi poſſe hominem docuerunt. in ſiluis frater germanus à fratre vita modo deiectus, modo libertate ſpoliatus,& externis inſtitoribus diuenditus.Ergo ſiluæ nos ipſæ commonefaciunt,nequaquā ſe vitæ cū tranquillitate degendæ eſſe magiſtras, aut officinas, quæ tantorum intra ſe facinorum exempla, & magiſteria ſuſcepere.

An voluptas trāquilla in hortis?

Secedamus à vaſtitate illa agrorum, aut ſiluarum, & greges, atq;armenta cum ſtabulis relinquamus;ſolitudo enim quibuſdam horrida,atque inamena videtur,id iure ne an iniuria,nolo ſubtilius excutere.Abeamus ad mitiorem terræ partem,& procul quidem, verum non multo interuallo ab vrbibus.Accedamus hortos Alcinoi,ſubeamus,& pomaria,atq; roſaria Peſti; Tēpe zephyris agitata, atq;vſq;quaq; viridantia ingrediamur:ſi forte his ſecura,& conſtās vitæ beatioris tranquillitas effloreſcat in locis. Deſcribam autem non fictū aliquē,aut ementitū hortū,quo in depingendo liberè vagetur ſtylus, loquendi tantum floſculis deligendis, & mulcendis auribus ſollicitus.locus,& horti legentium oculis à me obijciūtur, quem Hercules Brancifortius Pater meus Cammaratæ Comes, & Sancti Ioannis Dux optimus ad æſtus anni, atque animi fallendos ſummo ſtudio,ſumma artificum diligētia, ſummo ſuo ſumptu cōſtruendū ſuſcepit,conſtructoq;cum dilectiſſima eius vxore Agatha Brancifortia parente noſtra,nobiſque ſuis cariſſimis liberis aliquādiu fruitus eſt.Virū plane laudare,etiā ſi ſermonis opportunitas poſceret ex debito,nō eſt animus;Siculis Hiſpanis externiſq;omnibus notiſſimū.& nomine hodieq; percelebrem. Herculem inquam illū ad maxima,atq; Illuſtriſſima natum quē vel ex hoc ſolo opere cognoſces,nec à me hanc laudis particulā ſanguine, vt genitor à filio amore,vt amantiſſimus à redamante,beneficijs,vt liberaliſſimus à Grato: ſed virtutum ſuarum ingenijque dotibus præclariſſimis à veritatis propagandæ ſtudioſo meritus eſt. cetera ne adulari oratio videatur modeſtia obuelabit.

Laus Herculis Brancifortij.

Hortorum Brancifortiarum deſcriptio cum Topographia.

Eſt ab oppido in terra Sicilia celebri, ac frequēti Cāmarata, bis mille,neq;amplius paſſibus diſtās locus amplitudine nō exigua;ſcatebris quidē aquarū abūdās,ſed culturæ,& artis egēs,nō ille in planū æquor porrectus extēditur;ſed partim quidem planitie, partim accliuitate diſtinctus.Itaq;cōmodè quadripartito diſſectus eſt.Quarū partē primā labyrintæā,alterā frugiferā appellabimus.Tertię pomiferæ.Quartæ villæ nomē erit.Et ſanè cōmodè cū à naturæ, tū ab artis ingenio factū videtur,vt tales,ac totidem in partes horti diſcriminarētur. His enim progreſſus quidam ad eam tranquillitatem, quæ ex comparatione virtutis capitur, depictus, atque indicatus eſſe videtur. de quo poſtea. Hæ partes vniuerſæ muro perpetuo circumdato quadratam in formam conſepiuntur. Exteriora patens nemus, & liber campus habet arboribus qua

fructi-

fructiferis, qua infructuoſis denſus, aquarum perennitatibus irriguus; aucupio, venatura fœcundus. Iam ad labyrinthæam partem per ſenos hinc inde gradus in portam prætoriam ingreſſus patet. Ante fores fons eſt, cum ſuo lacu vbertim fluens, & interiorum, veluti nuncius deliciarum. à Prætoria ad Decumanam vſque via lata binas vniuerſam aream mediam diſſecat in partes. hæ iterum ſuis à muro ſemitis interiectis ſeiunguntur. angulos ſectionum octonos totidem Cypariſſi vertice cœlum lambentes cuſtodiunt. Media monticuli gemini varijs circumfonticulis exilientibus irrorantur. In ſummo montis vnius iugo Cerpicothecus ex marmore, ſuper quem palumbus roſtro caput eius vellicans. In alterius vertice Pardalis afra ex eodem marmore, ridicula vterque ſpecie, & multis ex partibus aquas e mittens. ad hæc ſua eſt via. nam reliquum omne areарũ ſpatium labyrintho duplici prætexitur ex mirtho ſuis in ſe ſpatijs ambagibuſque obuoluto, atque inerrantium veſtigia confundente. *Prima partis de lineatio.*

Primam hanc hortorum partem pars altera excipit, cuius accliuitas ad faciliorem aſcenſum, gradibus emollitur, tricenis. & hi quidem per ambulacri latitudinem æquali longitudine extenduntur, deinde diuiſi aſcenſionem hinc, atque hinc anguſtiorem præbent, aſpectum verò recreant magis. nam medius fons interiacet, & aqua decurrens cum murmure aſpectabilis primum, deinde cœco ſe ſubter gradus aquæ ductu cœlans. Extrema graduum à ſummo ad imum colummellæ inſident, cum ſuperpoſitis Anthophoris fictilibus horrido appictorum vultuũ aſpectu peruenuſtis. Ambas hinc, atque hinc terreni partes areæ diſpertiunt, macerijs inter ſe, ac ſepimentis firmatæ, ad continendam terram, ne propter decliuitatem defluat; ſpatia hæc roſetis, lilietis, oleandretis, violarijs, & vario aliorum genere florum omnique narium copia ſuauiſſimos circumquaque odores efflantibus. *Secunda partis Hipotyposis.*

Angulos huius partis quaterna de candido marmore ſigna contuentur, atque exornant. Ceres Ennenſis caput, & crines corona, ex ariſtis redimita. Hæc Siculis has fruges adinuenit. Bacchus vtriculum manibus geſtans ad copiam nobilitatemque vinorum, quæ tota inſula conficiuntur indicandam. Iuppiter fulmen manu criſpans terrificus, & hic forte etiam ſiculus, ſi qua quibuſdam fides aientibus. Venus Ericina gremio iocoſa multa ſuſtinens. omnia elegantiſſimè, ac plane Phidiace elaborata. ſingula multis de partibus effuſo latice rorantia. *Nonn. Dionyſ. Delrius in Senec.*

Tertia ſequitur pars, æqualitate ſoli primæ ſimilis, varietate artificij multo excellentior. binas itidem diſpeſcitur in partes, quarum vnaquæque quadripartito interſecatur. ita octonæ conficiuntur areolæ, varijs pomiferarum conſitæ generibus arbuſcularum; viridante ſubter ex humilibus fragis, & purpuraſcente tellure: omnia *Tertia pas deſcribitur,*

nia

nia clatratis ſepibus, circumdata, ne ventus lædat, aut furax manus deminuat, aut pes deterat. Ad angulos horti priores tuguriola, aut caſulæ ex arborum ramis contextæ binæ. Intus ſedilia ad fallendam laſſitudinem. In medio fons aquas in altum emittens vberrimas. horum alter inſani fontis nomen vulgo ſortitus eſt ab effectu. Aquæ enim illæ mirabilibus modis, ac motibus ludunt, nam ſalientes dum vides, repente deſilientes miraberis, dum currentes, ac veluti fugientes aſpicis, interrupto curſu ſtagnant immobiliter, tam claro, terſoque latice, vt fontis ima ſubniteant; tum vero momento ita interturbantur, vt in feruorem, veluti igne ſuppoſito, abijſſe credas. Timebis admota manu experiri frigida ne ſit, an calida. Aduerſis in angulis geminę prædictis vmbraculis reſpondent ſpecus. artis ingenio fabricatæ mirabili, & cœcis vndique, ac fraudulentis ad corriuandas aquas tubulis, fiſtuliſque veluti arterijs intertextæ. Ex vnius antri tecto fiſtulato frequens imber guttatim decidens naturales hyemalis cœli pluuias imitatur. eo mons ſubiectus irrigatur: de monte defluentes riui in canaliculum ad radices poſitum colliguntur, tum in hiatum terræ decurrens aqua tam immani ſtrepitu abſorbetur, reuomiturque vt ſtupere te oporteat, atque horrore concuti ad laborantis illius charybdis aſpectum, quæ

Vir. l. 3. Aeneid.

Imo baratri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſumque ſub auras
Erigit alternos.

Dum ad hunc monſtri aſpectum admirabundus hæres, ecce repentina aquarum vndique prorumpentium ſpicula, nec opinantē inſiliunt de parietibus antri, de ſummo, de imo, vt bene tecum agi reputes, ſi reperto exitu in apertum aerem euadas.

Specus alterum cœlo integitur picturis animato. Ibi leo catenatus ingens, toruo viſu, atque ore totus horrens, & iras caudæ flagello vocans. In eo ſimius ſedens, roſam ſimis naribus olfacit, ſecurus ſui, & beluæ furorem deridens. Ex aduerſo vrſus magnitudine leoni par, deformi ſpecie, aſpectuque belua, ſcilicet ſuper eum Simius alter pethaſum manu ſubleuans, & tanquam diſcooperto capite accedentes cum ſalutatione ſuſcipiens, miſcebis riſum timori, dum beluas adeo terribiles ridiculis beſtiolis infeſtas vides. Ceterum intra hoc antrum congreſſiones hoſtium tibi videberis inſpicere inter ſe ex aduerſo depugnantium. Nam ex duobus contra ſe aſtrinſecus poſitis collibus tanta multitudine, atque impetu prorumpunt aquarum tela vltro, citroque volitantia, vt prætexi aer, ſanguis elici, lacrymæ cum crebro gemitu profundi videantur. Inter ſpecus æquali interuallo oſtium eſt ad villam, quæ quarta pars eſt, ſublime, ad quod per gradus hinc, atque hinc patet aſcenſus, infra gradus excauata eſt tertia ſpecus, qua in elaboran-

randa, quemadmodum ingenioſius ars deſudauit, ita aſpectantium voluptati liberalius indulſit. Hic ex tecto perennes pluuiæ, quæ in lacum ſtagnant. in quo variarum ex marmore alituũ, beſtiolarũq; genera. veluti natantia, & vrinando cibum de fundo quiritantia. Tum de rupe opaca ſerpẽs apparet de concolore ſaxo factus ſquãmeus, oculo ardenti, lingua micans, vultu minax, & aquarum incurrentium artificio ſibila conciens. Præterea ex ſolo quod circa lacũ patet tantus ſubſilientium fonticulorum numerus repẽtino emergit, vt proſpectum omnem, egreſſumque prohibeat.

Atque hæc de paternis à me hortis dicta ſunt, quorum quadripartita diſtributio, & in ſingulis ornamenta partibus, ac ſigna non fortuito, aut caſu diſpoſita à patre meo optimi prudentiſſique ingenij viro putem, ſed eam omnia in formam conſilio, ac ſtudio illum exiſtimo digeſſiſſe, quo nobis eius liberis ea tempeſtate perflorentem æui vernantis ætatem minus ad ea, quæ oporteret, ſtudia fortaſſe intentis, ſemitas virtutum, & veræ tranquillitatis inueniendæ callem ea imagine patefaceret. *Parentis mei in his partibus ornãdis ingenioſa cogitationes.*

Nam prima illa pars hortorum Tyrocinij imago eſt, eorum, qui virtutum viam primo ingrediuntur. His fons ad limen obuius. quo ſe fonte à ſcelerum ſordibus abluant, omnemque ex praue viuendi conſuetudine contractam illuuiem deponant oportet, quicumque Herculeo ritu ad virtutem anhelant. Tum ingreſſis monſtra occurrunt Cacodæmonum, vitiorumque, itum impedientium. *Myſtica partium deſcriptarum ſignificatio.* *Primus gradus ad virtutem.*

Multaque præterea variarum monſtra ferarum;
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes
Et centum geminus Briareus, ac belua lernæ
Horrendum ſtridens, flammiſque armata chymæra
Gorgones, Harpyæque, & forma tricorporis vmbræ. *Virg. Aen. 6.*

Quæ omnia formis illis Cercopiteci, & Pardalianchæ aſſimulata intellige. Occurret etiam labyrinthus eunti duplex. intricatus, & pœnè inextricabilis perturbationum, ſcilicet variarum ex duplici capite promicantium, concupiſcente, atque iraſcente. Iure vero labyrintheo operi par eſt perturbationum contextus. Labyrinthus impendium eſt nulli profuturum, veſana conſtruentium dementia, laſſitudo error, exitium, ingredientium, egreſſus inde nullus ſine glomere lini, vt loquitur Varro. Id ipſum in perturbato affectionum ædificio accidit, niſi ductu, ac filo rationis ingreſſus dirigatur. Diſpendium fiet, & fortunarum, & honoris, & famæ, & ſalutis plane magnum. tum error per omnem vitam, præterea viuendi laſſitudo, tædij plena, ad extremum interitus animæ. *Perturbationes labyrinthi inſtar.* *Plinius.*

Hæc in prima hortorum parte, quæ quidem, quamuis beluis, & erroribus implicata, atque horrifica ſit; plana tamen, ac facilis eſt aditu, nam ſpiritus cœleſtis, qui columbæ ſpeciem amat, efficacitatibus, rabies illa monſtrorum ferina contunditur.

Secundus ad virtutem gradus. Hanc excipit altera acclinis, & aſcenſu difficili, nam virtus in arduo poſita;& vitiorum contractorum depoſitio cum ſudore, poſt nonnullam defatigationem perficitur.propterea in medio gradiēdi ſpatio lacus,& fons:halant hinc inde floſculorum auræ,ſed nullo fructu breui demoriturae tempore; talis tibi tuarum cupiditatum memoria ſuppetet: ſuggeretque fallaces, quibus olim ineſcabaris, voluptatum vmbratiles epulas,nullo tamen ſolidi cibi,& ſucci fructu.hæc tu omnia contento gradu præteruola,&ad fugam cum feſtinatione arripiendam calcar addent, monſtrifici à latere graduum vultus in vaſis appicti,non viuentia ſcilicet mōſtra, & metū, ac lætum reuera inferentia;ſed emortua,frigida,nullarum virium, quæ quis ſapienter pertimeſcat?Hic Iuppiter ſuperborum;Bacchus ebriorum;Ceres epularum; Venus voluptuoſorum numen aquis pœnitentiæ ſuperiectis frigent, ac languent.

Tertius gradus. Tertiam ingredienti partē,tentoria præbebūt hoſpitales vmbras ex præterito itinere defatigato.hic trāquillitas exoritur pacatis iā, aut deuictis hoſtiū cuneis,& cōſociatis virtutū choris poma legis, fructus decerpis ſinceræ plenos voluptatis,& guſtus. Hic vberrimi diuinorum beneficiorum fontes,& imbres perpetui.Quod ſi cuipiā perturbationis horrēda ſpecies occurrerit,ea catenis vincta,& picta, atque vmbratilis eſt,& Draco ille tartareus ſi quid auſit,perparum eſt,neq;de ſuo lacu,& baratro erūpit cū furore, tantum cū extulit caput,repentino in ſuam ſe caueam recondit.Sed iam tempus admonet,vt quartam hortorum partem,quæ villa eſt aggrediamur. in qua conſtantis, & ſummæ felicitatis ſimulacrum, atque adumbrationem quandam expreſſiſſe meus genitor videtur.

Quarta pars hortorum imago felicitatis.

Eius partis deſcriptio. Reliqua villa eſt,Brancifortium hortorum coronis,& corona, & ea quidem fundo digna,neque fundus indignus illa.Hyperthiro ianuæ principalis ſuperpoſita marmorea tabella cum breui,ſed apta inſcriptione. *Opus Herculis Brancifortij ad honeſta ſui, ſuorum, amicorumque otia fouenda.* Species parietis ſolidi extima Hercules eſt antiquiſſimi illius Herois laboribus, aerumniſque, pennicillo illuſtriſſimorum artificum conueſtitus. Credo hæc ad eum finem eo quaſi veſtibulo aedis appicta, vt intelligeret quicumque eo pedem eſt illaturus, ad veras honeſtæ voluptatis ſædes, nulli aditum patefactum iri, niſi per labores plurimos, & per vitiorum libidinumque glorioſè reportatas victorias. Quis vero ampliſſimæ porticus, quæ primo oſtij ingreſſu ſubeuntes accipit, digne poſſit ornamenta ſtylo percurrere? Nihil hic quod ad Pinacothecam locupletandam conferat, deſideres. Signa de candidiſſimo marmore ſculptorum non magis celte, quam ingenio pœne ad viuum producta, quam plurima. E regione oſtij intra Hemicyclum liberalitas cum cornucopiæ, nymphæ figuram gerens, ſublime ſedens, venuſtiſſima

for-

forma, atque habitu; infra pallæ defluentis lymbum aquæ ſuaui murmure defluentes circumſtantium Driadum, ac ſatyrorum aures veluti ad murmur aquæ intendentium permulcent. Hic tabularum exemplaria, ac prothotypa priſcæ picturæ rariſſima, & imagines ætatis mediæ nulla antiquis ex parte concedentes.

Hic excogitata, atque inuenta recentium pictorum exquiſitiſſimæ ſollicitudinis. quorum nobiliſſimi quique, & conſummatæ artis viri, ſemotis ex regionibus ingenti pretio aduocati. Illic ne quid ex priſcorum aut hiſtorijs, aut fabulis præteritum videatur: certamen picturæ in multis operibus inſtitutum eſt. Eſt qui amores Angelicæ, & Medori penniculo deſcripſit, cum Ethruſco Poeta contendens. Eſt qui Olympiam ſcopulo deſerto derelictam affigens inter ſuos dolores decoram, cum Sulmonenſi in Andromeda ſibi gloriante certamina ſuſcepit. Hic Iuppiter olorem niueum, aureum imbrem, taurum aſpectabilem puellarum in fraudem ſuperinduens. Mutius ambuſta dextera, & errore ſuo fortior, ac felicior Scæuolæ nomen lucratus. illic Perguſælacus, & Ennenſi in prato Proſerpina cum coequalibus flores legens, curru rapta Plutonico. Ex altera parte Phaeton de altiſſimo cœli culmine præceps nihil ſupra vires, & merita contendendum docet. Ex alia artium liberalium imagines cum ſuis inſtrumentis, atque inſignibus ad ſtudia adhortantur. Vires me deficient ſingula dinumerantem; quem enim non delaſſent morantem ſchematis, phraſchematis, emblematis, epigrammatis, diſtichis, adagijs, adagialibus ſententijſque deſcribendis, quæ ſigillatim in ſola porticu deſcripta ſine numero conſpiciuntur?

Liuius. Val. Maximus, & alij.

Atque hæc non in vnius ſpatio porticus incluſa ſunt; totis ædibus, per cubilia per aulas, per conclauia, per ſubdialia paſſim collocata, ac diſpoſita. Aedes vero quam nobili conſtructæ, diſtributæq; magiſterio? Columella ſcriptor rei ruſticæ non contemnendus tripartito villam diſtinxit: in Ruſticam, fructuariam, vrbanã; quæ etiã prætoriæ nomẽ obtinuit. Hæc autem poſtrema quã ampla, & nobilis? quã locuples cænationibus, diætis, antecubiculis, Procænonibus, cubiculis grãdioribus, conclauibus penetralibus paruis perparuis abacis hyalothecis. Ternæ, aut plures familiæ eodẽ tẽpore percommode admitti poſſunt. Adde alias ædificationes æſtiuas, & frigidarias, æſtibus mitigãdis, & aura accipiẽda cõmodiores, alias hyemales, vaporatas; nocturnas alias, alias diurnas. Andrones, gineceça, omnia ſuis fornicibus, teſtudinibus, cameris, laquearibus, valuis, foribus, menſis, lectis, thalamis, ſellis, ſedilibus, tapetis, peripetaſmatis, aulæis, intecta, inſtrata, ſuperba.

Villa ſeu ædium Topographica deſcriptio.

Taceo de ceteris villæ partibus, quæ omnibus ſunt partibus ſuis perfectæ, atque inſtructæ. ne Momus quidem perfectiores deſideret. Ego ſane vniuerſo hoc paterno opere id maximopere admiror

eo meum genitorem tempore in hanc mentem veniſſe, & manus operi admouiſſe cum ſæuientis fortunæ, ac perturbationum ingruentium tempeſtatibus non modicè, nec leuiter iactaretur. Vt ſcilicet portum aliquem tranquillitatis velut nauis ex alto, aut naufragio appelleret, quamobrem ea genitori ſententia inſediſſe videtur, ſi qua in rebus humanis quies eam in ſolitudinibus hortorumque ſeceſſu maximam partem reperiri. Quod ipſum memini patrem ipſum meum dicere idque in Doctorum virorum conſeſſu, ac frequentia qua vtebatur vſurpare ſolere, atque in hanc rem diſtichon huiuſmodi quam ſæpiſſime iactabat.

Anchora ſit iacta hic. ſpes, & fortuna valete
Nil mihi vobiſcum. ludite nunc alios.

Fruſtra hæc, niſi in his tranquillitas animi.

Fruſtra enim quis arte fruendi percallidus ſinceris voluptatibus ex eo loco manantibus, animum perturbationibus agitatum, ac feſſum reficere, & aduerſus inuidiſſimæ mortalibus fortunæ venturos incurſus reuocatis viribus obfirmare condiſceret. Niſi hortorum amœnitatem, & villarum opulentiam ſatis ad voluptatem cum animi tranquillitate coniunctam eſſe, vt in animum induxerit. Præbent, neque enim inficias iuero, nonnihil ad id adiumēti ſolitudinum opacitates, & ſiluæ vireſcentes, cum muſcoſis fontibus, & gregum, armentorumque inerrantium proſpectus, mugientium balantium, natos, abſentes inclamantium. Iuuant zephyris commota ſibilantibus arundineta propter aquam, vbi laborans obliquo lympha fugax trepidare riuo, ſomnos conciliet ad roſariorum fragrantiam ſecurum omnium ſollicitudinum. Cui vero tranquillitati non proſint conſequendæ; modo, aut in reducta valle mugientum paſcentes proſpectare greges, & ſero ſub veſpere ad caulam diſtento vbere redeuntes ad mulctram? Tum; quem non mirum in modum delectent cymbia lacte ſpumantia videre in ahenum effundi, & coagulo infuſo ad caſeos figurandos lac concreſcere, tum in fiſcellas, formaſque diſtributum, atque congreſſum à ſero defluente per rimas ſeparari, paulatimque deſiccari, donec duramentum admittat, & in muriam ad ſaporem concipiēdum dimittatur, demum in caſeali aſſeruetur. quid cum tondendi pecoris tempus appetit, quod quamquam in diuerſis regionibus pro cœli tepentis varietate varium eſt, ſemper tamen initio æſtiui temporis aduenit; quanta in tonſura ruſticorum tonſorum, paſtorumque gaudia? plenæ ſunt exemplorum ſacræ litteræ. Ad hortos, & arboreta fructifera venio, quantus ex illis prouentus, quanto ſuſceptus labor fœnore reſtituitur. ficus præcoces calliſtruthiæ quid non ſuauitatis oſtentant? quo ſcilicet tempore diſciſſo cortice internas propalare gazas geſtiunt, tum rorantia guttulis ambroſijs ora, tum pallidulæ collo decliui, manus expectant lecturas. quid ceraſa? partim, rubentia, partim puniceæ, matrem pyro-

Et eſt in his aliqua.
Delitiæ Veris.
Æſtatis.
Autumni.

pyropis nobilitantia. An vineas recenſeam, & vites in quincuncem ordinatas, racemis liueſcentibus onuſtas? an prælabaccho ebria lacuſque plenos fluente muſto, dolia, & lagenas redundantes, & ſalientes præ gaudio viniores.

Hyemis voluptates.

Venit hycms. teritur ſycionia bacca trapetis.

Virg. Geor. 1.

Horti magis ad trãquillitatẽ apti quam vrbes.

Hic venationum aucupiorum, inſidiarumque alitibus captandis genera varia, ac voluptatis plena. poma autumno recondita, & id genus, quam plurima. Hæc inquam omnia fateor multo magis ad artem fruendi perdiſcendam adiuuare, quam vrbium frequentiſſimas conciones, quam clientum, aulicorum aſſeclarum turbas, quam prenſationes ad magiſtratus aucupandos, quam dignitates magiſtratuum comparatorum, quam honores, exiſtimationes ex bene adminiſtratis, quam famulorum chori conſequentes, ſtipantes, præeuntes, quam menſæ dapibus pontificijs, & ſiculis, & neronianis, & apicianis refertæ.

Sed in illis tranquillitas non omnino ſincera.

Sed rura, & horti, & villæ couſummatam fruendi artem neque habent, neque docent. & quemadmodum pomum nullum eſt, in quo vermiculus non lateat, ita nullus homo ruri habet, cuius cor non aliqua exedat cura, niſi aliunde medicina huic tabi occurrat. Præclarè ad hanc rem carmen extat ſiculum, quod olim exercendi ingenij puer in latinum tranſtuli verbo verbum exprimens

Carmen ſiculum à nobis turbatior translatum.

Nulla quies homini, ſi mens per cuncta vagetur
Pœna licet varijs ſit variata modis.
Damna quidem veniunt, venientia nulla recedunt.
Cura ſed alterius incipit vna vices.
Herba ſolo ſiluis arbor, non arbore fructus,
Quæ non perpetuo ſegmine vermis edat.
Nullum adeo cor eſt humanum fletibus expers,
Quod non ærumnas defleat vſque ſuas.

Sed hæc in præmiſſis ſparſim, & vberius in ſequentibus, nunc propria ſectione illuſtremus.

Sect. de amore, & deſiderio.

SECTIO VI.

AN IN DOMINATV TRANQVILLÆ VOLVPTATIS FRVITIO.

Damocles ait. negat Horatius. alij aiunt. Probatur in Regibus, in Hercule voluptates ſ. quuto, de quo noua. In populis voluptuoſis, item in Rgibus. Sardanapali epitaphia duo. In his voluptas non ſincera. Cauſa. Salomon inductus. eius felicitas ab ipſo deſcripta, & damnata. Voluptatis non ſincera cauſa iterum. falſa Eliogabali, Annibalis, Dionyſij felicitas

citas. Huius conuiuij apparatus. Darnoclis pœnitentia. Diuina Adraſlia. Prauum de Deo Epicureorum iudicium ab ipſis rebus accuſatum. Horatius ex Epicureo Stoicus; Lucretius Epicuræus. Seneca laudatus.

Damocles aſſentitur. Cic. Tuſc. l. 5.

ITa Damocli viſum eſt Syracuſio. Nam Dionyſium ſeniorem egregium profecto virum, niſi tyrannus, ſed in ipſa tyrannide præclarum, & populo non ingratum; aſſeruit ille, omni eſſe hominem beatiorem. At hunc Dionyſius ipſe facto ſuo redarguit quo de infra; Venuſinus autem hunc in modum.

Negat Horat. l. 4

Diſtrictus enſis, cui ſuper impia
Ceruice pendet; non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem,
Non auium, cytharæque cantus
Somnum reducent:

Theophraſtus Heraclides, & alij aiunt.

At Theophtaſtus de voluptate, *Ariſtidis vitam nemo*, inquit, *ſuauem fuiſſe autumat. Sed Smindrydæ Sybaritæ, ac Sardanapali.* Quin & Heraclides Ponticus lib. quem de eodem argumento ſcripſit, quo Theophraſtus. *Tyrannos, atque reges*, ait, *omnia expertos quippe quorum in poteſtate fortunæ ſunt, & opes, voluptatem omnibus ante poſuiſſe, quoniam hæc naturam hominum reddat animoſiorem, & excelſiorem, hoc eſt omnium ærumnarum, & inſultuum fortunæ ſuperiorem, vno verbo beatum faciat*, & his concinit Simonides.

Mortalibus enim quæ optabilis, aut vita, aut Tyrannis
Abſque voluptate, quæ ſi deſit, ne. Deorum quidem æternitas iucunda fuerit.

Reges felices in voluptate videri.

Itaque ſi qua fruendæ voluptatis ars in vita extat, ea in manibus Regum eſt, quibus cum ad omnem rerum copiam nihil deſit, facultas etiam ſumma adeſt, & ad fortunæ aduerſa propulſanda, & ad proſpera quæque, ac voluptuoſa conuocanda, conquirenda, conſequenda. Iure ergo Imperator ille cum in continenti, ac procul à mari eſſet, nihil ſibi ad menſam adhiberi volebat, præter ea, quæ in aquis enata à mari eueherentur. contra cum ad littus, & aquas cœnaret, ſola montana, & in ſiluis à mari remotiſſimis capta ſibi vt apponerentur, iubebat. Itaque cum Herculi adhuc Ephebo virtus, voluptaſque duarum ſpecie adoleſcentularum formas vtraque admirabili ſeſe videndam præbuiſſet, ſeſeque vt ſequeretur vtraque hortaretur, fore enim vt tranquillam nanciſceretur ſe magiſtra, ac ductrice vitam. Et vulgo quidem virtuti ille paruiſſe ſuadenti perhibetur. Sed falſum, & figmentum poetarum illud eſt; Steſichori in primis himerenſis, qui eum vagantem facit toto orbe terrarum, & in ſalutem miſerorum, ac improborũ perniciem cum claua, & pelle leonina, cum ſagittis, atque arcu venatoris, ac bellatoris more, monſtra Tyrannoſque deprimentem.

Heliogabalus.

Hercules non virtutem, ſed voluptatem ſecutus.

Poetarũ figmenta de laboribus Herculis.

Voluptates dicitur eſſe cõſectatus

tem . vnde ſcitaloſagittipelliger appellatus eſt . longe ſe res aliter habere videtur . nam voluptates ſecutus eſt ſexcentas inque vrbibus frequentiaque conuerſatus vitæ beatitatem ſeſe reperiſſe profitebatur . Non ne ille plurimarum fuit vxorum maritus, & quidem mulieroſus; nonne multo pluriùm puellarum ſtuprator inceſtuoſus? nonne liberum vndique ſuſceptorum genitor propudioſus? Quis illo helluoſior? qui bouem ſolus vnis deuorabat mēſis? quis temulentior? cuius in exemplum poſteri calicem ita exiccabant, vt ne guttula præterfugeret? quod in Herculis honorem fieri ab ſe religiosè faterentur . Cur calidas è terra ſcaturientes Herculi ſacras omnes eſſe dicunt, niſi quod balneis, thermis, lauacris delectaretur? hinc illi in Siciliam aduenienti, Himereas accurriſſe nymphas aiunt, & calidas e terra aquas eduxiſſe in hoſpitis obſequium . Cur lectos molliter ſtratos Hærculeos appellant ſi ſolum pro thoro pellem pro culcitra habuiſſet? niſi & cubare in mollibus, & pluma ſybariticus heros delegiſſet? Itaque minime mirum eſt, populos integros ea in opinione fuiſſe, vt tranquillè viuendi ratio, ſi qua illa in hominum vita extat, ſit in voluptate, non illa ſolitaria, ſed ciuium, populique frequenti ſtipata conſuetudine ponenda; id olim, & Perſæ, & rudij, & Parthi, & Sabæi, & Lydi, & Syracuſani, & Sybaritæ, & Phæaces, & Tyrrheni, & Catanei, & Tuſci, & alij plerique factitarunt . Minus mirum id in Regibus, viriſque opulentiſſimis eſt . quorum imperio, ac nutu cetera mouentur omnia, atque obſequuntur . ita verè Vlyſſes apud Homerum dixiſſe videtur .

Cuius voluptates.

Athen. l. 12. Dipnosoph.

Diodor, l. 5.

Populi voluptuoſi.

Reges.

Nihil ego puto gratius eſſe,
Quam cum hilaris eſt vniuerſus populus.
Ac in ædibus poetam audiunt, qui epulantur
Ordine ſedentes . onuſtaque menſæ ſunt
Cibis, & carnibus, ac merum hauſtum è cratere
Præbet, qui eſt à poculis, affunditur pateris
Animo cogitanti mihi pulcherrimum hoc videtur eſſe.

Homer. Odiſſ.

Vis tu hocce de argumento ſenſum cuiuſdam cognoſcere Regis voluptuoſiſſimi, ac ditiſſimi? audi quid in ſuo viuens voluit ſepulchro inſculpi.

Ego regnaui; & quamdiu lucem ſolis ſum intuitus
Bibi, comedi, venerem exercui . quia ſcirem
Breue tempus eſſe quo viuunt mortales
Idque multis permutationibus, atque moleſtijs inquietum .
Ac eorum bonorum, quæ ſum relicturus fructum,
Et delitias alios, percepturos .
Itaque nullo ceſſaui die, quin id agerem .

Epithaphia Sardanapali Regis.

Sardanapalum hunc fuiſſe, vel ex carminis lectione aſſeuerabis. eius ipſius eſt, in Ciuitate Nino inter ſaxorum rudera pilarumq;

reper-

repertum.. Eiuſdem Imperatoris alterum ferunt epigramma ſcriptum fuiſſe ad Anchialem vrbem ab ipſo ædificatam.

Sardanapalus Anacyndaraxis filius
Anchialem, & Tarſum vno die condidit.
Ede, bibe, lude, reliqua ne digitorum quidem
Strepitu digna ſunt.

An horum ſinceræ voluptates.

Sed vero an hæc iſtorum ſiue Regum, ſiue populorum ſinceræ ſunt voluptates? quomodo autem ſinceræ, quæ plurimis ſunt ſceleribus coinquinatæ, nec paucioribus cupiditatum fœditatibus deturpatæ,

Minimè.

quæ tot pœnitendi rationibus ſcatent, quæ voluptatum titillationibus vitam grauem, ſomnos grauiores; diem egeſtionibus, alui ſolutionibus, vomitionibus olentem; noctes ingurgitationibus, ebrietatibus, libidinibus conſpurcatas præſtant.

Cauſſæ perturbatæ voluptatis.

Quæ populis Decus, leges, menteſque auferunt, regibus bella, inſidias, exilium creant. Quæ ſunt aſſiduis curarum inſurgentiũ legionibus oppreſſæ; felicitatem vndequaque propulſantium, inuidias populorum, atque odia coaceruantium.

Non enim gazæ, neque conſularis
Summouet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leues ſomnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Salomonis Regis exemplum.

Eccleſ. 3.

Placet ne vnum tibi ex his feliciſſimis loquentem induci, vt ex eo audias, quid de regia ſit tranquillitate ſentiendum? En ipſum, producam enim omnium, qui vnquam ſceptro, coronaque ſunt potiti, & ſapientiſſimnm, & delitioſiſſimum. *Dixi in corde meo*, inquit, *vadam, & affluam delitijs, & fruar bonis. Et vidi, quod hæc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem. & gaudio dixi. quid fruſtra deciperis? Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus; & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſiluam lignorum germinantiũ; poſſedi ſeruos, & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges. vltrà omnes, qui fuerunt ante me in Hieruſalem, coaceruaui mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, & prouinciarum. feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum. Scyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda, & ſuper greſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hieruſalem. Sapientia quoque perſeuerauit mecum. Et omnia, quæ deſiderauerant oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram, & hanc ratus, partem meam ſum, ſi vterer labore meo.*

An

An tu huic defuiſſe quidquam ad felicitatis complementum putes? ſuberat ei hæreditarium regnum florentiſſimum quidem, atque obſequentiſſimum, nullis agitatum externis bellis, nullis inteſtinis ciuium odijs interturbatum. alta vndique pax. profunda quies, cum omni rerum affluentia. Theſauri opibus gaziſque refertiſſimi, Vrbes præclaræ, ager vberrimus, mercimonia vndique confluentia. Reges vectigales plurimi, amici omnes; Regia frequens, epulæ liberales, dapes opiparæ; non famuli, non famulæ deſunt ad menſam, non canentium muſicorum chori ad delitias. Demum huic ipſi regi ſapientia aderat ingens, & admirabilis, cuius vi, & magiſterio, his omnibus fruendi artem edoceretur, condiſceretque rationes, ac vias omnes felicitatis quærendæ, miſeriarumque omnium defendendarum. Quod tamen eius ipſius eſt de ſe, ac de ſua tranquillitate iudicium? *Cumque me*, inquit, *conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad laborem, in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole;* Quod ſi idcirco iſthæc omnia, quibus concupiſcendis exarſerat, adipiſcendis inſudarat, & fruendis inhiarat, idcirco vana prædicat, quoniam breuis interualli ſunt, neque æternum, aut diu duratura; ſed cum ſole aliquando occidente occaſura; & ſole quidem redeunte, illa perpetuum ruitura; ne ille fruſtra queritur, quemadmodum & ille.

Felicitas Salomonis Reges.

Iudicium eiuſdē de ſua felicitate.

Voluptateb hic breues, quia vita breuis.

Crudeles diui, ſerpens nouus exuit annos
Formæ non vllam fata dedere moram.

Tibull.

Hac conditione in hanc vitæ ſcænam progreſſi ſumus, vt diarij ſimus. hac eſt conditione tranquillitas exquirenda. ſi qua in hac vita eſt, vt diaria ſit, non diuturna. multo minus æterna.

Ergo alia credo cauſſa quæſtuū eſt, quæ in ipſa rerum fruitione animum erigere ſe amantem affligit, ac deprimit, neque illum reſpirare, aut auram attrahere ſinit. Nam nulla eſt voluptas niſi ſit honeſta, & cum virtute coniuncta. Talem inſeuit rebus fruendis omnibus aculeum Deus, qualem piſcibus; hos niſi cautè deuores, ſpinis te compungent, aut ſuffocabunt, illæ niſi inter vtendum, fruendumque virtute te & honeſtate obarmes inficient, emordebunt, ſanguinem elicient, & ad mortem adigent cum ignominia, & dolore certiſſimo, maximoque. At fuit qui morti etiam venturæ delitias, & voluptates oppoſuit. An tu illum neſcis, qui felicitatis omnem ſibi videbatur attigiſſe lineam, & extra læti iura, ac tela in delitijs tranſfigere, en quid hic inter cœtera voluptatis argumenta paraſſe dicitur; gladios aureos, quibus ſeſe tranſadigeret, ſi qua vis vrgeret; conſeruata habuiſſe in vaſis ceraunijs, hyacinthis, & ſma-

Voluptatis non ſinceræ cauſſa.

Heliogabali felicitas falſa.

Lamprid.

ſmaragdis venena præſentiſſima, quibus ſe interimeret, ſi quid grauius immineret. feciſſe etiam ſibi altiſſimam turrim ſubſtratis aureis multiplici gemma incruſtatis, acuminatiſque tabulis, ex qua turri ſe præcipitans in has ſeſe indueret. Miſer, qui in morte etiam delitias amabat, miſerior, qui in hiſce delitijs, mortis ſemper erat, interituſque trepidus: miſerrimus, qui non alibi, alijſue vijs felicitatem quam venabatur, indagaret. Miſerrimus Annibal Ducum omnium quamuis præſtantiſſimus, & plurimis victoriarum palmis nobiliſſimus, qui tamen propter quod in maxima trepidatione ſemper viueret, metueretque ſibi à Victoribus Romanis hoſtilia, ipſe tamen, venena ſecum in anulo parata geſtabat, & mortem ab aliena ſibi manu cauens, ſua ipſe in dextera ſuſcipiendam habebat. quid quod quaſcumque ſibi ædes ad inabitandum delegiſſet non vnifores volebat eſſe, ſed ad euadendum vndequaque perforatas, ac multifores. Erinaciorum modo, atque cuniculorum, quibus cum bella à venatoribus, & in cauernas immiſſis Viuerris cladem interitum intentantur ipſi per pſeudothiros clam ſe ſe ſubducentes in fugam conijciunt. Altiore erat animi celſitudine, atque acumine Dionyſius Heliogabalo, atque Annibale, qui in ipſis etiam fortunæ affluentijs amicos ſibi comparabat, & quam plurimos; atque imperio vtebatur, tam miti, ac populari, vt metus omnis ab ipſius voluptatibus abeſſet. quamquam natura ſuſpicioſus, ac ſollicitus eſſet, quod tranquillitati animi multum officere videtur. Alius tamen Dionyſium terror, & quidem continuus, omnique alio maior terrore vexabat, quē neque interdiu ſine ſollicitudine, neque nō interdiu quieſcere ſinebat. Age explicemus quis hic terror fuit, & promiſſis noſtris ſtemus. Damocles fortunas, opes, epulas, tum eiuſdem in dominatu Maieſtatem, ſuauitatem benignitatem, munificentiā inter amicos cum grata quadam moderatione gratiorē admirans, beatum illum palam, ac pleno ore deprædicabat. Perlatum id ad aures Dionyſij. Vin tu, inquit, ò Damocle felicitatis meæ particeps eſſe, & quoniam meæ tibi fortunæ rationeſque vitæ placent, earum periculum facere? Inuitatur ergo in craſtinum. Aedes magnificæ, & in his omnia regio inſtructa apparatu. Solum marmoreum vermiculato opere interſcriptum, parietes aulæis ex auro textili Phrygia arte picturatis obtecti, tecta cedrinis tabulis ducta, lacunaribus auro radiantibus micabant. florum ſuauiſſimos odores afflantium copia nares, oculoſque mulcebat, cum quibus, & alia adoramentorum genera exquiſitiſſima incendebantur. Ipſæ vero menſæ, quanto ſumptu, ingenioque paratæ. In auro dapes, pueri, & ore, & veſtitu aurei deferebant, in auro vina excipiebantur puellis admirabili venuſtate adminiſtrantibus. Vni hæc Damocli omnia, qui

Annibalis felicitas trepida.

Dionyſij Tyranni virtutes Tuſc. 5.

Eius tranquillitatis perturbatæ cauſſa.

qui beatus verè ſibi eſſe videbatur. Inter hæc ſeta equina colligatum, ac pendentem tecto gladium euaginatum capiti imminentem ſuſpiciens Damocles, aduertit. Enim verò omnis ad eum aſpectum felicitas euanuit. Manus de patinis retractæ, color ex vultu, vires è toto corpore delapſæ, vox pœnè demortua, vt exorare vix poſſet fugam, atque abitum, nolle ſe dicens eſſe beatum. Et iure quidem. Quis enim beatus eſſe poſſit, cui ſuper imminens. Dei regentis omnia poteſtas Adraſtiæ comes ſupplicia ſceleſtis in horas, ac momenta meditatur?

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis, Hor. l. 4.
Clari Gyganteo triumpho,
Aſtra ſupercilio mouentis.

Itaque vt hunc ſibi timorem demerent Epicuræi; Deum de cœlo eripere conati ſunt, & aut eum nullum eſſe, aut res ab eo humanas minimè curari auſi ſunt blaterare. Epicureorum delirium.

Omnis enim per ſe diuum natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur Lucret. lib.
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaque longe
Nam priuata dolore omni priuata periclis
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Quaſi verò æternum, immortaleque numen pax non æterna etiam, tranquillitaſque ſequatur, ſi res noſtras curet, & humanis ſe negotijs regendis, operibuſque adiuuandis intermiſceat? Nullo ſuo Deus periculo, pericula noſtra, & prouidet, & auertit, cum illi ſedit: aut labi ſinit, ac fluere cum ſuo etiam cordi inſedit, & cum ſumma illi ratio ſit, ſumma ſapientia, ſumma poteſtas, & copia in ſe ipſo ſumma, & nulla extra ſe vllius indigentia, atque inopia, proſpicit humanis rebus ſapientiſſimè, ſtudioſa quæque diligit, & præmio afficit, vitioſa odit, corrigit, caſtigat, & amorem ſui hominibus ſulutarem, ac proficuum ingenerat. nunc excitatis atque incuſſis de cælo tonitruis, ac fulminibus: nunc terrarum repentinis conquaſſationibue: nunc cœli, aeriſque peſtilenti afflatu populis interitus inferente: nunc maris alluuionibus, aut anni caritate, ac penuria annonæ ſuper inducta. per quæ omnia tanquam per ſatellites ad ſe huminem cuius conditor, ac dominus eſt, à ſuſceptis ſceleri bus, & viuendi licentia reuocet.

Parcus Deorum cultor, & infrequens
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus, erro, nunc retrorſum, Hor. lib. I. od 34.
Vela dare, atque iterare curſus.
Cogor relictos. Namque dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens

Plerumque per ſudum tonantes
Egit equos, agilemque curſum.
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo ſtyx, & inuiſi horrida Tenari
Sedes, Atlanteuſque finis
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus
Obſcura promens.

Vt prudenter Stoicum Horatius, ita Lucretius, beluinum ſapit cum Epicuro dum habet.

Lucretius Epicuraus.

Humana ante oculos fœde cum vita iaceret
In terris oppreſſa graui ſub religione
Quæ caput à cœli regionibus oſtendebat
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans
Primum Graius homo mortales tendere contra
Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contra
Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cœlum.

Præclarum virum; quem ne nomine quidem Philoſophia dignetur; ne in cutulenta ſua voluptate interturbaretur pinguiſſimus Sus. prouidentiam Deo, & rerum curam abſtulit, & otioſum, ignarumque maluit eorum, quæ acciderint omniu m facere, quam ſe religionis ſtimulo punctum dimouere ad Dei metum, cultumque. nempè ſi diuini numinis metu tangatur, in voluptate agere ſe poſſe diffidens: rectè Seneca. *Viuere quidem omnes beatè volunt, ſed ad prouidendum quid ſit, quod beatam vitam faciat, caligant.* Sapientia & ſi officere videtur felicitati, tamen conſequendæ quã plurimum conducit. *Initium* autem, *& Apex ſapientiæ timor Domini eſt*. Sine hoc ergo felicitas in vita noſtra nulla eſt.

Seneca.

Pſal.

SECTIO VII.

INVESTIGANDVM NVM QVOQVO MODO HABERI LÆTA TRANQVILLITAS POSSIT.

Duplex tranquillitatis habendæ modus. De primo qui altiſſimus, ſilentium. De ſecundo naturali, & inferiore, ſermo. Huius definitio ex Seneca duplex, eiuſque expoſitio. Mens ſana ad quid uis fortis, ac vehemens, & patiens. Felicitas non ſolum mentis eſt, ſed corporis. Scopus à fine in quo differt. Quid mens apta temporibus. Vir felix, & infelix aliter morti obnoxij. Felicitatis conditiones ex Martiale declaratio. Seneca opes. quæ opes felicitatem iuuent? partæ ne an hæreditariæ acquiſitæ? Similis præfectus. quamdiu felix. Nimia ſcien-

ſcientia obeſt felicitati. Stultus neque felix, neque infelix. medioeris ſapientia laudata. Ennius probatus. Quintum ſcientia Regi opus, Amicitia felicitati neceſſaria, qua paritas in amicis neceſſaria.

NEc dum res confecta eſt, neque ad exitum perducta, aut profligata quæſtio. hactenus, qua in re, aut homine non eſſet ſincera tranquillitas diſputatum. reliquum ſit, vt vbicumque illa reperiatur, aut quacumque ratione comprehendi queat, perueſtigemus, vniuerſaque bene fruendi, vtendique arte cognita, cauſſam peroremus. Tranquillitatis autē dū hoc in ſtadio vitæ curſamus, duplex omnino videtur eſſe poſſe modus. Alter cū quis abdicatis propter Deum ſummum bonum omnibus fortunæ bonis, etiam ſpe liberorum ſuſcipiendorum, hæredíſque relinquendi, quin etiam ſui ipſius imperio in alterius manu depoſito, ſolis virtutibus ſibi, Deoque vacet. & quodcumque ab amore Dei, ab rerum conditarum auerſione, ab integritate mentis, & corporis auocare intentet, aut abducere, pro detrimento, ac damno reputans, & altiſſimum tranquillitatis ducens genus, circum æterna mente deſiderioque verſari, nulla caducarum rerum, vel ſocietate, vel cupiditate admiſſe quodcumque hoc æui eſt, degat. hoc genus hominum vnus ex eorum numero homo princeps, ac ductor auiculis comparare conſuerat, quæ tantillum in terra commorentur, donec exigui ſe cibi conquiſitione reficiant, tum in aera ſublimes feruntur, ad volandum, & cantu Deum auctorem omnium qua poſſunt voce concelebrandum.

Duplex felicitatis modus. *Primus.* *S. Franciſcus.*

Alterum felicitatis genus eſt naturale, ac priore perfectum minus: quod ad conſequendum, illud, quod ſæpè à me, & prædictum, & probatum eſt; omnino tanquam in operis frontiſpicio ante ponendum iterum puto, ne quid ſcilicet ab homine committatur, contra rectam rationem, quæ lex eſt diuina, Deique ſumma voluntas; cuius participatio quædam, ac veluti particula noſter exiſtimatur animus, & ratio, qua pollemus. Hic primus eſt, cum ad hanc felicitatem, quæ in valle miſeriarum haberi poteſt, gradus; tum etiam ad veram illam, cui in monte Sion æterni Dei viuentis inhiamus, ac tendimus.

Alter modus felicitatis. *Primus eius gradus.*

Iam quid ſit hæc, quam nunc præ manibus habemus felicitas, definiamus cum Seneca. *Quærimus*, inquit, *quo modo animus ſemper æqualis, ſecundoque curſu eat, propitius ſibi ſit, & ſua lætus aſpiciat, & hoc gaudium non interrumpat, ſed placido ſtatu maneat, nec attollens ſe vnquam, nec deprimens*. hæc ille, cui quidem aſſentior eo libentius, quod non ad normam Stoicorum limites felicitatis aſtringat, ſed laxius procedat, & bona, facultateſque fortunæ, & corporis, bona hominis exiſtimet, & vtraque dum ſuppetunt homini, homi-

Secunda felicitatis definitio ex Seneca de tranquil. vitæ.

niſ-

niſque animo prodeſſe ad voluptatem ſinceram, quæ felicitas eſt; de qua loquimur, cum arte fruendi comparandam.

Altera eiuſdem definitio ex eod. Eiuſdem viri alteram definitionem beatæ vitæ affero, quæ clarior, diſertiorque videtur. *Beata vita*, inquit, *eſt conueniens naturæ ſuæ; quæ non aliter contingere poteſt, quam ſi primum ſana mens ſit, & in perpetua poſſeſſione ſanitatis ſuæ. Deinde ſi fortis, ac vehemens; tum pulcherrima, ac patiens, apta temporibus; corporis ſui, pertinentiumque ad id curioſa non anxiè tamen; rerum, quæ vitam inſtruunt, diligens ſine admiratione cuiuſquam; vſura fortunæ muneribus non ſeruitura.*

Huius definitionis explicatio. Cuius deſcriptionis partes à me ſunt omnes explicandæ. Beata vita eſt conueniens naturæ ſuæ. Quæ hæc eſt natura? carpitur enim *Quid ſignificet natura.* à quibuſdam Seneca, quod naturæ finibus circumſcriptam anguſ- *Defenditur Seneca.* tauerit vitam beatam; carpitur ſed iniuria. Homo expers veræ religionis, fidei, veritatis, & cognitionis ſummæ poſt hanc adeo humanorum operum cenſuræ faciendæ, & pro operum conditione cum præmio, aut ſupplicio; cuique decreto; non poterat in aliam felicitatis, aut beatæ vitæ imaginem oculos intendere; præ- *Natura triplex.* ter iſtam, quæ hic naturalis hominis ingenuo attingeretur. Quæ *Lipſius in manuduct.* autem hæc ſit natura optimè in ſuis manuductionibus exponit Lipſius. hominis ſcilicet cuiuſque ratio nullis offuſcata perturbationum tenebris, aut incitationibus agitata. Siue natura communis, aut humana ſuper quam ſignatum eſt lumen à vultu diuino promanans viam rectè eundi, & praua euitandi edocens. Aut natura diuina hoc eſt Deus accipiatur cauſſa rerum omnium vniuerſalis, omnia dirigens, omnibus iter beatæ vitæ, veræque in hac vita felicitatis callem commonſtrans, artemque rebus fruendi ſinceram, non adulterinam, non turbulentam edocens. *Quæ non aliter contingere poteſt, quam ſi ſana mens eſt, &c.*

Quid mens ſana. Ea ſanitas inducta menti, non corpori, dum conuenienter naturæ viuitur, nulli inſaniæ ſubeſt, ſed ſapit recta: nullum ſcelus in ſe ſuſcipit, vnde in inſaniam, ſeu vt clarius dicam, in errorem rationem aduerſantem mens animuſque ducatur. Vnde in ægritudinem prolabatur, ac decubat. Hæc ſanitas non breuis, aut diurna; ſed diuturna ſit oportet, ne à felicitate decidamus. In quem *Quid fortis, ac vehemens.* inſaniæ ſcopulum noſtra ne nauis inuehatur, illud additur. *Deinde ſi fortis, ac vehemens*. nempe ne perturbationum impetu detrudatur in illa ſaxa, ac breuiora opus eſt fortitudine, ac vehementia reſiſtendi, frenandique ventorum inſurgentium, atque impellen- *Quid ſit mens patiens?* tium turbines. Id ſi agatur. *Tum purcherrima*, inquit, *mens erit, & patiens*. Quid patiens? Num vero quis inter patiendum beatus eſſe *Cic. Tuſc. 5.* poteſt? an Ancharſim facit hic Philoſophus beatum. qui dum pila ferrea contunderetur, conuerſus ad Regem. *Tunde*, inquit, *tunde follem Anacharſis, Anacharſim non tundis*; at enimuerò nos in conſecutione felicitatis corpus ab animo nequaquã ſeparandum exiſtima-

timamus. Et quamquam ad contemnendam malorum concutientium potentiam animus patientia communitus perdurat, tamen ipſum pati, quod abſque dolore fere nunquam eſt; animi, corporiſque tranquillitati obeſſe, atque officere quis abnuat? Sed credo beatam vitam dum patientem Seneca aſſeuerat, non pugnã ab ipſo, & congreſſum cum hoſte deſignari, qua in pugna, atque congreſſu, ſi non occumbere morti. at vulnera ſuſcipere, ſanguinem profuudere vulnus in corpus admittere, ingemiſcere, defatigari, laſſari, ac pati ſolemus. Nulla ergo in prælijs felicitas. Niſi forte, vt cum Stoicis, Stoico more colloquar, felicitatem, vt ſcopum accipias, non vt finem; multum enim intereſt inter vtrumque, quamuis non niſi vnica ſit felicitas. Dum enim vt ſcopus nobis obijcitur, non dum in manu noſtra verſatur. Itio eſt ad illam, & via. Interim verò, monſtra, & labores, & ſenticeta, & bella, & vulnera occurrunt. Quibus feliciter, fortiterque exuperatis, felicitatem vt finem complexamur, in qua & felicitas animi, & corporis cum tranquillitate guſtatur. Iam hoc eodem tempore anima præteritorum vulnerum cicatricibus pulcherrima, ac patiens, id eſt vim, fortitudinemque poſſidens, & non experientiam capiens, ſed habens, bellandique magiſtra feriatur, & efficitur, vt proſequitur noſter Seneca, *Apta temporibus*. Quemadmodum enim in turbulentiſſimis tempeſtatibus Gubernator aſſuetudine nauigandi, præliorumque cum ventis miſcendorum peritus, ridet, ſi forte nunc vnis, nunc alteris, nunc à lateribus, modo à prora turbines impellant, nauemque exagitent, ita quiſquis cum ſuis depugnauit animi perturbationibus.

Felicitas non ſolens eſt mentis, ſed etiã corporis.

In prælijs nulla felicitas.

Quid ſcopus, quid finis.

Quomodo mens ſit patiens adepto fine.

Quomodo mens apta temporibus.

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolida. neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis.
Impauidum ferient ruinæ.

Hora. l. 3.

Neque enim fieri poteſt, vt humana, de qua nobis oratio inſtituitur, felicitas, nullis vnquam fortunæ ictibus concutiatur. Res omnes caducitati, atque corruptioni ſubijciuntur, & fluminis ritu feruntur in interitum. & ipſa vita beata ab infelici non eo diſtinguitur, quod illa conſtans, hæc aliquando defluat in mortem. vtraque eſt homini vita cum morte commutanda. ſed felix, neque imminentem hanc timet, neque præſentem exhorreſcit. Contra alter tam horret dum viuit, quam dum à viuis abit. fortuna dum Beato vim infert deluditur, irridetur, mors dum vocat, auremque vellit, auditur, & illi occurritur. ſed plura de his inferius

Res humana caduca.

Vita tam felix, quam infelix morti ſubiecta, ſed aliter.

dum

dum cum Martiale moramur, qui ſibi ipſi felicitatis excellentiam elegantiſſimis deſcribit endecaſyllabis.

Mart. l. 6. epigr.

Quid felicitas ex Martiale.

Vitam, quæ faciunt beatiorem
Iucundiſſime Martialis, hae ſunt
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis.
Non triſtis torus, attamen pudicus
Somnus, qui faciat breues tenebras.
Quod ſis eſſe velis, nihilue malis.
Summum nec metuas diem, nec optes.

An res labore parta obſtet felicitati.

Eleganter ſanè, & ſatis honeſtè, quod non ſolet Martialis. Sed quod obſtare beatitudini putat res labore partas, non hæreditate ſuſceptas, id vero in ambiguo eſt. Nam cum verum ſit res anxietudine conquiſitas non minus anxiè retineri, falſum tamen haud eſt quidquid alieno labore paratur, hæredis prodigalitate diſſipari. Itaque vtrumque periculi plenum eſt. Ad felicitatem igitur Res ſuppetat quomodocumque dum iuſte parata, verum cum mediocritate. expenſis mediocritas adhibenda, quæ eſt aurea, & felicitatis comes. Si amplæ ſunt opes, vereor, vt felicitatem adiuuent. blanditus ſibi Seneca cum dixit, *habebit Philoſophus amplas opes, ſed nulli detractas, non alieno ſanguine cruentas, ſine cuiuſquam iniuria partas*. Blanditus, inquam, ſibi eſt, cui ampliſſimæ facultates inuidiam, vel eius qui donauerat; & apud hunc calumniatores, criminatoreſque peperere. Et ipſi domino Senecæ nullas ſeruandi, augendi, fœnerandi, calumnias euitandi, eludendique curas ingenereſſe, quis credat? ſumma opum eius ſepteni milliones cum quingentis millibus Philippicorum. Voces criminantium, & colloquentium, accipe. *Supra modum auctæ opes. nullus augendi modus, ſtudia ciuium ambita, Principem ſupergredi. Qua ſapientia, quibus præceptis tam ampla intra tam breue quadriennij tempus fortunæ? nempe teſtamenta intercepta, prouinciæ fenore hauſta.* Sollicitudines poſſidentis nunc ob oculos ponam. Mutua dederat Britannis decies centena Philippica magno fœnore. En auaritia. eamdem ſummam cum fœnore eodem ab illis tempore magna vi, ac violentia repoſcebat, en iniuria, ira, cupiditas. eſt qui hanc exactionem neget, ſed illam fuiſſe idcirco ſimile vero eſt, quia Britannicos tumultus præſenſerat. Et ecce hic timor iacturæ ex cupiditate immoderata progrediens. Et hæc exigendi vis bellum britannicum acceleraſſe fertur. Sed Nero conferens excuſabit tantas opes in vnum hominem colla-

Res ampla an felicitati obſint.

Seneca leuiter tactus ex ampla re.

Seneca opes.

Taciti. ann.

Eiuſdē perturbationes ex opibus.

Dio.

collatas. quid illas quingentas menſas ex cedro, cum eburneis pedibus ſimul omnes, & æquales. an hæc ſummam ſuperbiam ambitionemque non indicant? an hæc vt ambitioſè conquiſita, & curioſè elaborata non amitterentur cum cura, & dolore?

Scio hæc omnia pro falſis haberi à Lipſio, & Dionem pro delatore, & detractore abduci. Ignoſco tanto viro, & tam pio, ſed cum de ingentibus Senecæ diuitijs in confeſſo ſit apud omnes, deque earum cura ſeruandarum nulli ſit dubium, deque inuidia ex ſeruatis conſtet, conſtare etiam, credo, poterit iſtæc beatæ vitæ conſequendæ mirum in modum obfuiſſe, atque adeo Senecæ nequaquam pepercisse. Magnus planè vir, vt ea ætas, ea veri ignoratio, ea aula ferebat, ſed maior fuit hominis in laudanda beata vita, ac legendis ad felicitatem præceptis, quam ad comparandam aſſequendamque diligentia. Sed redeamus eo vnde deceſſimus. Ecquid parta ne, an relicta res beatitudini habendæ habilior? Martialis Horatio conſonat dum hic beatum eum facit. qui. *Seneca felix non fuit.* *Res relicta ſtare ad felicitatem magis videntur, quam parta.*

Paterna rura bobus exercet ſuis.

Horatius Virgilio cui felix ille *Hor. epod.*

Cui pauca relicti
Iugera ruris erant. *Virg. Georg.*

Et mercatores, milites, alioſque id genus omnes in catalogo miſerorum Venuſinus reponit. *Mercatores, milites nequaquam felices.*

O fortunati mercatores grauis annis
Miles ait multo iam fractus membra labore. *Horat. Epiſt.*
Contra mercator, nauim iactantibus auſtris
Militia eſt potior.
Agricolam laudat iuris, legumque peritus
Sub galli cantum conſultor vbi oſtia pulſat
Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem eſt
Solos felices viuentes clamat in vrbe.

Nempe, nemo eorum ſua ſorte
Contentus viuit. laudat diuerſa ſequentes

Et alienæ felicitatis, quam ipſe putat, inuidus, & ſuarum viuendi rationum pertæſus.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus;

Sed & artes omnes labor improbus comitatur, & egeſtas in rebus duris, quæ felicitati aduerſantur. *Artifices nequaquam felices.*

Nauita tum ſtellis numeros, & nomina fecit,
Pleiadas, Hyaadas, claramque Lycaonis Arcton:
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco,
Inuentum, & magnos canibus circundare ſaltus.
Atque alius latum funda iam verberat amnem.
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque arguta lamina ſerræ:

(Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum)
Tum variæ venere artes . labor omnia vincit
Improbus , & duris vrgens in rebus egeſtas .

Res parta felicitati proſunt.

Quaſtionis ſolutio.

Contra audio Sacrum Vatem dicentem,*labores manuũ tuarũ , quia mãducabis,beatus es,& bene tibi erit.*Hoc ſi quid in eo ambigui eſt, hoc pacto dilucidandum reor ; Neminem, dum in re paranda occupatur,anxietudine non aliqua percelli . Si quis ſementem terræ in locato agro concredidit ad rem augendam , quoties annus importunè hiemauit , aut nimio plus æſtuauit , toties congelauit mæſtitudine , aut ira exarſit , & cælum , ſolemque ſuſpiciens .

In paranda re ſollicitudo.

Crudeleſque Deos , crudelia ſidera dixit .

Theognis.

Mercator , totus in negotio , in fœnore , in lucro . ſibi crudelis , alijs impius , in cœlites ingratus , irreligioſus . Depaupere ; atque egeno nihil eſt , quod addam . *Pauperiem omnes mari , terraque fugiunt* , vt Theognis ait , eius vis quid non ſubire cogit ? vt Vlyſſes apud Homerum ſæpe fatetur .

An ad felicitatẽ magis apta ſit res parta, quam hæreditaria.

Ipſe ergo rei parandæ , quærendæque apparatus cum ærumna eſt ; & ſi quid boni habet ; gradum ad felicitatem facit . Sed à re labore iam parta num felicitas promanat ? quod ſi qua prouenit, conſequi enim aliquam,neceſſe eſt;num illa cum ea ſit felicitate comparanda,quæ ex re hæreditaria,& paterna ? An forte maior ex illa?nam iucundiores ſolent eſſe poſt aduerſa proſperitates . Sed in opibus labore partis,auaritiæ periculum eſt: & ſollicitudo, ne euaneſcãt,ac deficiant;quæ paulo ante neque erant. & hic infelicitatis riuus eſt.At quę relicta habuimus,periculo itẽ ſuo ſubiacent,ne diſſipentur à prodigo , ac nepote hærede . Itaque , vt verbo conficiã . In partis breuior felicitas,tarde enim initiũ habet , donec ſcilicet parentur , & curæ parandi abigantur ; diuturnior in relictis , quæ quærendi laborem non habent . Illud nunc agamus .

Lis nunquam ; toga rara ; mens quieta

Forum an felicitati proſit.

Tria hæc nempè forum , vt loquitur Horatius , vitatum,vt Virgilius receſſum à publicis muneribus,quorum cupiditates ſexcentis ſcatent aſſentandi,ambiendi,ſimulandi malis artibus.Quietãm, tranquillamq;hac ex pate vitam ſuo approbauit exemplo ſimilis Præfectus Prætorio,& Adriano primum Cariſſimus, tum vt aulicæ ſolent res,paulatim in faſtidium odiumque abiens,depoſito magiſtratu in agrum ſuum ſecretus abſceſſit,& ſeptennium in tanta vitæ tranquillitate peregit vt ſuo moriens ſepulchro inſcribi voluerit,*Similem ſeptuaginta quinque annos habuiſſe cum viuere deſijt, ipſum autem ſolo ſeptenio vitam vixiſſe .*

Similis Præfecti felicitas.]

Dio in Hadriano.

Prudens ſimplicitas , pares amici .

An nimia ſcietia felicitati obſit.

An ad bene rebus fruendum , & ad vitã cum trãquillitate cõciliandam multa prudentia, aut ſapientia, impedimenta greſſus implicantia ingenerant ? ſane illud , *ne quid nimis* in hoc argumento

nimis

nimis iuuat, nam in multa ſapientia ſicut in vino ebrietas quædam, & vertigo abſconditur, quæ omnem inuertens hominem à tranquillo ſtatu deiectum circumagit. *Noli*, inquit, *ille*, *ſapere plus quam oportet*, *ſed ſapere ad ſobrietatem*. Simplicitate temperari prudentia debet, ne felicitas in dilutum ſoluatur. Tum ex aduerſo mera ſimplicitas ſtultitia reputatur. Quis autem ſtultus beatus? cui, ſi nihil ad infelicitatem adſit, hoc eſt ſatis, quod felicitatem ſuam nullam cognoſcit; & fortaſſe neque infelicitatem; quemadmodum in pueris accidit, quos à felicitate, atque infelicitate ſeiungimus, quia neutrius ſunt per impedimentum ætatis, gnari. *Philoſophandum* ergo eſt homini tranquillo, vt de Principe viro Neoptolemus aiebat apud Ennium, *ſed paucis*, *nam omnino haud placet*. Plato in Regibus, aut Reip. capitibus non mediocrem philoſophiam, imò multam deſideraſſe videtur, cuius illud frequenti laude circumfertur. *Tunc florere Ciuitates ſi aut Philoſophi imperent, aut imperatores philoſophentur*, quod in ore M. Antonini Imperatoris frequentiſſimum fuit, & opere perfectiſſimè impletum; erat enim tantæ tranquillitatis, vt vultum nunquam mutauerit mœrore, aut gaudio, philoſophiæ deditus ſtoicæ, quam & per optimos quoſque magiſtros acceperat, & vndique ipſe collegerat. Et Stoici quidem ſapientem ſuum illum, cuius in pectore vniuerſam philoſophiam tamquam in ſacrario ſtatuunt, ad regendorum imperiorum, & Rerumpubl. gubernacula accedere poſſe cenſuerunt. Sed Zenoni id quidem docuiſſe ſatis eſt viſum, ceterum ipſe à foro, ac forenſibus abſtinuit, & quidem ſtudioſè, ac prudenter. In Magiſtratibus enim rara homini vitæ tranquillitas, frequentiſſima perturbationum impulſio, ac tempeſtas, ad quæ ſedanda, aut exuperanda nimia Philoſophandi ſcientia neque vires habet, & cum viribus ſit defecta ad medendum; anxietudinem in animis ingerit, qui enim addit ſcientiam, addit, & dolorem. Ego vt calculum in hoc iudicio meum adijciam. Illud optauerim. in huiuſmodi, ſcilicet principibus viris, vt cum philoſophiæ maſculæ illi, ac virili, quæ ſceleribus, & ſceleratis cognoſcendis, corrigendiſque, & Rep. ac ciuitate regenda ſit accommodatior, ſeſe mediocriter dederint. Illud dies, noctesque habeant in mente fixum, vt iura Imperatorum, ſanctiones Pontificum, legemque D. O. M. omnino integra, & ſarta tecta ſeruent. idque precibus ad Deum, ac cœlites frequenter adhibitis conſequi curent. Atque ad hæc omnia perficienda ſapientes apud ſe viros, & in omni litteratura verſatiſſimos habeant, quorum exemplis ceteri quidem ad benè viuendum deducantur. doctrinis autem, atque inſtitutis ipſi, & ſuis, & Reip. commodis inſtruatur. hoc demum pacto tales viros vitæ tranquillioris fructum habituros, ſi tranquillitas in potentibus, & non labor potius, & dolor inuenitur.

Temperata ſapientia prodeſt.
S. Paul.
Stultus felix eſſe non poteſt.
Imo neq; infelix.
Vt pueri.
Homini felici philoſophandum, ſed paucis.
Ennius.
Reges Philoſophi eſſe debent.
M. Antoninus Imper.
Quid in magiſtratu ſummo optandum.
Magnates cum ſapientibus conuerſari debent.

Amici ad felicitatem neceſſarij.

Quod autem Martialis addit, *Pares amicos*, ad vitam beatam eſſe neceſſarios. id vero veriſſimum eſt. ſine conſuetudine enim ſolitaria felicitas eſſet, atque adeo felicitas minimè eſſet. quid enim naturæ hominis congruit magis, quam ſocietas, & communicatio? cuius tanta vis eſt, vt cum vagi, palanteſque eſſent homines; ſe ipſi in vnum cogerent, mallentque intra mœnium, vrbiumque anguſtias ex legum præſcripto vitam ducere, quam in ſiluis, ac montibus libere licenterque degere, Ergo ſine amicorum conſortio vita homini habenda non eſt. at hi pares eſſe debent, *nam pares*, vt eſt in prouerbio, *cum paribus facillimè conciliantur, & æqualis æqualem delectat, & ſimili ſimilis gaudet*. At quæ hæc demum paritas in amicitia, & ſocietate requiſita? an ætatis? & vt Plutarchus habet.

Societas homini naturalis.

Amici quomodo eſſe debent.

Pares, & æquales.

Non magis ætate, & ſanguine.

Seni ſenilis lingua iucundiſſima eſt
Pueroque puer, & mulier apta fœmina.

An conſanguinitatis, & familiæ eiuſdem?

Theocr. Idill.

Nam cicada cicadæ chara, formicæ formica
Accipiter placet accipitri.

Quam moribus.

Sed mores hic credo, Theocritus reſpexit potius, quam genus, quos in omni bene compacta ſocietate conſiderari oportet ad felicitatem conciliandam. Aetas, conſanguinitas, nobilitas, ſcientia, niſi condiantur moribus bonis nulla ſunt. Mores ſi cum illis adſint ea condecorant magis; vbi alterutrius electio, aut optio facienda, moribus ante poſitis, cetera reijciantur; nam tranquillæ vitæ obſunt. Proſequitur Martialis.

Sine moribus cetera obſtant felicitati.

Non triſtis torus, attamen pudicus.

De Thoro actum alibi.

Qua de re ſatis à nobis abundè dictum in ante ſcriptis. Nunc illud addo vnum. & ſectionem, ac librum claudo. Beatitatem illā, quæ poſt abſceſſum ab hoc terreno domicilio, probis uiris, ac ſtudioſis conceditur in cœlo, ſatietatem eſſe, & deſideriorum, quæ rectæ ſint congruentia rationi, omnium complementum: Id vero à nemine vitam in terris agente obtineri poſſe. ex quo fit, vt aliud beatitatis genus inquiri oporteat, nempe, vt deſideria enaſci in nobis ea ſola patiamur, quæ honeſta in primis ſint, & pudica; quorumque, conſecutionem facilem nobis parare poſſimus. ne dum ardua, & quæ à noſtra poteſtate abſunt, conſectari volumus, ventos, vt aiunt, reti captemus, & felicitate, qua perfruimur defraudemur. Aptiſſimum ad hanc rem illud eſt, quod Pyrro Cineas reſpondiſſe fertur. rem geſtàm, vt à Plutarcho refertur, explicabo. *Is cum Cineas Pyrrhum expeditioni in Italiam intentum cerneret forte otioſum nactus, ita compellauit; Bellicoſi, ò Pyrrhe, Romani eſſe feruntur multiſque fortibus imperare gentibus, quod ſi Deus nobis de ijs victoriam conceſſerit, ecquis eius erit vſus? Ad hæc Pyrrhus: de re manifeſta quæris, Cinea. victis Romanis, nulla neque Barbara, neque Græca vrbs ſatis eſt*

Quid ſit beatitas æterna.

Hæc hic haberi non poteſt.

Remedium ad beatitatem hic conſequendam.

Plut. in Pyrrho.

Quod Cineas Pirrho dixerit.

quæ

qua poſſit reſiſtere nobis; itaque ſtatim vniuerſam obtinebimus Italiam, cuius magnitudinem, bona, & potentiam quemuis potius, quam te ignorare conſentaneum eſt. Tum Cineas paululum moratus; Italia vero, inquit, occupata, quid agemus? & Pyrrhus non dum quid ſibi is vellet, intelligens; Plut.in Pyrrho. *Sicilia, ait, proxima eſt inſula diuitijs, & hominibus abundans, manuſque nobis protendit: ibi enim nunc defuncto Agathocle omnia ſeditionibus plena confuſioneque magiſtratuum; & oratorum certaminibus. Probabilia dicis, reſpondit Cineas, ſed erit ne is nobis finis expeditionis, vt Siciliam capiamus? Deus, inquit Pyrrhus, victoriam nobis hanc ſi conceſſerit ad magna eo, quaſi exordio, vtemur. Quis enim Africa abſtineat ſe, & Carthagine, cum & hæc capi poſſit? quam Agathocles furtim Syracuſis elapſus, paucis cum nauibus traiecto mari minimum abfuit quin caperet. Quid vero attinet dicere eorum, qui nunc nobis inſultant, hoſtium, his victis, nullum nobis reſiſtere poſſe? Nihil, ait Cineas; & vero perſpicuum eſt, tanta te auctum potentia, & Macedoniam recepturum, & imperium in Græcos ſtabile habiturum. Verum his omnibus confectis, quid tum agemus? Ibi ſublato Pyrrhus riſu; multo, ait, otio fruemur, ac quotidiano potu, & colloquijs inuicem exhilarabimur. Huc vſque regem Cineas cum ſermone deduxiſſet. Quid ergo obſtat, inquit, quin iam conuiuemur, & in otio nos inuicem oblectemus, cum iam in promptu id nobis ſit, poſſimuſque eo ſine vllo* Reſecanda ſollicitudines. *labore frui, quod multo ſanguine, multiſque ærumnis quæſitum imus, multa alijs mala illaturi, multa ipſi paſſuri? Hac oratione Cineas Pyrrhum magis perturbauit, quam vt a propoſito auerteret; intelligentem ſane, quantam in præſens felicitatem dimitteret; ſed eorum, quæ cupiebat, ſpem deponere non valentem.*

Nihil aptius ſermone Pyrrhi, & Cineæ; ad rem à Tarquinio geſtam procedat oratio; exemplo non minus eleganti, & venuſtatis pleno. Tarquinius Romanorum Rex Gabios, quos bello capere non potuerat, fraude, ac dolo, arte minime Romana capere aggreſſus eſt. Tarquinij factum Sextum ergo, qui minimus ex tribus filijs erat, aſtu tamen prudentiaque non vltimus, ad illos occultè vt ſe à parente pulſum diceret imperans, & alia ad rem multa mandans, ablegat. hic multa de patre conquerens, nihil vſquam ſibi tu- Liuius, l.1. tum, niſi apud hoſtes patris credidiſſe ait. his conſilia Tarquinij occultiora aperit, fidem quærit, miſericordiam, hoſpitiumque implorat. quid plura? benignè à Gabinis excipitur. primum in conſilia publica adhibetur. tum in militia ei locus datur, poſtea etiam munus, & magiſtratus, inde dux conſtituitur. demum ſumma ei omnis Gabinæ rei concreditur. Itaque poſtquam ſatis virium collectum ad omnes conatus videbat, tum è ſuis vnum ſciſcitatum Romam ad patrem mittit, quid nam ſe facere vellet? quandoquidem vt omnia vnus ipſe Gabijs poſſet, ei dij dediſſent. Huic nuntio (quia credo dubiæ fidei videbatur) nihil voce reſponſum eſt. rex velut deliberabundus in hortum ædium tranſit,

ſequente nuntio filij, ibi inambulans tacitus ſumma pauperum capita dicitur baculo decuſſiſſe. Interrogando, expectandoque reſponſum nuntius feſſus, vt in re imperfecta, redit Gabios: quæ dixerit ipſe, quæque viderit refert, ſeu ira, ſeu odio, ſeu ſuperbia inſita ingenio, nullam eum vocem emiſiſſe. Sexto vero quid ſpatet iuberet, patuit, nempe, vt Gabinorum primores, quos dedendis, prodendiſque Gabijs aduerſarios obſiſtenteſq; haberet, è medio quacumque poſſet ratione, tolleret. omnibus eſt interitum, exitiumque machinatus; Quorſum hæc tandem? Papauera, & primores deſideria inutilia, ac nociua ſunt, quæque res menti ad tranquillitatem anhelanti eas proponunt, quibus conſequendis vires, opeſque deficiunt. Hæc temperantiæ, moderationis, ac prudentiæ conſilijs, adiumentiſque reſecanda, extinguenda; quo tui ipſius dominio, rerumque tuarum fruitione potiaris. Eamque ad legem viuendi curſum dirigas, vt ab huius vitæ felicitate, ſeu felicitatis, vt ita dicam, inchoamento, ac tyrocinio ad eam, quæ vndequaque perfecta felicitas eſt, proueharis, & cum felicitas illa, quæ in complemento deſideriorum verſatur, haberi in terris non poſſit, illa ſaltem habeatur, quæ eorundem ex decremento deſideriorum magna parte perficitur.

Affabulatio ad rem.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE ODIO, ET FVGA.

ABſcede monſtrum implacabile. horribile, quid tibi ſeſſitationem vendicas cum Amore, Cupiditate, Voluptate, quam pulcherrima amabilia? Tu rixas, inſanias, clades, luctus paris. Tibi locus aptiſſimus ſepulcreta, ſubterranea, tartara. Vt te à corde ita ab hoc opere eliminatum vellem. ſed ab eo iam dudum à quo odia omnia expulſa præter vnum noxarum, quod innoxium? Gratias perturbationibus habe, quod non te deleo; delerem ni ipſas interturbarem; Sede ergo, & ſedem creditam ama, quod ſi non amaueris. pro officio facies. nam odio tute tuo omnium, & ſedis etiam tuæ odia concitas.

SECTIO I.

QVID SIT ODIVM, ET QVOTVPLEX.

Odium, diſſonantia, nolitio quid? Cicero, & Auguſtinus, & Plutarchus leuiter accuſati. Odium neque ira eſt, neque inuidia. Inter ipſum, & hanc diſcrimen. Turpitudo odio obiecta, an naturalis? quorundam animalium deſcriptio graphica. quorundam inter ſe odia. Quæ turpitudo ſit odio digna. Odium duplex. Valentia reiectus.

ODIVM poſt hæc, & abominatio, fuga, & triſtitia explicanda reſtant, quæ in hunc locum diſtulimus, quo declaratis iam contrarijs, facilius contraria intelligerentur. Igitur ex amoris notitia odium quid ſit ſciemus, qua de re S. Thomas. *Amor*, inquit, *eſt conſonantia quædam appetitus in id quod apprehendit, vt cōueniens. Odium verò eſt diſſonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur vt repugnans, & nociuum. Sicut autem omne conueniens vt huiuſmodi eſt, rationem habet boni, ita repugnans, vt tale, rationem habet mali, ſaltem ratione eius, cui repugnat.* *Tractanda proponuntur.* Odium quid ſit 1.2.q.29.ar.1.

Quid verò eſt hæc diſſonantia? Amor volitio eſt boni, vt dictum eſt. Igitur odium nolitio eſt mali. Volitio illa nomine complacentiæ, conſonantiæ, conuenientiæ, coniunctionis, vnionis appellatur, qua animus per affectum coniungitur cum bono. Ita odium nolitio eſt, quæ rectè dicitur abominatio, diſſonantia, auerſio à *Quid diſſonantia, & nolitio in odio.*

malo

Odium fertur tã in abſens, quam in præſens.

malo per affectum. Itaque ſicut amor poteſt in aliquod præſens, aut abſens ferri ita & odium.

Nolitio in odio eſt actus poſitiuus voluntatis reſiliẽtis à malo.

Sed nolitio quid eſt? videtur enim negatio volitionis, atque adeo nihil eſſe, an vero eſt aliqua operatio animæ procedens ab appetitiua potentia? ita eſt. Neque enim negatio Amoris odium eſt, multo minus volitio rei eius, quæ contraria eſt ei, quam odio proſequimur, odium eſt, ſed aliquid præterea eſt odiſſe. Quamuis igitur vocabulum nolitionis negationem volendi indicet, tamen ſignificat actionem quandam, aut operationem, quam anima rem ſibi nociuam cognoſcens, elicit per appetitum, auertẽdo ſe, & veluti reſiliendo, atque abſcedendo per affectum.

Vaſq. 1.2. qu. 23. c. 2. n. 6.

Odium Ciceroni & S. Auguſtino eſt ira vetus.

Tuſc. 4.
Lib. Definit.
Sed non ſemper.

Cicero odium eſſe *iram inueteratam* dixit, cui Sanctus Auguſtinus acceſſit vocans odium, *Veterem iram, ex pluribus cauſſis collectam diuturno tempore perſeuerantem*. Quod falſum eſſe poteſt: Ira enim, vbi iniuria, aut iniuriæ voluntas inferendæ mihi, aut meis nulla intercedit, naſcitur nulla, odium vt hinc naſcatur, non eſt neceſſe. Exiſtimo quidem odium ſine aliqua ira eſſe non poſſe, & iram ſine odio aliquam eſſe patet, in parentibus erga liberos, in amicis, quorum iræ ſolent eſſe amorum redintegrationes, & fateor ex veteratis iris odia naſci; aut potius poſt illas ſequi, ſed iras odia fieri, abnuo, quorum diſcrimina alibi quidem tetigimus, paulo autem infra diſcutiemus.

Odium non eſt inuidia.

Sunt, vt ait Plutarchus, quibus videatur odium ab inuidia nihil differre; & ſanè inuidiæ vocabulum pro odio apud Latinos vſurpatum frequenter legimus. Sed diſcrimina oſtendit multa Plutarchus. Quintilianus eleganter tribus verbis trium horum odij, inuidiæ, iræ differentias aſſignauit: *Inuidiam gratia, odium turpitudo, iram offenſio facit*. Solet enim gratia, qua quis pollet apud Magnates, & felicitas, & fortunæ fauor, inuidiam excitare aliorum in ſe. Turpitudo autem, hoc eſt vitia, & ſcelera ſponte ſuſcepta odiũ merentur; offenſiones, & iniuriæ incuſſæ, iram.

Odij, inuidiæ, iræ diſcrimen.

Quæ turpitudo eſt odij obiectum.
Non ſolũ vitioſa, Sed naturalis.

Sed an odium contra talem animi turpitudinem ſolummodo exercetur? Deberet quidem. Sed videmus odia ab hominibus etiam in brutas animantes effundi, quæ hoc genere turpitudinis minimè fædantur. Sunt enim qui feles, cantarides, rubetas, ſerpentes, mures, teſtudines oderunt: At ex his quidem quaſdam damnoſas, quaſdam inutiles, quaſdam etiam deformes beſtias, eſto, odijs perſequantur iuſtis: at felis animal tam vtile, tam elegans, quo nam vitio odia promouerit? Quam beſtiolam, homini natura prouidit, vt à muribus ædes, ac rem domeſticam defẽderet, quorum in aliquibus regionibus tantam aliquando copiam exortam eſſe legimus, vt integræ vrbes vaſtarentur. porro feles quantis in hos inimicitijs atque odijs aguntur? quam non interruptis noctu excubijs contra inuigilant ad prædam, quam aſſiduo ſpe-

Felium vſus.

E[illegible]arum deſcriptio.

ſpeculatu perueſtigant? vbi autem caueis ſuis illaticantes odoratæ ſunt muſculos; quam obſtinata obſidione conuallant? primum alto ſilentio, & ſuſpenſo pœne toto corpore, ac leuiſſimis veſtigijs obrepunt; & caſtra promouent; tum pertinaci cuſtodia aditus omnes, cuniculoſque obſeruant, ne fortè per poſticum, aut pſeudothirum euadens hoſtis fugam arripiat. prodeuntem verò quam repentino inſultu aggrediuntur, atque vnguibus arreptum captiuant? Neque verò illæ captiuum pro hoſte ſtatim habent; crudeli quadam miſericordia necem diſtinent, & circumfuſæ rident, certantque illudere capto. porro quam varios inſtituunt luſus? quos iocos? quæ ludicra? & quam riſu digna, & cachinno? nuncillæ, ſolutum, & pœnè liberum remittunt, atque auerſo vultu facilem muſculo fugam promittunt; ire incipientem, gradus vt promoueat quaſi per obliuionem, incitant in ipſa autem ſpe libertatis, aut fugæ in miſellum inſiliunt, & de fugitiuo recentem prædam faciunt, ac triumphant. Ergo nunc poſt terga proiectum retroacto corpore decidentem illum ſuſcipiunt, vel reſupinato in vngues inſerunt, nunc exoſculatum amplexantur, vt prolem, nunc eundem inſpectant, & alumnæ.

Habes domeſticum in felibus priuatumque theatrum, & ſine periculo pugnantes beſtias, & cum tua delectatione ludicras; cur tu igitur odio illas inceſſis? malè inquies, olent; aſtutæ, fraudulentæ, inſidæ, rapaces. quarum halitus febres ecticas inducit, quarum vngues virulenti, dentes læriferi. notum illud Romæ in æde S. Mariæ Populi diſtichon. *Quidā feles odio habent.* *Felium vitia.*

Hoſpes diſce nouum leti genus improba felis
Dum trahitur cauda, mordet, & intereo.

Habes in fele cauſſas inimicitiarum. excuſo. Teſtudines quamobrem tandem inimicitijs exagitas? Animal ſuo ſanguine, & Iecinore ad morbos vtile, vel in primis. Ceterum innocuum edentulum; roſtri margines continuos, & acutos habens ad herbas modo diſſecandas, quarum ſuperior pars inferiorem ita includit, vt ſolent pixidiculæ ex buxo: non à te illæ clamoribus, aut inſultibus, aut incurſationibus cibos efflagitant, vel ſolo puluere contentæ. Domo ſua nunquam teſtudo progreditur, etiam cum de tua prodit. modeſtè, imò tardè gradum promouet; ſine ſtrepitu, ſine ſonitu moderationem in inceſſu, ſilentium, ac modeſtiā indocens. A qua ne abhorreas, picturato illam natura cortice decorauit, & tam artificioſa varietate aſpectabilem præſtitit, vt macedonicæ phalanges teſtudinis ſibi nomen indiderint. Proh diui delectabile animal teſtudo? in qua effundenda abortiſſe naturam *Teſtudinum vtilitas, & deſcriptio.* *Teſtudinis turpitudo.*

putem. Turpitudinem ſi velis digito indicare in teſtudinem dirige, ſuper ea quidam ſtantē Venerem finxere,credo ſuper aliquod turpe, rem pulchram.aut vt docerent mulierem formoſam niſi pudica ſit abituram tandem in turpiſſimum monſtrum. Vel vt ſignificarent, amoribus qui velociſſimi ſolent eſſe, & inconſiderati, moderationem teſtudineam eſſe adhibendam. Sed eſto vt contendis.ſit odibilis teſtudo. Quid de Gallo gallinaceo? eſt ne in ea alite quod emendes? nolo meis vti in hac re verbis; Plinio vtar teſte.

De gallo gallinaceo,eius vis, eſus indoles,pugna.

Galli gloriam ſentiunt, & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit. Norunt ſidera; & ternas diſtinguendo horas interdiu canunt, cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas, laboremque reuocant. nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nunciant cantu, ipſum vero cantum plauſu laterum; Imperitant ſuo generi, & regnum in quacumque ſunt domo, exercent. Dimicatione paritur hoc quoque inter ipſos; velut ideo tela agnata ſuis cruribus intelligentes, nec finis ſæpè commorientibus. Quod ſi palma contingit ſtatim in victoriam canunt, ſeque ipſi Principes teſtantur. Victus occultatur ſilens, ægreque ſeruitium patitur, & plebs tamen, aeque ſuperba; graditur ardua ceruice, criſtis celſa, cælumque ſola volucrum aſpicit. crebro in ſublime caudam quoque falcatam erigit. itaque terroris ſunt etiam leonibus ferarum generoſiſſimis. Hæc Plinius, in quo illud *& plebs* emendare quidem conati ſunt multi, ſed fruſtra; ego ſic, & aptè vt opinor. *& pax*, oſtendit enim Plinius alitem hanc, aeque in pace, atque in bello ſuperbam.

Plinius.

Correctus.

Germanici in gallum odia.

Iam quis Gallum non amet? hunc tamen neque cantantem audire, neque eius aſpectum ferre poterat Germanicus, vir prudentiſſimus, & multa animi moderatione laudabilis.

Animantium inter ſe odia.

Veruntamen poſſunt homines rei pulchræ næuum apponere, & formoſa pro turpibus accipere, atque ita Gallum gallinaceum odiſſe. Ipſa animalia, quæ cernendæ turpitudinis facultate carent, etiam ſe odio quodam implacabiliter inſequuntur. Pugnant inter ſe Aquilæ, & Dracones, Cornices, & Vlulæ, Parus, & Carduelis, Elephantus, & Rhynoceros; Crocodilus, & Ichneumon, Muſtela, & Bufo, Lupus, & Ouis, Mus, & Felis, Canis, & lepus, de quibus alias à me dictum.

Turpitudo ad odium excitandum qualis.

Turpitudo igitur, quæ odium parit, lata eſt ſignificatione vſurpanda, pro malo ſcilicet, & malum non illud ſolum accipiendum,quod re vera ſit,ſed quod appareat.fateor id,quod primo loco,& omni eſt homini odio perſtringendū,turpitudo animi eſt,quę vera eſt turpitudo,& nè in hanc incurramus,vitam ipſam, cuius in nobis dilectionē arctiſſimā natura inſeuit,omni periculo exponere, ac inſuper habere,imò,& odijs implacabilibus exagitare debemus.

Hæc

Hæc ſolis ſceleribus contrahitur; hæc eſt cane peius, & angue fugienda; hæc odijs pluſquam Vatinianis inſectanda. Ceterum odij obiectum laxius extenditur. Quod enim nobis nociuum alicunde eſt, & repugnans hoc nobis pro turpi, hoc pro odio habetur quãuis in ſe ipſo bonum fortaſſe ſiet.

Iam odium, ſicut, & amor duplici modo conſiderari poteſt. primo cum in aliquem ſimpliciter odio inuehimur, quod genus, odium abominationis dici ſolet. altero cum ei quem odimus vt malum, appetimus aliquid mali, quod inimicitiæ odium appellant. Sicut amor fertur in bonum, & rurſum ei bono, bonũ amor idem appetit. de priore odio Sanctus Thomas ex occaſione tractat. atque illud habere pro obiecto duo mala quod, & cui; circa quæ Valentia diuerſo, vt opinor, tramite ſpeculatur, quam Doctor velit Angelicus, qui duo hæc mala formaliter, vt mala, videtur accipere, & vnum appeti, quatenus malum eſt, alteri malo, & vt illi m ale faciat. Nam quod ait Valentia, cum appetimus aliquid mali malo, tunc eſſe concupiſcentiam quandam, qua homo æſtimet ſibi conueniens, vt res ſibi repugnans ſubiaceat alicui malo; *quamuis appetatur malum, vt malum alteri*, ac propterea non eſſe iſtud ita propriè odium, vt eſt illud alterum abominationis, quamuis inquam appetamus malum, vt malum alteri, nihil obſtare debet quominus odium inimicitiæ ſit proprie odium. Nam etiam in odio abominationis ideo malum exorremus, quia exiſtimamus nobis conueniens eſſe, vt ab eo abhorreamus, quamobrem neque odium hoc, atque adeo nullum odium, eſſet propriè odium. *Odium duplex.*

Quod Valentia exiſtimat concupiſcentiam mali contra malum, ſeu con cupiſcere malum rei malæ, & odibili eſſe proſecutionem, atque adeo debere eſſe erga illud malum, quatenus bonum eſt aliquo modo; Reſpondetur negando appetitionem illam, ſeu deſiderium, ſeu concupiſcentiam eſſe proſecutionem; proſecutio enim eſt appetitio non vnicuique, ſed ei ſoli, qui appetit; in re autem noſtra non nobis appetimus, ſed alteri; quamobrem non dicimur proſequi, ſicut cum alteri bono volumus aliquod bonum. At cum alteri malum volumus hoc non propriè proſequi dicimur, ſed deſiderare. deſiderare autem alteri tam bonum poſſumus, quam malum.

SECTIO II.

INTER ODIVM, ET IRAM DISCRIMEN.

Hæc ex Ariſtotele multa. hic elucidatus, odium malos vt Poeta inſectatur. Mali odium ſibi trahunt. Caini verbis lux,

Odium genera etiam inſectatur. Ariſloteli fax. An inter nationes odia? & eorum cauſſæ multæ. Plutarchus excuſatur. Miſantropia aliquorum vnde. Odium inſanabile. Cicero defenſus. Annibalis odia in Romanos. Odij effecta in Atreo, in Sulla.

Rhet.l.2. Primum diſcrimen.

Explicatur Ariſloteles.

ARiſtoteles quædam aſſignat in Rhetoricis, quorum primum illud eſt. *Ira quidem eſt ex his, quæ ſunt ad ſe ipſum, inimicitia vero etiam ſine ijs, quæ ad ſe ipſum. Si enim exiſtimamus eſſe talem, odio habemus*, ſenſus eſt, quamuis nihil incommodi ab aliquo acceperimus, vnde iurè ei iraſcamur, tamen ſi talem eum eſſe exiſtimemus, qui ſoleat alijs eſſe damno, aut natura ad id propendeat, odio contra illum excitamur. Exempli gratia. Furem, ſuperbum, mendacem, ſpontè odimus, tametſi nobis nunquam nocuerit, vel ſit nociturus. Obiectum enim odij malum eſt abſolutè. atque ideo malus Tauro cornupetæ ſimilis eſſe videtur, qui fœnum in cornu gerit, à quo omnes cauere, atque abhorrere habent.

Odium fertur in malum abſolutè.

Odere Poetas.

Hor.ſer.l.1.ſat.4.

Fœnum habet in cornu, longe fuge

Verba ſunt vitioſorum, qui Poetas odio perſequuntur tanquam malos, quippe à quibus eorum vitia proſcindi poſſe putabant. Sed re vera vitioſi, & mali odio digni ſunt, & odia Poetarum in ſe ipſos excitant. Audi Satyricum illum.

Poetæ malos inſectantur.

Iuuenal.ſat.

Cum tener vxorem ducat ſpado, Mæuia Thuſcum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma,
Patritios omnes opibus cum prouocet vnus
Quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat
Cum pars niliacæ plebis, cum verna Canopi
Criſpinus, Tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ
Difficile eſt Satyram non ſcribere, nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat ſe?

Et infra.

Si natura negat, facit indignatio verſum.

Epiſt.93.

Egregiè Seneca, *Prima, & maxima peccantium eſt pæna, peccaſſe, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt*. Et hanc primam ſecunda ſtatim ſequitur, atque excipit timor, ac diffidentia. Id vero ab odijs hominum, ac Dei naſcitur, qui ſponte ſua in ſceleratos inuehuntur, quamobrem iure videtur ſuo dixiſſe Cainus, poſt quam fraterna ſe cæde, & ſanguine maculauerat, *omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*. quaſi dicat teſte Hieronimo, *ſum catharma, ſum anathema, ſum odium Dei, & hominum. non potero euadere, quin ab ali-*

Geneſ.4.

Hier.ep.125.

quo

quo occidar. nam vt ex Epicuro habet Seneca *tuta ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt,* Ep.97.

Vides ne ſacram metiente te viam
Cum bis ter vlnarum toga, Epod.od.4.
Vt ora vertat huc, & huc euntium Menas Pompeij libertus.
Liberrima indignatio?

Nimirum acerbis odijs indignabatur populus Romanus vniuerſus, cum videret Mœnam Pompeij libertum tam ſuperbè per vrbem, hominem tam flagitioſum ambulantem.

Altera odij notio eſt, *quod cum ira ſemper aduerſus ſingulos ſit, vt Calliam, Socratem; odium etiam aduerſus genera, nam furem odio habet; & Sycophantam quiſque*. Quænam ſint hæc genera declarat Philoſophus; ſcilicet fures Sycophantas Mendaces. neque enim logice ſunt hoc loco accipienda genera naturæ ſcilicet ab indiuiduis pluribus intelligendo abſtractæ, & vocatæ in vnam præciſam ab inferioribus. Sed ipſa ſingularia, ſeu collectiuè, ſeu confusè, ſeu quoquo modo conſiderata, quamquam ab homine qui rationis habet vſum etiam logica illa vniuerſalia poſſint odijs hominum ſubiacere, vt Sanctus Thomas dicit. Alterum odij diſcrimen. Explicatur Philoſophus.

Curioſitatis plena quæſtio eſt illa. An exerceri poſſint odia in genus aliquod hominum non improborum quidem vt fures ſunt, & Sycophantæ; ſed diuerſæ nationis, qui nullius nos vnquã contumeliæ genere affecerint? Arbitror poſſe, ſed ex cauſſa aliqua etiã perantiqua; vnde ira primum ſuccreuit. Inde in odium abijt, quod ceſſante cauſſa, & ipſius etiam memoria in obliuionẽ abeunte, reſtat tamen, & furorem ſuum retinet. Virgilius odiorum inter Romanos, atque Cartaginienſes cauſſam videtur aſcripſiſſe iniuriæ, quam Didoni Aeneas diſceſſu ſuo, intulit. ſic enim illa imprecatur. An odium poſſit eſſe inter nationes diuerſas. Cauſſæ horum odiorum ſæpe sũt mulieres.

Tum vos ò Tyrij ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odijs, cinerique hæc mittite noſtro Aen.4.
Munera, nullus amor populis, nec fœdera ſunto.

At hæc omnino poetica. Vera cauſſa, Siciliæ dominatus, & Imperium de qua Polybius. Eadem inter Athenienſes, & Spartanos, Philippum, & Græcos, odia perpetua protulit. Et Barbarorum erga Græcos, & horum erga illos odia ab irarum facibus excitata, has autem ab illatis acceptiſque iniurijs oſtendit Herodotus, & alij. raptas ſcilicet vltro citroque puellas, ac mulieres. quæ etiam cauſſæ inter Meſſenios, & Lacedæmones iras, & odia ſuſcitarunt; inter Siculos, & Gallos, inter Gothos & Hiſpanos; inter tribum Beniamiticam, & ceteras Hebræorum tribus, inter Romanos, & Sabinos. Et Iunonis contra Troianos odia, quæ exciſo Ilio ſe in fugientes Troianorum reliquias extendere, & ad Italiam vſque ad plurima etiam poſt tempora perſecuta, ad Paridis in Polib. l.1. Lib.1. Pauſſan. Meſſ. Faz. li. Hiſt.r. Hiſpan. Ruth. Liuius l. 1.

pomo

pomo Veneri adiudicando ſententiam refertur.

Odia nationum ſæpe ex iniurijs.

Itaq; odia populorum frequenter ex iniurijs enata videmus. Aſſe ro etiam poſſe ea naſci ex diuerſis moribus, religionibus, legibus & præcipuè ex complexione Aſtrorum, ſignorumque, quibus vna quæque vrbs, aut regio eſt ſubiecta. Contingit enim contrarij nonnumquam aſtrorum qualitatibus binas vrbes affici, atque ade naturalibus inter ſe odijs incitari ſicut & homines.

Poſſunt naſci ex naturalibus cauſſis.

Odia eſſe contra genera negat Plutarch.

Iam quod Ariſtoteles dixit odia eſſe poſſe non ſolum in ſingu los, ſed etiam ad genera extendi. Videtur Plutarchus negare. *In uidentia*, inquit, *in infinitum videtur eſſe quidpiam, ſicut Ophta mia. quæ eſt oculorum vitioſus affectus omnibus ſplendidis offenditur Odium ſemper definitur ſubiecto certo, in quod incumbit*. Sed Plu tarchus fortaſſe cum odio iram miſcuit, quandoquidem etiam ex incuria odium naſci dixit, atque ita excuſari poteſt.

Excuſatur Plutarchus.

Miſantropi cur?

Quid autem cauſſæ dicemus fuiſſe cur Timon ille Miſandropos id eſt, oſor hominum dictus, hominum genus vniuerſum tan perſequeretur odio, vt neminem ferret aſpicere? hunc imita Apemantus, & Myſo; quid? cur Hyppolitus, Orpheus fœmina omnes execrati, Sicut Amazones viros? En quid ille apud Sene cam.

Senec. Hippol.

Deteſtor omnes, horreo, fugio, execror,
Sit ratio, ſit natura, ſit durus furor.
Odiſſe placuit. Ignibus iunges aquas
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo ſinu
Heſperiæ Thetys lucidum attollet diem
Et ora damis blanda præbebunt lupi
Quam victus animum fœminæ mitem geram

Georg. 4.

En quid de Orpheo Virgilius.

Nulla Venus, nullique animum flexere Hymenæi

Et de Camilla idem,

Virg. Aen. l. 8.

Multæ illam fruſtra, Tyrrhena per oppida matres
Optauere nurum: ſola contenta Diana
Aeternum telorum, & Virginitatis amorem
Intemerata colit?

Sed in Orphei odijs, cauſſa eſt dolor de vxore amiſſa ſuſceptu & alorſum fortaſſe deflexus, ac defluxus amor. Vnde illi clade à feminis. Hippolitum Euripides excuſat, aut ipſe ſe potius apu illum dicens.

Eurip. in Hippol.

Nunquam vero odio ſatiatus deſinam odiſſe
Mulieres; neque ſi quis me hoc dicat ſemper dicere
Nam profecto, & illæ ſemper ſunt malæ
Aut nunc eas doceat aliquis caſtus eſſe
Aut me quoque ſinat in illas inuehi ſemper.

Sed

Sed Amazones in viris mali quid oderunt? credo faſtum, & dominatum eorum exoſæ, viros ſe eſſe voluerunt in bellis, in regno; mulieres in thalamo. ita non omnino odere, & odij qualiſcumque cauſſas aliquas prætexuere. Thimon ille, & ſocius Athænienſis, inexcuſabiles ſunt, niſi ſi melancholicus humor, aut inſania inſanabilis excuſet, at de his erit locus. Pergit Ariſtoteles, & iram quidem ſanabilem tempore eſſe docet, odium verò inſanabile; rectè igitur Ouidius. *Tertium odij, & iræ diſcrimen.*

Sed inexorabile durus

Exerces odium; nec iniqua finis in ira eſt. *Metam. 4.*

Et cum tempus ægritudinibus medeatur omnibus, odijs tamen medicandis non eſt ſatis; & quamquam Cicero, *Odium*, inquit, *vel precibus mitigari poteſt, vel temporibus Reip. communique vtilitati deponi, vel difficultate vlciſcendi teneri, vel vetuſtate ſedari.* In quo contraire Ariſtoteli videtur, tamen & Cicero de iracundia potius loquitur, quam de Odio; & Ariſtoteles, quod in odio frequenter, non quod ſemper conuenit, loquitur. deponuntur enim aliquando odia, & ſedantur varijs de cauſſis. Sic ad odij naturam ſpectans Oedipus apud Sophoclem ait. *Orat. poſt reditũ ad quirites.* *Cicero defenſus.* *Ariſt. explicatus*

Nullum ſenium iracundiæ præter mortem. *Oedipo Colono.*

Cuius quidem odij naturam nemo melius verbo, aut exemplo explicauit Annibale. cuius factum enarrare non grauabor. Romani legatos, & inter hos Villium miſerant ad Antiochum Regem, apud quem ſe Annibal poſt tot victorias victus à Scipione ſe receperat, veritus ne à ſuis in poteſtatem Romanorum dederetur. Hic cum Villio frequens erat, & colloquia videbatur libens miſcere. Ergo ab Antiocho Annibal non adhibitus in conſilium; *propter colloquia cum Villio ſuſpectus regi, & in nullo poſtea honore habitus, primo eam contumeliam tacitus tulit, deinde melius eſſe ratus, & percunctari cauſſam repentinæ alienationis, & purgare ſe tempore apto.* quæſita ſimpliciter iracundiæ cauſſa Annibal ab Antiocho auditaque. *Pater Amilcar*, inquit, *Antioche, paruum admodum me, cum ſacrificaret, altaribus admotum iureiurando adegit, nunquam amicum fore Pop. Rom. ſub hoc Sacramento ſex, & triginta annos militaui: hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc duce, ſi tu ſpem meam deſtitueris, vbicumque vires, vbi arma eſſe ſciam, inueniam toto orbe quærens, aliquos Romanis hoſtes. Itaque ſi quibus tuorum, meis criminibus apud te creſcere libet, aliam materiam creſcendi ex me quærant. Odi, odioque ſum Romanis. Id me verum dicere Pater Amilcar, & Dij teſtes ſunt.* *Liuius l. 35.*

Ariſtoteles alias odij, & iræ differentias affert, quas ſimul omnes aſcribo. *Et illa*, inquit, *moleſtia afficere appetit, hoc malo potius. ſentiri enim vult, qui iraſcitur; huius vero nihil intereſt. Sunt autem moleſti huiuſmodi, vt ſentiantur omnia. Et quæ maximè mala ſunt, minimè* *Alia odij iræque diſcrimina.*

ſub

ſub ſenſum cadunt. Et illa quidem cum moleſtia. qui enim iraſcitur moleſtia afficitur, qui odio habet, non afficitur. Et ille quidem ſi multa fiant miſereſcit, hic verò nullius. Ille enim talionem pati vult eum, cui iraſcitur hic non eſſe. Hæc Ariſtoteles, quorum omnium explicationem habes apud Sanctum Thomam, noſque his lucem aliquam in tractatu de ira afferemus.

1. 2. q. 46. art. 6. & 7.

In ſummâ odium res immanis eſt, & hominem immitem, immiſericordem, immanem facit. Nullo hæc alio commoſtrabo exemplo, quam Atrei, cuius in Thyeſtem fratrem tanta fuere odia, vt ei proprios filios appoſuerit deuorandos. ſed in tanta crudelitate iucundum erit ſeruum cum Thyeſte domino alloquentem audire ex Seneca,

In Thieſte.

Atreus. *Profare. dirum qua caput mactem via.*
Seruus. *Ferro peremptus ſpiritum inimicum expuat.*
Atreus. *De fine pœnæ loqueris; ego pœnam volo.*
Perimat Tyrannus? lenis in regno meo
Mors impetratur. Ser. *Nulla te pietas mouet?*
Seruus. *Excede pietas; ſi modo in noſtra domo*
Vnquam fuiſti. dira furiarum cohors
Diſcorſque Erynnis veniat, & geminas faces
Megæra quatiens. non ſatis magno meum
Ardet furore pectus. Impleri iuuat
Maiore monſtro.

Atrei in fratrem crudelitas.

Vides, quam feruent odia, etiam in fratribus? an hæc ſæuiora ſolent eſſe ceteris? opinor, & inde natum prouerbium, fraterna odia, vt arctius eſt naturæ vinculum in ſanguine fraterno, ita laxius diſſoluitur odio, cum cæpit enodari. Non ſatis Atreo mors eſt Thyeſtis, vltra mortem aliquid deſtinat, ſcilicet, vt nouo more moriatur, antequam mors adueniat. in hoc ſuum conſilium furias omnes aduocat. quaſi non abundè ſibi ſatis Atreus; cui ſeruus.

Quid noui, inquit, *rabidus ſtruis?*
Atreus. *Nil quod doloris capiat aſſueti modum.*
Nullum relinquam facinus, & nullum eſt ſatis.

Sylla crudelitas.

Omnia ſibi leuia videntur; vt illi, qui cum ſex ciuium millia Romanorum occidi vno die iuſſiſſet, & Senatores aduocati ad ædem Bellanæ in Capitolium ex clamoribus eorum hominum, & gemitibus horrerent, ille, inquam, Sylla, veluti ſi vnus quis de ſceleratiſſimis, aut alter neci dederetur. *Hoc agamus*, inquit, *P. C. ſeditioſi pauculi meo iuſſu occiduntur.* Pauci videlicet Sullæ videbantur, qui crudelitate, & odio in Romanum populum flagrabat incredibili. Vt Syllæ ſena millia pauculi videbantur. Ita Atreo omnia pœnarum genera leuia, aut nulla. cui Seruus. *ferrum?*
Atreus. *Parum eſt.* Ser. *Quid? ignis?* Atr. *etiam num parum eſt.*

Seruus

Seruus. *Quo nam ergo telo tantus vtetur dolor.*
Atreus. *Ipſo Thyeſte.* Ser. *Maius eſt ira malum.*
Atreus. *Fateor.*

Neuter verum diceret, niſi odium inſanabile, & inſatiabile eſſet. de quo nihil amplius addo. ad hanc ſectionem altera in ſimili argumento deſudabit.

SECTIO III.
DE ODIO FRATERNO.

Exempla eius multa, & cauſſæ. Imprecatio parentum metuenda. Imprecatio Oedypi in filios. Caini, & Abelis odiorum origo. Philo, & Euſebius non nihil reprehenſi. Eſau, & Iacob odia. fraterni odij naturalis aſſignatur cauſſa etiam in gemellis.

IRarum, inimicitiarum, odiorum fratres inter germanos iiſdem exortos parentibus originem non vnam eſſe, ſed plurimam in confeſſo eſt. cui autem cauſſæ tribuetur ira Remuli ſeſe fratris ſui ſanguine commaculantis? & Romana mœnia fraterno pœnè cruore coagmentantis? niſi ſuperbiæ, aut ambitioni? ne ſcilicet in vrbe nouella alius imperaret ſe præter? olim ſe mutuo confouebant reptantes inter ſaxa, & herbas. olim ex eadem Martiæ lupæ mamma lac exugebant ſubrumi. Olim in ſinu Accæ Laurentiæ colludebant, & maiuſculi gregem vnanimiter in paſcua ducere, & alter alteri columen eſſe. Imperij cupido æqualitatem, & amorem, & naturam abſtulit. *Fraterno primum maduerunt ſanguine muri.* Ioſephum odijs fraternis obiecit, an patris amor in illum magis, quam alios propendens. An ipſe zelo virtutis ardentior cum fraterna crimina apud genitorem palam coarguiſſet? aut ſua cum ſomnia fortaſſe imprudenter euulgaſſet? *Fraternorum odiorum cauſſa varia.* *Romuli, & Remi ambitio.* *Liuius l. 1.* *Gen. cap. In Ioſephum odia fraterna, & eorū cauſſa.*

An hereditatis olim herciſcundæ difficultates, iras aduocant, & Thieſti, atque Atreo, Polynici, atque Etheocli præbent infandorum ſcelerum occaſiones; & optimorum exitia regnorum, & Poetis argumenta tragædiarum? fateor quidem de fraternis pectoribus ad effugandam beneuolentiam ab ipſa natura inſitam, nihil perinde valere atque auaritiam, quæ omnis ſolet humanitatis ſenſum ab homine extorquere. Sed habeo cauſſas, vt reor, altiores, occultioreſque, & fumus de buſtis Thebanorum fratrum exiliens, atque in diuerſa abiens, vetuſtiora odia, occultioreſque odiorum fontes indicant. *Odia fratrum dirum cauſſa.* *Odiorum Polynicis, & Etheoclis origo alta.*

Primos, vt contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & nouus aduena buſto

Pellitur, exundans diuerſo vertice flamma.

Quæritur bonorũ odiorum origo.

Neque enim inpotentiſſima quamuis regnandi libido ſit, ita penetrarat in intima fratrum, vt cineribus etiam inardentium buſtorum immiſceretur. An forte quia vterque Oedipo genitori ad menſam puelli cum miniſtrarent, & aui pocula in miniſterium apponerent, diris ab Oedipo excandeſcente, & inferis deuoti sũt? quod à Poeta, qui circularem Thebaida ſcripſit carmine ſcriptum extat.

Ceterum, vt ille animaduertit, admotam ſui patris
Pretioſam ſupellectilem, magno dolore perculſus animus eſt
Confeſtimque liberis ſuis duobus eſt diras
Calamitoſas imprecatus quod furias deas non latuit
Patriam hæreditatem beneuolè herciſcere non liceret
Sed perpetuis bellis prælijſque diſſiderent.

Maledictio patris magnam vim habet, ſic & benedictio.

Magnam profecto in vtramque partem vim habet parentum in liberos precatio, aut imprecatio. neque immeritò tam vehementer illa ab his expetebatur, aut ab hac abhorrabatur. locupletia apud ſacras litteras nobis hac de re teſtimonia ſuggeruntur. Sapiens, *firmat*, inquit, *domos filiorum benedictio patris maledictio, autem matris eradicat fundamenta*. Quod non fruſtratorium euentum, eo præſertim tempore ſortiuntur, cum ſub extremas viuendi horas deuentum eſt. Eo enim momento paternus animus tanquam auctoritate ſua inductus, officium patris in filios iure exercet ſuo. Itaque ſententiarum ſuarum aſſertorem habere ſolet, patrem, ac parentem omnium Deum; qui rata præſtat ea, quæ genitores benè, vel malè filijs præcando contulerint. Quid? quod vel aliorum inter extrema rationabiliter alijs talia exorantium preces, aut diræ, irritæ nequaquam fuere? Nota illa Didonis in Aeneam imprecatio quæ à prudentiſſimo Poeta idcirco inducta fuiſſe videtur, vt appareat quam fugienda omnibus fraus, atque iniuſtitia ſit, quando hi qui læduntur, eo ſe adactos ſentiunt vt omni humano deſtituti præſidio, ad ſinum Adraſtiæ, & Nemeſis confugere habeant neceſſe.

Prou.

Præſertim extremo vitæ.

Didonis imprecatio.

Non ſemper imprecatio vim habet.

Veruntamen fraternarum cauſſas diſcordiarum non vſquequaque paternalis imprecatio conſciſcit. Eſt interdum vt animos filiorum genitores indignabundi aduocatis ſeiungere nitantur a ſe inuicem diris: & æternis addictos diſſenſionibus perſequantur, vt etiam à morte in ipſa cadauera, atque in cineres deſæuiant, neque tamen id eueniat; ſed omnis illa furentium patrum temulentia in irritum cadat.

Caini, & Abelis odiorum cauſſa.

Sed quod Abelem Cainus maior minorem ad necem vſque inſectatus fuerit, non vna, ac prima fuit origo munerum, ſacrificiorumque diuerſa in coſpectu diuino acceptatio, aut impar eorum oblatio; aut diſpar offerentium animus; alia longe prior ef-

fer-

ſerbuerat in pueris animorum diſſenſio, quæ concentum morum, concordiamque ſuſtulerat, & abegerat vnumquemque in diuerſa, aut etiam contraria vitæ munera. vt Caino tellus placeret, Abelo montes, ille in oleribus, hic in ouibus totus incumberet, ille à ſuis manibus, cultum agri, fructumque, & omnia à ſe expectaret, iſte opem in ſe ipſo nullam poneret, omnia à cælo.

Eſau odiorum in Iacob cauſſa.

Id ipſum contigiſſe in Eſau reor, & Iacobo fratribus, quarum inimicitiarum effecta, non origines fuere Primogenituræ venditio, benedictionis paternæ præreptio, ad quam ſibi à fratre fraudulenter ſubreptam irrugijt Eſau, non tam quidem propter dolorem amiſſæ benedictionis, vt bene habet Philo, & Euſebius, quãquam, & id animo inhæſit altius: neque tam inuidia fraterni incrementi, vt malè ijdem exiſtimant: quam ex ingenita animi ab animo diſſidentis exacerbatione, qui oblata occaſione, quaſi aura vehementi perflatus exarſit, & in rugitum exijt. In ipſo matris vtero exortæ referuntur inuidiæ, in quo tanquam in occulto gymnaſio colluctabantur infantuli, & ad futuras contentiones immaturi progymnaſtæ paedotribicæ vacabant.

Geneſ.

Philo.
Euſeb.

Quid vero hoc eſſe poterit tam ingenitum, ac penitus inſitum ſemen furoris in gemellis fratribus vno non ſolum vtero, ſed partu effuſis, quin verò vno pœnè momento, atque concubitu parentum infuſis?

Mores Eſau, & Iacob diuerſi.

Miror te in re hac hærentem, cuius rei indicia manifeſta præbentur in ipſis infantium corpuſculis. Iacob leuis, & glaber corpore, lenis ingenio, mitis moribus, matrem amans, patrem timens. Eſau aſper, horriduſque pilis, vnde illi Eſau, hoc eſt piloſo nomen, venationis ſtudioſus, moribus, ingenioque turbidus, matris irreuerens, patris reuerens, audax, animoſus, confidentiſſimus.

Cauſſa odiorum fraternorum radicalis.

Ego ſi noſtrum in hac controuerſia iudicium quidpiam valeat, eius ſum ſententiæ, vt odia fraterna, quæ in ipſis pœne matrum ſolent viſceribus emicare, quibuſque ſtatim exorti infantuli, agitari mutuo ſiue dum ad pectus matris applicati mammas exugunt, ſiuè inter ludendum edendumque, ſeu quacumque demum leuiuſcula ex cauſſa præſentiuntur; inde exoriantur, quod in permiſtione ſanguinis, & ſeminum quæ ad corporeum temperamentum, compactionemque membrorum, & ad qualitatum coniunctionem, earumdemque remiſſionem, aut intentionem concurrere magnam partem habent. diuerſa nonnunquam aut inter ſe contraria, aduerſariaque ſint in diuerſis fratribus, quemadmodum in hominibus diuerſis.

Temperamentum diuerſum.

Nonſolum in diuerſo tempore nati.

Neque id vero ſolum cum ſuo quiſque tempore concipitur, ac naſcitur, quando ſcilicet.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

 Facil-

Facillimum enim eſt intra id tempus plures emergere cauſſas
quarum vi parentes ita permutentur, vt fœtus indole, ingenio,a
que habitudine etiam corporum diuerſos educant, quod vt dix
Aſtrorum diuerſus concurſus.
non adeo difficile exiſtimatur, intercedunt enim varij aſtroru
continuo ſeſe circumagentium inter ſe aſpectus, oppoſituſque
ſubingrediuntur aeris, ſoli, ciborumque mutationes, morborun
afficientium impreſſiones, animorum perturbationes variæ, qu
omnia per illud nouem ad minus menſium ſpacium in genitorun
corporibus operari pro ſua vi, atque efficientia ſolent.

Etiam in gemellis.

Diuerſitas temperamentis magna in his.

Quid autem in gemellis vno temporis interuallo innatis,& ena
tis? & in his ijſdem mirum quanta, in varietate ſanguinum, ſe
minumq; pollentia.Cum enim in primo ad primum gemellum e
formandum ſanguine, ſemineque neceſſario, ſequatur in vtroqu
parente, magna qualitatum, vehemenſque commotio, & par
animæ vegetantis, cuius illa propria operatio eſt, mirum in mo
dum exagitetur, ferueſcat, ac perturbetur; enim vero admiratio
nulla exoriri debet, ſi diuerſus ingenio moribus affectuque con
trario poſterior conſequatur gemellus, ad cuius efformationem
ipſi parentes, & ſemina ab his emiſſa,& ſanguis ad materiam cor
poream confluens, & omnia organa atque inſtrumenta tam di
uerſimode permutata reperiantur. Atque hæc eſt originalis vt cre
do odij fraternalis. de quo loquimur cauſſa, nam quas Philoſo-
Ariſt. 7. Polit.
phus irarum fraternarum cauſſas videtur afferre, ſtimuli ſunt ira
rum potius, latentium, aut feriantium, quam fontes, & cauſſæ.

SECTIO IV.

AN QVISPIAM ODIO GENVS OMNE HVMORVM INSECTARI QVEAT.

Odij huius cauſſa an morbi, aut mors? hinc miſericordia potius huius diffinitio ex Seneca. reijcitur. ex Lipſio. refellitur Miſericordia non ſemper virtus. Alia naturalis, & facilis etiam in hoſtibus. Alia virtus, & quæ? Ageſilai dictum tertia definitio explicatur. ea triſtitiam; & hilaritatem pa rit. non ſemper. eſt amoris filia. An in humano genere cauſſa odij ſit ſcelus. negatur. eius cauſſa inſania videtur Qaeſtionis huius ſolutio. quidam non homines ſed ſe oderunt hi præclari. Eremicolæ. Miſantropi quidam ex timiditate naturæ. Garamantes, Seres, Gamphaſantes timidi, alij ex in ſania, alij ex amore ſapientiæ. Zoroaſtris vita. Athenien ſes taxantur.

Quæ-

QVæſtio ſe ſe nobis agitandam offert, non omnino incurioſa, nec inutilis. Nam quis ita male affectus eſſe animo queat, vt omne hominum genus odio perſequatur, illudque ita deteſtetur tanquam malum ſibi non in vniuerſum ſolum, & cunctis ſimul hominibus acceptis, ſed ita demum ab humana ſocietate abhorreat, vt in ſingulos homines odij huius acerbitudo decurrat?

Et ſanè populos populis regna regnis, vrbes vrbibus implacabili odio inuectas olim, & etiamnum inuehi, atque bella omnino ex hac peracerba; & prima ſectione docuimus, & innumerabiles nos rerum priſcarum hiſtoriæ docent. Nunc inueſtigandum id eſt diligentius,

Odia populorũ.

Quid autem mali, ac deteſtabilis cuiquam in hominibus vniuerſis apparere, atque adeo deforme poſſit vt odio putetur excipiendum? ineſſe autem re ipſe quis concedat? An verò morbi, & ægritudines, & mors ipſa, cui omne, quod ſpirat ſubiectum eſſe natura voluit? Hæc verò mala miſericordiam in homine, non inuidiam, aut odium incitare debuerunt. Eſt enim miſericordia, vt ait Seneca *ægritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem*, quam quidem definitionem è Stoicorum ſchola eductam, ſi quis recipiat, eundem fateri oportebit miſericordiam virtutem nequaquam eſſe, ſed inter miſerias, aerumnaſque, aut inter vitia enumerandam. Quid enim Stoicis eſt ægritudo, niſi aut vitium, aut vitij origo? Rectius à Lipſio, & acutius factum, qui pro ægritudine inclinationem repoſuit, aiens miſericordiam inclinationem animi eſſe ad alienam inopiam, aut luctum ſubleuandum. Sed quamquam eo vocabulo ſcopulum, in quem Stoici ſeſe impellunt verbo tenus effugerit, re vera tamen haud excluſum ab eo eſt miſericordiam in vitijs eſſe. Quod ſi vitioſa eſt, miſericordiæ nomen ei nullatenus concedendum. Sunt qui eam virtutem appellant, quibus aſſentirer, ſi non duplex eſſet miſericordia, quædam cuius exprimendæ vis, atque facultas homini à natura inſita in animo eſt, quamque ſine vlla difficultate, imo cum propenſione maxima elicit quicumque vel omnis diſciplinæ, ac philoſophiæ rudis, dum ſuos, vel parentes, vel cognatos, vel amicos in miſeria verſantes conſpicit, cui autem, vel puero mater ingemiſcens non excutiat ex oculis lacrimas pietatis? notum illud. Matercum infantulo ſiſtitur tanquam Chriſtiana coram Tyranno, conſtans in quæſtione ad ignes damnatur, & conijcitur. Interim infanti præfectus adblanditur, vt genitricis oblitus apud ſe conquieſcat. Reluctatur ille, reſpuit, oculos ab eo ad matrem conuertit, illam niſu, inclinatione, gemitu conſequitur; quid plura, indignatus præſes deiectum è manibus deuoluit per gradus tribunalis, ille niſu quo poterat perrepit ad ſemiuſtulatam matrẽ,

An odij in homines morbi ſint cauſſa? vel mors.

Hæc miſericordiam cient.

Miſericordiæ definitio ex Seneca.

Reijcitur.

Lipſius mutat definitionem, & rectius.

Refellitur Lipſij definitio.

Miſericordia. Non ſemper virtus.

Miſericordia naturalis.

& cum ea martyrium ſuum infans glorioſè præſtat. fateor, De ſunt opera. Sed Deus naturæ officia non prohibet, neque hæc in

Miſericordia in hoſtibus.

puellulis omnia eius nutibus officiunt. Mitto magnas ſæpè miſe rias, vel hoſtibus ab ipſis miſericordiam promereri, quod à poeta dictum,

Quæque ipſe miſerrima vidi
Et quorum pars magna fui. quis talia fando.
Mirmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vlyßei
Temperet à lacrimis?

Aen. 2.

Nimirum homines erant, & humano in pectore quantumuis in humano, atque hoſtili nullus vnquam euentus tam aſper, atque efferus eſſet poteſt, vt omni humanite hominem deſpoliet, niſi ſi odium ſit inſaturabile, atque inauditum, quod in homines vni

Miſericordia quę virtus.

uerſos vix extendi poſſe videtur. Atque hoc genus miſericordia virtutis nomen non dum mereri dicitur, niſi in honeſtate, & ſer uatis omnibus, quæ honeſtas expoſcit adiacentibus. Ageſilaus Rex cum exercitu in caſtris erat, amicus eius perfamiliaris ex morbo ibidem decubuit. Aſſidebat Rex ægrotanti. *amicus enim certus in re certa cernitur* cum repente ſignum canendum fuit, & caſtra mouenda, amicus deſertum ſe conſpicatus in lacrimas, & eiulatus abit. tum Ageſilaus miſerationis ingenti perculſus vi, & ad amicum conuerſus, *quam arduum*, inquit, *eſt ſimul miſereri, & ſapere.* vicit in Ageſilao prudentia miſericordiam, ſeu exornata, atque expolita eſt miſericordia per prudentiam. quam niſ expoliſſet videretur quidem augmentum ſumpſiſſe maius, & erga amicum tanta fuiſſe, quæ excluderet regis, & Reipublicæ debitum, ſed in vitio fuiſſet tanto deteſtabiliore, quanto indignior in Rege Regni proditio.

Ennius.

Ageſilai exemplum miſericordia.

Lipſiana miſericordiæ definitio examinatur.

Igitur vt ad rem redeamus, quod miſericordia inclinatio dicatur meo animo tam ei competit, quæ natura ſola elicitur quam ei, quã natura quidem profert, ſed adiuta diſpoſitione, aut inclinatione quadam, quæ non natura inſita homini intima, ſed acquiſita, & naturæ inhærens ipſam bene afficiens intelligitur. Quod Lipſius addit miſericordiam eſſe ad alienam inopiam, au luctum ſubleuandum. Nimis anguſtos ei fines attribuit, quid enim non miſereri quis poterit, niſi inopiam, aut luctum ſubleuet, an non aliud genus miſeriarum inter homines vagatur?

Inclinatio miſerendi pr. pter malum miſericordia non eſt.

Non abſurdum videbitur ſi in ea miſericordiæ actione quæ vitio, aut peccato iuncta eſt, dicatur inclinatio eius hominis non verè erga miſeriam ſubleuandam ferri, tenquam in ſuum finem propoſitum, ſed cum aliorſum tranſuerſim à ratione feratur, nihilominus actione miſericordiæ vtatur tanquam adiumento ad id conſequendum in quod fertur; quo euentu inclinatio non eſt miſericordiæ, ſed adulterij, v. g. ſed homicidij, aut ſceleris alterius

Tam

Iam hæc miſerationis propenſio, num nonniſi ad ſubleuandum miſeriã naſcitur? quam autem ſubleuationem ab Græcis Troiani expectaſſent, quos tamen viderent ad narrationem Troiani excidij miſerationis vi perculſos à fletu ſibi temparare non poſſe? *Miſericordia non ſemper eſt ad ſubleuandum.*

Ergo latius eſt argumentum miſerendi, quam inopia, & luctus, niſi his duobus capitibus ſubijcienda miſeriarum omnia cetera membra Lipſius exiſtimet; quod exiſtimaſſe eum quæ viri eſt ſciẽtia, puto. *Latior eſt.*

Vulgo miſericordia virtus eſſe dicitur, qua mouetur homo ad compatiendum miſeriæ proximi, quæ mihi definitio arridet, ſi pro virtute inclinationem ſubſtituamus, latius virtute patentem. vt ſuperius dictum eſt. *Tertia miſericordia definitio. Explicatur.*

Quod autem actioni animi, quæ miſeratio appellatur, quidam negent triſtitiam cordis immiſceri velintque eſſe benignitatem, & clementiam ex amore exortam, id vero in humana miſeratione minimè ijs dandum puto. Nam ipſum miſericordiæ nomẽ refragari ei opinioni videtur, quæ à miſeria cordis compatientis ethimon habet, ex Gregorio. & Sanctus Auguſtinus compaſſionem in miſericordiæ definitione ponit, compaſſio autem ſine triſtitia aliqua vix eſſe poteſt. *Miſericordia triſtitiam dicit.*

At miſericordia hilariter adhibere præcipimur. quid tum? an filius parenti ægroto condolens, nòn cum hilaritate famulatur, adſtat, medicamenta, ciboſque adminiſtrat. malum aliquod eſt homini, ſuper quo concitatur in nobis miſericordia, ei malo ſi quam citiſſimè facillimèque occurrere, illudque ab amico arcere, ac defendere valemus, leuis dolor eſt, aut certe nullus: ſed in auxilium præſens erumpimus ſtatim, aut ad melius bonum deſinimus cum hilaritate: ſic Dei miſericordia eſt omni triſtitiæ, aut dolori ſuper eminens, quemadmodum, & omni miſeriæ hominum ærumnæque poteſtas excellit. Quod ſi difficultas inerit in eo morbo, aut malo depellendo, tunc miſericordiæ confundetur dolor, tanto magis, quanto pertinacia in malo, morboue peruicacior, quo cum dolore ſemper ineſt hilaritas quædam, ac liberalitas in medendo, ac ſubueniendo. Miſericordia enim amoris proles eſt, & cum Dominus Ieſus ad Lazari interitum lacrimas cieret ex oculis, rectè aſtantes ex eo in eam abire ſententiam, vt dicerent. *Ecce quomodo amabat eum.* *Etiam hilaritatem.* *Quando ſine triſtitia.* *Miſericordia amoris filia.* *Ioan. c.*

Iam excogitarine quidquam ſceleris in humano genere poteſt, à quo quis tam vehementer abhorreat, vt omnes oderit? An illud erit, quod primi hominum parentes in ſe ſuſceptum in conſequturam omnem ſobolem profudere? at hoc etiam ipſi oſori non minus inhæret, quam ceteris. Ipſum ſe ergo fugiat, horreatque primum Miſantropos. *An in humano genere ſcelus aliquod vnde odio habeatur.* *An originale minimè.*

An vero ſceleris genus aliquod tam generale eſt, in quod tanquam *An aliud? neque.*

quam

quam in ſaxum vniuerſitas hominum impingit, quo incurſu it turpiter, ac fœdè diſcerpantur omnes, vt neque amore, nequ miſeratione complectendi videantur.

Sed incurritur in eundem ſcopulum. An ſcilicet ab hac hui ſceleris fœditate is vnus immunis, atque expers euaſit, vt omn iure merito alios tanquam contaminatos ipſe intaminatus, ac pu cher refugiat.

Odiſſe genus humanum, inſania.

An vero inſania tandem eſt, ſi quis in homines odium foui legatur? Quamobrem vero non inſaniat, qui ſui ſimiles deteſt tur? nam vt Cuculus cuculum amat, & pares cum paribus faci limè conſociantur: niſi forte quis ab æquali, & pari quidpiam ſe damni venturum ſperet; ſic enim figulus figulum odit. Sed vniuerſis hominibus damnum ab vno timeri dementiæ genus eſ Inſanire ergo dicendus quicumque in omne hominum gen exercere odia poteſt. At Myſenem Strimonis filium, cum in ſol tudine ab omni conſortio, ac frequentia ſeiunctus moraretur, ſolo quod homines odiſſet, Pythia ſapientiorem Anacharſide, Chilone præſtantiſſimis Philoſophis; imo ſapientiſſimum on nium pronunciauit.

Myſenes oſor hominum ſapiens reputatus.

Vniuerſæ quæſtionis ſolutio.

Itaque ſi quid hac in controuerſia de noſtro ſit ingenio pr mendum illud eſt. Multos fuiſſe, qui diuerſas ob cauſſas genus on ne hominum odio habuiſſe viderentur, horum in numero cenſ ri poterunt, Paulus Eremicolarum Princeps, Honufrius, Pamb Paphnutius, Anachoretæ plurimi. Sed hi non magis alios, qua ſe fugiendo deuitabant, & à ſe quidem cum euadere ſuſcepta ne voluntaria nefas eſſe conſcirent, vellentque vel ſuſcepta ab ſe cr mina pœnitendo delere, vel multis virtutum actionibus Dei fil beneuolentiam commercari, ac deuincire in vaſta ſe ſolitudinu occultiſſimarum cubicula recepere ab omni humanitatis ſociet te ſecreti, quo Dei, diuinorumque contemplationi vacarent, & ſe omnem mali, quod adhæreſcere ex conſortio poſſet, auram afflatumque auerterent, ita non hominum odio id præſtabant, pr quibus continentes ad ſuperos preces effundebant, ſed occaſi num peccandi, quæ inter ſocietates frequentiſſimè ſuboriri ſol rent, pertæſi, & imbecillitatis humanæ naturæ conſcij, quæ recto facillimè deerraret, & in deuia procliuior, perniciiſſim abiret: maluerunt, naturæ humanæ hoſtes exiſtimari magis, q cum hominum auctore, ac rectore Deo inimicitias, hoſtilitate que ſubire, & rumores opinioneſque aliorum præ ſe inſuper h bere. Sed ab his cum veneratione ſecedamus:

Cauſſæ fugiendi conſortij in Eremicolis.

Non odium hominum, ſed ſui, & Amor Dei.

Aliorum hominum alia cauſſa.

Sunt qui timiditate animi, aut neſcio quo pudore impellente abſtinent ab omni cœtu, ſocietateque humana. Homines men anguſtiſſima ingenio ſuſpicioſi, proni ad mœſtitudinem. hi natu ram ſuam in remotis locis agere, ac vitam traducere vehemente

Timiditas.

incli-

inclinantem, vbi aſſuetudiue ſolitudinis, & amicorum, neceſſariorumque fuga paulatim confirmarunt; eo delati ſunt, vt ab omnibus ſibi cauendum putarent, non malum, quod in alijs eſſet euitantes, ſed incommoda quæ ſibi ex ſe per occaſionem aliorum creari queant. Quemadmodum beſtiolæ, quos natura timidiores procreauit, non homines ſolum, & feras, à quibus ſibi quam maximè abeundum norunt, ſed ad arundinum ſeſe collidentium leuem ſtrepitum, ad ramorum foliorumque agitationem quamcumcumque, ilico in foueas, ac diuerſicula ſubrepunt, nec ſecius, quã ab hoſte fugam capeſſunt. *Apta ſimilitudo.*

Non abſimiles his Garamantas Africæ populos exiſtimarem, quicum omni armorum, telorumque genere ſint expertes, & natura timidiſſimi neque ſe tueri in congreſſionibus, aut poſſint, aut audeant; Hi primum cum à vicinis ſe abſtinerent, tum in timiditatem deuenere quamdam, vt omnes pariter pro inimicis haberent; Eiuſdem moris fuiſſe puto Seres in India, & Gamphaſantes in Lybia, qui externorum communicationem imo aſpectum collocutionemque deuitabant. *Garamantes timidi.* *Alij populi timidi.*

Quid de Timone Attico, quid de Apemanto eius ciue quid de Myſone? nam hos neque Philoſophiæ amor in abdita ſeduxit loca, quemadmodum Epimenidem, neque ſiderum contemplandorum ſtudium in edita, quemadmodum Zoroaſtrem neque mortis cupido, aut vitæ tædium in concaua ſubmiſit, quemadmodum Porphyrium. Zoroaſtrem vt ferunt per annos viginti integros ab hominibus ſideralis amor ſcientiæ ſegregauit, & in altiſſima turri caſeo ſolo contentum incluſit. ad quam & ſcientiam, & ſolitudinem natura etiam ipſa ſi non compulit, certè deduxit. Nam nunquam in hac vita riſiſſe, niſi ſemel natus, dicitur. Epimenides relictis, quas cuſtodiebat ouibus paternis in antrum ſe philoſophaturus abdidit ad annos quinque ſuper ſeptuagenos. Vnde orta fabella ipſum tandiu obdormiuiſſe. *Plin. l. 11 c. 42. Apul. l. 2. flor.*

Porphyrium tam acre inuaſit frequentiæ tædium, vt Romam, amiciſque relictis lilybæum petierit, ibi in antro quodam omnino vitam abiecturus. Timonem, & Apemanũ aliquis humor inteſtinus in inſaniam hanc euocauit. Quotus enim quiſque Athenis non ſua inſaniæ febricula laborauit eo tempore? neque populus, neque plebs, neque nobilitas, neque Philoſophus vllus vnquam fuit Athenis pauciſſimis exceptis, quem non inſaniæ quidpiam in ratione viuendi diuexaret. omnes Hellebori, & Anticiræ egebant. longum erit ire per ſingula. Myſonis Myſantropia ex ſapientiæ ſtudio partim, tum ex naturali timiditate, & generis humilitate orta videtur, qui tamen accedentes ad ſe vt allocutione, ac doctrina beneuolè acceptos, dimittebat. de Athænienſibus illud lepidum aneſcio quo. Eos tibijs eſſe ſimiles quibus ſi linguam abſ- *Porphyr. vita.*

Diog. Laert in vitis Philoſoph. Nazian. in orat. de S. Baſilio.

tuleris eas nulli vſui eſſe, eius ciuitatis mores facile cognoſces e
Diogene, Laertio, & Nazianzeno alijſque.

SECTIO V.

METVS, ET ODIA POPVLORVM QVADANTENVS PRINCIPI FVGIENDA.

Diſputandi occaſionem aperuit illud apud doctos viros vulgare
Oderint dum metuant.

De quo pauca prius, tum de argumento ſuſcepto. Huius dic-
ti ætas. ex Seneca, & Cicerone, auctor Attius Poeta. In-
ſectator Seneca, & Cicero. Cur in tragædia Thyeſte à Sen-
ca pæne allatum, nec tamen prolatum. Dicta Neroni vſur-
pata. Tiberij vafra prudentia, metus, & odia Tyrannica
ſunt, periculoſa Principi. Virgilij explicatio, populares ira
Odij effectus. Tyrannis infirma, eius mores. Tyranni ſecu-
ritas nulla. niſi in beneuolentia exercẽda ergo Tyrannis. Me-
tus duplex. vnus cum odio malus, & in Principem. al
ſine odio bonus, & pro Principe.

VVlgo frequens, & famoſum Principantium dictum, ſeu v
ab illis prodiens. *oderint dum metuant*, cuius ſenſus ill
eſt. Tam neceſſarius in populis erga Principem metus eſ
vt odij eorundem in ipſum ei, qui dominatur, pretio emendus e
ſe videatur. Itaque in ipſo hoc dicto, ſeu Adagio quædam od

Dicti huius antiquitas.

deteſtatio continetur. fortaſſe peior metu ipſo. nam mali cor
malum ouum. Dicti antiquitas non multi æui eſt. Sullana non

Non multo ex Seneca l. 1. de ira.

antegreditur tempora, ex Senecæ opinione. & à Poeta aliquo i
ſuam inductum tragediam: Cicero recitari vnam à ſe auditan
ait, in qua id ab Atreo elatum magno cum plauſu exceptum a
expectatoribus eſſet. Ex horum duorum Auctorum ductu odor

Cic. l. 1. off. Lipſ. in Senec. l. 1. de ira.

tur Lipſius, primum ab L. Attio Poeta in Tragedia, quam hic
præter alias, elaboraſſe fertur, Atreus dicta, prolatum, atque in

L. Attius Poeta Auctor.

ſertum fuiſſe. Ab L. Attio autem conſcriptam fuiſſe hanc Tr
gediam teſtis eſt Gellius. Quod ſi vera eſt Lylij Giraldi coniectu

Girald. de pretio in L. Attio.

ra duplicem fuiſſe L. Attium non multum ætate diſcrepanter
vtrumque Poetam, tragicum, in ambiguo erit vtrius nam Atre
fuerit, de cuius ore dictum id prodierit.

Huius dicti acer inſectator Seneca. Lib. 1. & 2. de Clem. & l. 1. de ira. Et Cicero.

Iam mirabile eſt, quantis hanc ſententiam odijs inſectetur Se
neca. Nunc deteſtabilem vocem, nunc verſum execrabilem, q
multos dedit præcipites. dictum ab homine inhumano, & crud
li, ac Sullani æui digno, irarumque pleno effuſum. Cicero neg
decorum à Poeta ſeruandum fuiſſe ſi in ore poſuiſſet iuſti Reg
ali-

alicuius, quales fuiſſe Aeacum, aut Minoem dicunt. in Atreo, qui ſcilicet ſanguinarius, & crudelis, bene ſediſſe.

Seneca in tragedia, cui nomen Thyeſtes, inducit iratum Atreum, & vltionis in fratrem Thyeſta perauidum, & verbis ſuis in hoc dictum euntem, ſed abſtinuit, neque in Atrei ſermonem inſerere voluit, propter eam, quam paulo poſt attingam rationem, nunc Senecæ carmen afferamus. in quo ſeruus Atreum impia cogitantem, conatur abſterrere. *Thyeſt.*

Seruus. *Fama te populi nihil* *Senec.Thyeſte.*
Aduerſa terret? Atreus. *maximum hoc regni bonum eſt.*
Quod facta domini, cogitur populus ſui
Quam ferre, tam laudare. Seruus. *Quos cogit metus*
Laudare, eoſdem reddit inimicos metus.
Atqui fauoris gloriam veri petit
Animo magis: quam voce laudari volet.
Atreus. *Laus vera, & humili ſæpè contingit viro*
Non niſi potenti falſa, quod nolunt, velint.

An non huc ſeſe ſuo pondere inijciebat crudele dictum illud *Oderint dum metuant?* Sed prudens Seneca deflexit, & ſeruum interrumpentem ſtatim facit, ne in illud prorumpat Atreus.

Seruus. *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet*
Atreus. *Vbicunque tantum honeſta dominanti licent.*
Precario regnatur. Ser. *Vbi non eſt pudor*
Nec cura iuris; ſanctitas; pietas, fides
Inſtabile regnum eſt. Atr. *Sanctitas, pietas, fides*
Priuata bona ſunt, qua iuuat reges eant.
Seruus. *Nefas nocere vel malo fratri puta.*

En vt iterum Atreum in procinctu ſtatuit, vt reſpondeat ſeruo, *Oderint, dum metuant.* Iterumque verba pœnè prodeuntia præripit ab ore per memoriam fratris à ſeruo obiectam *Nefas nocere, vel malo fratri puta.* Cur hoc Seneca? nempe vt inuidiam Neronis euitaret; excitauiſſet enim populum quam maximè, & plauſu, quem feciſſet ad hæc verba Imperatorem irritaſſet vehementiſſimè; nam frequens in ore Neronis dictum idem fuiſſe eo tempore narrat Suetonius, quin & illud ex græco. *Cur ab hoc dicto abſtinuerit Seneca.*

Me terra mortuo miſceatur ignibus.

Quem verſum Homeri cum quidam familiariter coram Nerone pronunciaſſet adieciſſe hic immaniter fertur. *Sueton. in Caligula.*

Me quidem viuo.

Iam tantine metus imperantibus eſt, vt ſui odio illum quærant? Senecæ iudicium, ne metum quidem imperanti vtilem. *Oderint dum metuant. Neſcio, inquit, vtrum ſibi peius optauerit, vt odio eſſet, an vt timori. Oderint, vt timeant. Sic nec amari quidem vellem. Ergo tantundem Regi eſt odio, ac metu haberi. hoc enim æque perniciosum, at-* *An metui Imperatores deceat.* *Negat Seneca.*

Tiberij dictum apparenter pruclis, ſed ſimulatum. Tacit. ann. 6.

que execrabile, & vel ipſa morte redimendum. Vin Neronis Tiberij ſē- ſum? cum neſcio quis in obſequium an adulationem? Principis dixiſſet, deligendos eſſe ſenatores quoſdam, qui armati ingredientem in curiam comitarentur. reſpondiſſe per litteras fertur. *Non ſibi vitam tanti, ſi armis tegenda foret*. At enim vero Tiberius non hæc dixit, quia amari ſe vellet, aut gauderet, qui dictis, & factis, ac ſceleribus ſuis turpiſſimis odia, ac metus in ſe exacerbabat omnium maximos, & ſenatorum præcipuè. de quo Dio *non ita fatuus Tiberius*, inquit, *vt hoſtibus ſuis ſe protegendum daret*. Seneca de metu ſic habet. *Magnum inter Regem, Tyrannumque diſcrimen eſt. vterque licet, non minus armis valletur; ſed alter arma habet, quibus in munimentum pacis vtitur. Alter vt magno timore, magna odia compeſcat. Nec illas ipſas manus, quibus ſe commiſit, ſecurus aſpicit. Contrarij in contraria agitur. Nam, & inuiſus eſt, quia timetur. & timeri vult quia inuiſus eſt.*

Metus eſt quid Tyrannicum.

Odia in Principē eidem ſunt periculoſa. Sen. l. 1. de ira, & l. 1 de Clem. de Mezentio.

Sed odia contra Principem periculoſiſſima eidem eſſe quis abnuat? poſt illa ſequantur neceſſe eſt execrationes, inſidiæ, oppreſſiones; ſumma enim rabies oritur, vbi ſupra modum odia creuerunt. Exemplum habemus in Mezentio Tyrrhenæ genti Rege (quid enim non nos doceat Poeta ille?)

Aen. 9

Hanc multis florentem annis, rex deinde ſuperbo
Imperio, & ſæuis tenuit Mezentius armis.

Virg. explicatus.

Rectè in Mezentio Tyrannicè dominante ſuperbiam intolerabilem, qua non ſolum homines, ſed Deum ipſum contemneret notat, tum ſæuitiam, quæ in eo homine trux, & inhumana, præterea oppreſſionem populorum armis quæſitam. Quid hinc in populis? Odia. ab his? Arma Perduellio Audi.

Virg. 8.

At feſſi tandem ciues infanda furentem
Armati circumſiſtunt ipſumque, domumque
Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia iactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapſus in agros
Confugere, & Turni defendier hoſpitis armis.
Ergo omnis furijs ſurrexit Etruria iuſtis
Regem ad ſupplicium præſenti marte repoſcunt.

Populi ira.

Rectiſſimè feſſos Hetruſcos vocat; neque enim ſtatim efferuſcit in odium ira populorum. Fluminis inſtar eſt, paulatim intumeſcit, tum alueo contempto ripas tranſilit. Sed vbi concreuit ira, ferueſcit in odia; hæc in rabiem medicamenti incapacem. *Equidem*, Saluſtius, *ego cuncta Imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitror*. Id ipſum de ſe fatetur Mezentius factorum ſuorum ſero pœnitens, ſero ſapiens.

Saluſt. ad Caſarē de ordin. Rep.

Aen. 10.

Idem ego nate tuum maculaui crimine nomen
Pulſus ob inuidiam ſolio, ſceptriſque paternis
Debueram patriæ pœnas, odiſſque meorum

Vt

Senſus auctoris de odio. Cic. de off. l. 2. Id omni Principi Perniciosum.

Vt ſemel de odio quod ſentio, conficiam. Aio primum, nullas vires, aut opes eſſe, quæ premente odio multorum, reſiſtere, aut poſſint, aut poſſint eſſe diuturnæ. Vires, atque opes Regum in animis, & pectore ſubditorum ſitæ: hæc ſi auerſa tibi feciſti, quid vltra, aut vnde ſperes? Addo tyrannicum eſſe concitare in ſe, atque amare populorum odia, quæ contumelijs, ſæuitia, crudelitate, immanitate, ac cædibus ſibi conſciſcant. Id vero magis explicari oportere arbitror. Tyranno, ſeu ei, qui vi violentiaque aliorum ſibi imperium contra fas, ac ius comparauit, etiam ſi nullius adhuc contumeliæ, atque iniuriæ genere quemquam exacerbauit, odia tamen aliorum neceſſe eſt pati. Igitur inſtabile ſceptrum, ac parum firmum gerit, & quacumque tumultus motiuncula excutiendum.

Tyrannis parum firma.

Tyrannidis mores.

Ad ſtabilitatem inuehendam nullum Tyranni remedium ſibi reliquum faciunt quam vt potentium, & locupletum vires imminuantur. id vero varijs conſequi modis conati ſunt. Vnus concitando inter ciues ipſos odia inuidiaque: hoc credo ſenſu dictum à Poeta eſt.

Inuidia ſiculi non inuenere Tyranni:
Tormentum maius.

At interea creſcent odia contra ipſos, creſcant: ſed eo illi progrediuntur, donec vires deficiant, vt non opes ſolum, ſed animus deſit ad noua molienda. *Tyrannorum ſtudium eſto.* ex Ariſtotele, *vt ciues ſpiritu ſint abiecto, atque humili, futurum enim, vt ne hiſcere audeant, qui enim abiecto ſunt animo nemini inſidias ſtruxerint.*

Ex Ariſtot. l. 5. Polit.

Hinc armorum omnis generis, ac telorum ſpoliatio, hinc conuentus publici, & clandeſtini interdicti, ab hoc delatores, perquiſitores. ſupplicia ob leuiſſima crimina; grauia, ac terribilia: potentium, locupletumque exilia, proſcriptiones, direptiones. Nonnulli eo deuenere vt ciues alio tranſmigrare omnes iuſſerint, externoſque aduocatos in alienas ædes, ac ſedes admiſerint, tanquam fideliores habituros propter ſuſcepta beneficia, quod in Catanenſibus Hiero præſtitit, quibus in Vrbem ſub Aetna monte poſitam traiectis, alios ex Græcia intulit Catanam: quo ad omnem hoſtium commotionem ſubſidio vteretur. Memini me apud Aelianum de Tyranno quodam legere, qui cum omnia ſuis ſubditis edicto interdixiſſet conuenticula, conciones, collocutiones, riſus, nutus, demum cum etiam ne lacrimas elicerent prohibere in animo haberet tantam in rabiem populum adegiſſe, vt eum in foro diſcerpſerint. Itaque Tyranno neque tunc ſecuritas, quando eneruatus, aut vt ita loquar emaſculatus videtur ciuis eſſe. Aeſopus Phryx ſuibus Tyrannos comparauit; ſuem ſi quis comprehendat, vociferari audies, idque non temere. Etenim cum neque lanam portet, neque quicquam aliud eius generis; ſtatim coniectura

Diodor. l.

Aelian. var. l. 14. c. 22.

Tyrannus nūquā ſecurus.

ra mortem auguratur, ſciens ſe ipſum vſui eſſe vtentibus. Simil
mihi videri ſolent Tyranni; qui ſemper in ſuſpicionibus, & me
verſantur, cum ſciant ſicut ſues vitam ſuam omnibus deberi. ha
ex Aeliano.

Ael. Var. l. 10. ca. 5.

Niſi in beneuolentia.

Quod ſi vt ſecuritatem apiſcatur, ad prætorianos Tyra
nus eat, qui latera armati ſtipent: qui in aulis, cubiculi
que excubias agant. tamen, neque ab his quidpiam tutum habebi
hi enim peræque, ac populus timendi ſunt, vt ait Seneca. Quam
obrem ij, qui Tyrannidem exercent, aut Tyrannorum modo in
peria tractant, vt militiam, & ſatellitium ſibi fidele, ac propriu
comparent, omnibus illud beneficiorum generibus delinire, a
deuincire ſatagunt, atque adeo Tyranni mores exuere, & on
nem beneuolentiæ ſpeciem erga hos induere videntur; quamol

Et in Tyrannide exuta.

rem tandem non in animum inducant ſuum quicumque in dom
natu, atque in Imperio verſantur, vt amores pro odijs à ciuibu
populiſque ſuis nanciſcantur, & quam fidem à ſatellitibus, ac la
teronibus bene faciendo mercantur eandem Ciuitate demerenda
conſequantur.

An metui ſiue odio Principi vtile.

Metus quidam malus.

Sed age dum an expulſo odio metus populorum Imperijs vtili
Hac in quæſtione diſtinguendum puto. metum, eum, qui nimiu
eſt, quique ex grauibus contumelijs, atque ex iniquis ſupplici
rum exemplis oritur, nocere quammaximè perturbare, ac pe
uertere omnem regni quietem. ſi tamen hic metus non odij
parens.

Quem multi metuant, multos metuat neceſſe eſt.

Exacerbat populos.

Senec. l. 1. de Clem.

Exacerbatur hoc metu ciuitas, & tanquam feræ telis laceſſita
primum quidem abditam, inſontemque fugam captant, quan
vbi intercluſam aduertere, facto impetu inde ſibi ſalutis viam
vbi maximum ſalutis periculum vident, arripiunt, per ipſos hoſt
per eorum tela, ac vulnera tranſiliunt, & non inultæ perire ga
dent. Ira in acerbo vehementior eſt metù, qui dum extrema adm
uet in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri ſuadet; nam

Aen. 2.

Quomdam etiam victis redit in præcordia virtus.

Alius bonus cohibet.

Temperatus timor cohibet animos. cohibet? imò indulcat,
amorem, ac beneuolentiam Principi conciliat; & cum populi
qui corpus, ac membra ſine capite ſunt, natura duce Principem
hoc eſt caput habere deſiderent, eadem docente natura, & p
rere, & timere condiſcunt. Illam ad hæc inclinantem adiuu
temperata vis Principis, quæ in eo maximè eniterè habet, vt i
ſuum cuique ſeruet, vt merita ciuium præmijs cum liberalitat
ac proportione excipiat, ſcelera ſupplicijs cum moderatione,
lenitate tanquam vulnera medicetur. nam.

Hor. l. 3. od. 4.

Vis conſili expers mole ruit ſua
Vim temperatam Dij quoque promouent

In

In maius, ijdem odere vires,
Omne nefas animo mouentes.

Timor enim, qui ex his moribus in animis enaſcitur populorum, non in Principem eſt, ſed pro Principe, vt Pittacus aiebat, neque Principem impetit, ſed Principis aduerſarios. Id autem conſequetur Princeps, cum per legum obſeruantiam per honeſtarum operationum præmia, aut ſupplicia prauarum; cum ſi res ſuas gerat, non eo ſolum propoſito, ac ſtudio, vt metuatur, vt dixit Chilon. quin magis vt ametur, ſed vt Princeps, non vt ciuis. *Plut. in ſymp.*

SECTIO VI.

DE FVGA, SEV ABOMINATIONE.

Hanc à timore diſtare quia non ſit circa ardua putant quidam. falſo. quia ille circa abſentia, hæc etiam circa præſentia verſatur. In ſomnis, & ſomnijs fuga euidens, & in his nulla abſentia moleſtorum. idem probatur auctoribus. Notio huius fugæ ab ea, quæ corporis declaratur. Canis venatici fugæ appetitus dum in vinculis detinetur, & leporem videt. idem deſcriptus. Fuga ſemper cum dolore. is duplex. vnus antecedens, alter ſequens, an dolor in deſperante maior ſit doloribus in ſperante ſe forte euaſurum ex vna eademque re aduerſa. Vlyſſis apud Calypſo mora cum dolore, & fuga. ex ea ſolitudo, & tædium rerum iucundarum. patriæ amor.

Contraria deſiderio fuga eſt, ex odio naſcens, quam à timore differre in eo ſolo volunt quidam, quod is ſit de re ardua, & ad euitandum difficili; ceterum vtramque perturbationem circa malum futurum verſari, atque ideo ſæpè timoris nomine appellari, quamquam cum hic in parte ſit iraſcibili, illa in concupiſcibili; forma, ac ratione inter ſe differunt. *Quidam putant circa abſentia ſolã fugam verſari.*

Ego exiſtimo perturbationem hanc quocumque demum nomine nuncupetur, ſiue fugæ, ſiue abominationis, non ſolum eſſe appetitionem fugæ, aut euaſionis mali abſentis futuriue; ſed etiam cum præſens illud inſtanſque eſt. & magis ardere in appetitu, quo tempore malum, quod adimus, ſua nos præſentia diuexat, quam cum deterret abſentia: vtroque tamen tempore exoriri; quod maximè in ſomnis ſentimus. quando ſcilicet per ſomnium ſibi quiſpiam videtur magno aliquo obrui malo, v. g. à ſerpente morderi, ſuffocari ab hoſte, ex alto decidere, naufragium pati; tunc enim appetitu fugæ ſane per quam vehementi corripi ſe ſentit, & corpore etiam ipſo conniti, ac trepidare, & ſudoribus interim permadeſcere, atque altos ab imo trahere anhelitus, cum tanto eua- *Reijcitur.* *Verſatur etiam circa præſentia.* *Probatur ex ſomnijs.*

dendi

dendi conatu, vt expergefactus defatigatione, ac laſſitudine fractus delaſſatuſque vix conſtet. Neque vero id mirum Nam quo quis ei malo propior eſt, atque coniunctior, quod ipſe odit, eo maximè ardet deſiderio euadendi. Hæc enim perturbatio eſt appetitio carendi malo, ſicut contra appetitio poſſidendi, deſiderium eſt. Hinc illa vox Palinuri in magnis malis verſantis.

Auctoritatibus probatur.

Aen 6.

Eripe me his inuicte malis.

S. Paul. Rom. c. 2.

Hinc illa, *quis me liberabit à corpore mortis huius?* ſcilicet malum præſens erat, & captiuabat mentem in lege peccati, quæ in membris humanis dominatur. hinc non ſolum triſtitia cuius vi illa promuntur *infelix ego homo*, & fugæ appetitio, *quis me liberabit?*

Fuga animi ob ea quæ eſt corporis cognoſcitur.

Notio fugæ, ſeu abominationis, quæ in animo eſt. ab ea quæ corporis fuga eſt, facile accipitur. hæc enim nihil aliud eſſe videtur quam executio, aut complementum eius, quæ intus extabat fugæ, ſeu deſiderij effugiendi eius rei quæ dolorem imprimebat, aut animo, aut corpori. Quanto impetu conſpicimus canes venaticos, aut leporarios agitari dum detinentur in vinculis, ſi lepus eos currens præter propter ierit, quo latratu libertatem implorant, quo gemitu, qua prece domino inſiſtunt, vt ex impedimentis catenarum eruantur; toti anxij, ſuſpirioſi, ſollicitì, & moleſtiæ pleni. Hoc non dolor eſt, ſolum, ſed fuga animi, aut abominatio, hoc eſt appetitus euadendi eius quod eo tempore tibi obſtaculo eſſe aduertis: ne id quod cordi eſt conſequare?

In venatico laue appetitus fuga.

Eius à dolore diſtinctio, & coniunctio cum eo.

Neque vero ſi ipſa ſemper cum dolore coniuncta eſt, propterea ab eo non diſtinguenda cenſetur. anteit ipſam dolor, & conſequitur, ſed antecedens, vnus eſt, exoriens à coniunctione animi corporiſue cum re moleſta; qui ſequitur, eſt duplex. vnus eadem ex coniunctione naſcens; alter ex ipſamet fuga. quæ cum re ipſa obtineri non poſſit ingenerat animo nouum diuerſumque dolorem ab altero. In hominibus, qui in aduerſis quibuſdam rebus omnem euadendi ſpem abiecerunt, reperiri credo dolorem, ſine fugæ appetitu, ceterum vbi ſcintilla ſpei eluceſcit, vlla; ilico; & hæc etiam animi perturbatio emergit, quam cruciatus etiam ſuus comitatur. Sed an dolor ille hominum deſperantium in aduerſis qui vnus eſt, par ſit, aut etiam maior, duplici eo dolore hominis euaſurum fortaſſe ſe ſperantis, dum vterque tamen eadem re cruciabili detinetur, quæſtio fortaſſe aliqua eſſe queat, quam legentibus agitandam relinquo.

Diuerſi dolores in fuga.

Quæſtio proponitur. Quæ in ſoluta relinquitur.

Appetitionis fugæ effectus in Vlyſſe expreſſi.

Dolorem ex appetitu fugæ, ſeu fugam ipſam animi ex effectis ſuis exprimam in Vlyſſe. Hic ponto pererrans cum ad Calypſo inſulam rate perfracta naufragus appuliſſet; mira humanitate Reginæ exceptus eſt, ac pro marito habitus, de quo ipſa eadem ſic apud Homerum.

Hunc

Hunc ego amaui, & enutriui, atque promiſeram Homer.odyſſ.l 5.
Facere immortalem, & abſque ſenio diebus omnibus.

Tamen cum patriæ cariſſimæ, & natalis ſoli in memoriam ſubinde veniret, ſtatim ingenti triſtitiæ pondere ſuffocatus abominabatur, delitias Reginæ amantis omnes; & regnum eius Inſulæ, & opes, & iucunda omnia nullius habebat penſi.

Solitudinem mœrens quemadmodum qui vehementiſſimè dolent, captabat.

Neque vnquam oculi
A lacrimis ſiccabantur, conſumebatur autem dulcis ætas Homer. ibid.
Ob reditum lugenti, quoniam non dum placuerat Nymphæ
Sed certe nocte quidem dormiebat etiam coactus
In ſpelunca caua nolens apud volentem.
Die vero in petris, & littoribus ſedens
Lacrimis, & gemitibus, & doloribus animum macerans:
Pontum indomitum proſpiciebat lacrimas ſtillans.

Vide quantum poſſit appetitus fugæ in viro hoc prudentiſſimo. quem quidem Calypſus peramantis obſequia. ſi non euellere ſaltem emollire potuiſſent, veruntamen ex patriæ, deſiderio vires capiebat, & omnia illa aſpernatus: ſolis in ſcopulis ſolus, ac perdius verſabatur intendens aciem oculorum; ſi poſſet, vel fumum Itacæ proſpectare de caminis euaporantem in altum. Hæc Calypſonem Reginam impulere vt Vlyſſi per exprobrationem obijceret multa, & pericula anteponeret ingentia, quæ ei ſubeunda forent, donec patriam terram pertingeret. quibus ille omnibus animosè reſpondens ait. Cic. Tuſcul. 4. Ouid. de Ponto.

Quod ſi quiſpiam me male multant deorum in nigro ponto Homerus odiſſ. 5.
Patiar in pectore habens patientem animum.

LIBER QVINTVS.

DE DOLORIS, SEV TRISTITIÆ PERTVRBATIONE.

QVID tu nunc anxius, & de ſede data muſſitans doles m dolor? Tunc oportuit doluiſſe cum ſedes vacuæ, neque amori, aut cupiditati, aut voluptati, aut odio datæ, fortaſſe fruſtra non fuiſſes. quis enim te mihi vnquam, aut vſquam familiarior? quis intimior, quis benemerentior? tu diu noctuqu commentantem, in thorum, & ſomnum adigebas. tu mihi ſtomachum ſentinabas, hæc tua ſunt in me merita. Cur tempori n adfuiſti quo locus ex iure merito præberetur? at tu humanis pectoribus inſidere aſſuetus contentionem deſpiciens occaſionem aucuparis doloris etiam non incutiendi. Cape quod datur, atque illud à me ſcito ſi poſthac dolorem vllum dolebo, te ex hoc etiam ordine delebo.

SECTIO I.

QVID DOLOR SIT.

Ciceronis duplex definitio reprehenſa in multis. beſtiarum dolor Leo Abbatis Geraſimi eleganter deſcriptus. eius dolor, & obitus. Equorum dolor, & fletus. beſtiarum aliarum. Qui dolor. Medici excuſati accuſati. Scaliger reiectus. Vera doloris finitio. Sanctus Thomas elucidatus. dolor duplex. ex poſitus cum Valentia, animantia non triſtari proprie; tri tantur multa per metaphoram. proprie nonniſi homo.

Quid dolor ex Cicerone, qui arguitur.

Item alia eius definitio reprehenſa. in multis.

DElectationi dolor aduerſatur. Hunc ex miſeria naſ dixere veteres. Igitur falſo dixit Cicero, quod & al etiam ſenſere *Dolorem eſſe motum aſperum in corpore, & ſenſibus alienum*. Nam hunc aſperum motum, qu miſeria anteire poteſt, quæ dolorem, ſeu motum ipſum faciat? melius alibi. *Dolor*, inquit, *eſt ægrit do crucians*. Si tamen nomine ægritudinis vteretur, in eum ſenſum qui communis eſt, non male diceret. Significaret enim dolore eſſe perturbationem animæ; ſed loquitur ſecundum morem Sto corum, qui ægritudinem in ſola voluntate hominis ponunt e opinione mali præſentis prouenientem, iuxtà quæ multum hæ

defi-

definitio peccat. primum quia dolorem in ſolo homine ponunt; deinde, quia dolorem omnem malum, & morbum animi faciunt; præterea quia dolere hominem de ſolis præſentibus malis putant; cum & de præteritis per memoriam, & de futuris per cogitationem poſſit dolorem ſentire. Demum cum dolorem eſſe definiunt ægritudinem crucianiem, non illum ab omni alia ægritudine diſtinguni, nam timor eſt ægritudo etiam crucians.

Et beſtias dolore percelli, docuimus alijs in libris; in præſentia leo Geraſimi idem doceat, ſanctiſſimi viri, atque Eremi accolæ. *Beſtiæ dolent.* Is propter Iordanis fluenta ambulabat, ei leo claudicans ex præacuto ligno, alte veſtigio pedis inhærente, occurrit, demiſſo collo, & gemitu dolorem atteſtans, miſericordiam attentans. *S. Geraſimi leo deſcriptus.* Hæſit primo aſpectu vir, ſed tumentem cum aduertiſſet pedem, facile ſenſit quid leo vellet. animoſior ad medelam, nouus chyrurgus accedit. ſedit in ſaxo, pedem leoninum læua apprehenſum veſtigat, vlcus, palpat, contrectat, digito huc illuc pererrans. *Vulneratus.* digitus illi ſpecillum, & volſella, & ſcalpellus erat. Ergo inter vngues leoninos hærentem, atque alte infixum ſtirpem, vt vidit, adblandiens primum leoni, & manu collum demulcens; tum apprehenſum tenaciter telum repentè extrahit. nihil veritus, quid in eo periculo bellua audere poſſet. extractum telum ſequitur pus, tum ſanies, demum ſanguis. quid interim leo? credo enim, crudelia expectatis. alia omnia; & ille quidem doloris magnitudine premi, ſed leo fuit, & vicit dolorem; collo in ſinum Geraſimi inclinato, longum gemebat, vt perdolens, languebat vt æger, vnguibus intra thecas inſertis, ne qua mucrone exerto, etiam nolens adiutanti noceret, dentes non feriati erant, modo, ſed intra oris ergaſtulum alligati, atque incluſi; ne aſpectu ſuo terrorem Medico incuterent. *Curatus.* Summa. curatio felix, & medico, & ægroto. Conualuit leo, Benefactorem ſuum feritate, & libertate abiecta ſecutus eſt manſues, & mancipium. *Manſuetus.* Intromittitur in Eremicolarum collegium hoſpes nouus; ſingulos veluti heros ſuos ſalutat, caudam blande motitans, & genua vniuſcuiuſque adlambens. paulatim abeunte ex illorum animis pauore, ceperunt ſinguli nouitium hoſpitem, & tyronem amplecti, alloqui, docere. Quid plura? quia in illiſce ædibus otioſo immorari fas eſt nemini, negotium leoni decernitur ſuum. *Cuſtos factus aſelli ad olera portanda.* Aſellum oleribus ex horto domum reportandis deſtinatum, vt ducat, reducat, & inter eundum, redeundumque tueatur. perpetuus cuſtos, mirarabilis comes, nouus Agaſo. *Fidelis.* præſtitum id, & cum fide leo ex pane paximatio, ſeu arreptitia portiuncula diaria contentus; neque enim quiſpiam eis in caſtris duplicatius erat. *Abſtinens.* Aſellus ſub leone lætior operam ſuam nauabat, forte per iter alto ſole ſecurus paſcebat Aſellus, leone, neſcio an obdormiſcente, cum muliones clitellario mulo- *Aſellus furto. Surripitur leone non aduertente.*

 rum

rum grege, & burdonibus prætereuntes, viſam beſtiolam capiſtro impune arreptam aſportant inauditi, inuiſi. experrectus aſellũ leo expectandi pertæſum putans, pergit ad monaſterium. foribus capite incuſſis, ſignum ſui dat aduentus. Ianitor, vt ſolum videt, Aſellicidam credit, admittit, & in iudicium arceſſit. damnatur talionis. herbas pro Aſello, & olera vt deferat. Ergo veterinus factus clitellas ediſcit, frenum patiens doſſuarius cõmordet; onus vltro, citroque, vectans, ipſe ſui cuſtos, & vector. Ita multos dies pœnas luit. inſons leo. ſed innocentem Deus manifeſtauit. redibant muliones, & cum mulis, atque aſello obuiam leoni caſu facti. Enim vero repentina duorum amicorum recognitio mirabilis fuit. Rudit ille præ gaudio, & excuſſis ſarcinis ſaltus agit. Hic lætabundus rugit, & Aſello ſuo applaudens inter rugitum, ruditum, beſtiæ dum mutuo ſe amplexantur, conſalutant, collætantur; fures relicto mulorum grege, fuga ſalutem ſibi quæſiere. leo triumphans beſtias omnes innocentiæ ſuæ teſtes in ædes cogit, & oſtio adaperto introducit. Cognita à Geraſimo, & ſocijs innocentia leonis. Poſt dies, decũbens ex morbo Geraſimus obit, & iuſtis demortuo perſolutis ſollemni ritu terræ committitur omnium parenti. redit ex horto leo. Cui Ianitor; frater mi leo, inquit, Abbas fuit; diem ſuum obijt. Enim vero ad haſce voces exhorruit animal, & longo gemitu, atque ſingultu ſenſum dolori intimum expromens miſerabiliter ſolo peruolutabatur. Et Oſtiarius, Ades dum, inquit, cariſſime leo, noſtrum tuumue communem parentem, vbi ſit, vide. ſimul ad ſepulturam duxit ſponte ſequentem. En hic iacet Geraſimus. Quid faceret? quo ſe ferret rapto parente, ac domino ſuo leo?

Aſellum voraſſe creditur.

Officium aſelli ſubit.

Aſellus reperitur, & à leone cognitus.

Moritur Abbas Geraſimus.

Leo miſerabiliter dolet.

Ad tumulum Abbatis ducitur.

Quo fletu manes, qua numina voce vocaret?

Mirum dictu; tam crebris ictibus caput ſuum ſaxo, quo ſepulchrum obducebatur, illiſit, donec periret. I nunc, & beſtias nega dolore tangi.

Sponte ſe ſaxo illidens obit.

Sed vero Homerus equos flentes narrat, Achillis domini ſui e fletu iacturam dolentes, & Pallantis funus proſequens apud Maronem.

Equi item flent Homerus.

Poſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon
It lacrimans, guttiſque humectat grandibus ora.

Virg.

Hanc leonis Geraſimi, quem pictores, in Hieronymum, cred ex vicinia nominum lapſi transferunt, hiſtoriam miraculo factan quis piam aſſeret, & equorum lacrimoſos dolores fabulam appel labit? Ego vero miraculosè quædam fieri non eo inficias, ſed ſi milia naturaliter in beſtijs contingere poſſe puto, ſimile narra de leone alio Agellius; ſimilia de canibus Aelianus de elephant alij. an omnia ad fabulas reijcientur? Veruntamen quis audea dolorem in beſtijs negare, cum gementes ex vulnere, ex verbe re,

Leo Geraſimi, Hieronymo aſcriptus à pictoribus propter nominis vicinitatem.

Alter leo apud Gellium.

Item canes apud Aelianum.

Et beſtiæ omnes dolent.

re, ex fame, canes, leones, feles audiuerit?

Quid autem eſt hic dolor? Medici aiunt eſſe diſſolutionem continui in corpore animato; ſi ad artem medicinæ ſpectes, quæ aufert medicando dolorem. rectè medici. nam reſarta, conſolidataque carnium ſolutione abſcedit dolor. Sin vero rem ipſam contemplemur. Falſo definiunt; & cauſſam pro effectu ponunt. Quis enim dicat, ſi dormiens vulneretur, indoluiſſe dormientem? & tamen ſolutio, dum dormit, facta eſt. Suam igitur Scaliger doloris definitionem profert. *Dolorem* dicens *eſſe ſenſionem rei incommodæ cum læſione*. At quis aſſentiatur intelligere me, aut ſentire vulnerari, vel aliud quidpiam perpeti, idem eſſe atque dolere? Et ſane ad dolendum ſenſus neceſſarius, ſed is ad dolorem præit. dolor nunquam eſt, ſi dolor inter perturbationes animæ ſentientis eſt enumerandus. Quamobrem doloris definitio ex Sancto Thoma, talis eſto: *Dolor eſt paſſio animæ in appetitu ſenſitiuo ex malo coniuncto ei, qui dolere dicitur*. Itaque corporeus dolor non eſt corporis, aut in corpore, ſed animæ corpus habitantis, neque in ipſa anima proximè, atque intimè. Sed in appetente facultate; quam inhærere animæ, atque ei ineſſe diximus, in prioribus libris. Id, quod corpori tactu incommodat, vrit, ſecat, cruciat, vexat, ligat, vulnerat, lædit, & quocunque tandem modo afflictat, & miſerum facit, cauſſa doloris eſt, & quidem remota, non dolor. tactio, incommodatio, vſtio, ſectio, cruciatio, vexatio, colligatio, vulnus, læſio, afflictatio, & miſeriæ, cauſſæ propinquiores ſunt; non dolor. extra animam enim ſunt. iſte in anima. Ex quibus intelligirur omnem dolorem ex ijs, quæ tactionibus contingunt oriri, ſed oriri etiam alios ex alijs ſenſibus, ſi quid illis incommodi, inamæni, inſuauis aduerſique obtigerit.

Quid dolor ſit.

Medicorum definitio excuſatur, & accuſatur.

Scaligeri definitio.

Reijcitur.

Vera eius definitio doloris ex S. Thoma.

Et clare elucidata.

Dolor generali diſtributione duplicis generis eſt. Alterum corporis, ſeu corporalem vocant, animi, aut animalem alterum. Eoſdem aliqui externum, & internum: naturalem, & innaturalem nominant. Diuiſionem ex Sancto Thoma ſumptam Valentia ſic explicat. Diuiditur dolor in eum, qui ſequitur apprehenſionem ſenſitiuam talem, qualem poſſunt habere bruta: & in eum, qui ſequitur apprehenſionem propriam potentiæ cognoſcitiuæ, qui proinde eſt hominis proprius; & peculiariter nominatur triſtitia. Quamobrem dolor perinde ſe habet ad triſtitiam, vt delectatio ad gaudium. omnis enim triſtitia dolor dici poteſt, non contra. Quod ſi id animantibus, & brutis, datur aliquando à Poetis translatione vocabuli id factum puta. ſic triſtis Philomela, triſtes oues. quin & audacius, ſed tamen feliciter faciunt cũ dicunt cælum triſte, hiems triſtis, & Aquarius annum contriſtans. Sed & varijs ſignificatibus vſurpatur hoc vocabulum apud latinos. Sed frequentiſſimus ille, cum triſte aliquid dicitur, quia triſtitiam homi-

Dolor duplex.

Ex S Thoma. Valentia declaratio.

Animalia an triſtentur. Minimè.

homini infert. ſic bella triſtia, domus triſtis, clades triſtis: propriſſimus autem ille eſt cum dolor animi humani, aut hominis explicatur. vt cœlum triſte, vultus triſtis, ora triſtia.

SECTIO II.

TRISTITIÆ DIVISIO.

Dolor arbor eſt, eius rami, ramuſculi, folia, mala verè mala. Quid miſericordia, eiuſque conditiones. Accuſatus Ariſtoteles. Diuina miſericordia, & humana qualis. Rurſum Ariſtoteles examinatus. Dij antiquorum miſericordes conatus explicandi Ariſtotelis irriti. An improbi miſericordia digni. examinatur tertio Ariſtoteles. defenditur. quæſtio ſoluitur, & locus ex Oetica Ariſtotelis allatus, & Cicero dilucidatur. Inuidentia quid? Ciceroni lux ex Valentia, & ex Sancto Thoma. inuidus ſuperari debet ab inuiſo. Pueri plebs mulieres quomodo inuideant.

Dolor arboris inſtar. DOlor vt in pectoris humani agro radices egit, arboris, & quidem proceræ inſtar excreſcit. ea fibras alte in cor immittit lætitiæ omnem ad ſe attrahentes humorem. Tum caudex in altum ſurrigitur, quatuor in ramos veluti brachia diſtentus, *Eius rami.* miſericordiam, inuidiam, anguſtiam, acediam: ramuſculi ex his enaſcuntur alij, *Ramuſculi.* æmulatio, indignatio, zelus, pœnitentia, impatientia. hi ſuis veſtiuntur foliorum comis, fletuum *Folia.* gemituum, ſuſpiriorum, planctuum, querelarum, ſupplicationum, precum, votorum. Ab his ſua pendent mala, verè mala, *Fructus multiplices.* inſomnia, vigiliæ, ſtupores, hebetudines, horrores, formidines, debilitates virium, cerebri refrigerationes, mentis turbationes, obſcurationes rationis, maniæ, inſaniæ, ſenſuum languores, ſolitudinis, & tenebrarum amor, frequentiæ odium, luctus, mœrores, ærumnæ, lamentationes, ſollicitudines, tædia viuendi, deſperatio, mors, inopia, & tamen expetita, atque expectata, ſæpe etiam inclamata, & moræ obiurgata. Iam miſericordia doloris filia, ſic ab Ariſtotele deſcribitur; *eſt moleſtia quædam in malo quod patitur quis eo indignus.* *Miſericordia ex Ariſtotele quid.* Tres autem conditiones neceſſarias requirit, vt miſericordia excitetur. Primam, vt malum illud habeat, *Tres Ariſtoteli requiſita ad miſericordiam conditiones.* aut habere videatur, vim interius, aut grauis moleſtiæ inferendæ. alteram, vt huic malo ſit expoſitus is, qui miſereri debeat, expectetque ſe, aut ſuorum quempiam aliquid eſſe huiuſmodi paſſurum. Tertiam vt id malum propinquum, & imminens eſſe videatur.

Sunt quibus Ariſtotelis de miſericordia doctrina minus arridet

eo

eo argumento, quod deneganda omnino eſſet miſericordia Deo, qui neque moleſtia turbari, neque malum vllum pertimeſcere, neque ei, aut eius tabernaculo flagellum mali appropinquare poſſit: qui tamen mala merito etiam ſuo patientium miſeretur miſericors, & miſerator Dominus. *Accuſatus Ariſ.*

Sed Ariſtoteles de perturbationibus humanis agit, & præſertim in Rhetoricis, de ijs, ſcilicet quibus in audientium animo per oratoris eloquentiam excitatis, diuerſum ſoleat iudicium de rebus agendis proferri. In Ethicis autem de perturbationibus iiſdem tractat, quæ in vitia corrumpi, aut perfici in virtutes poſſunt, quæque moderatione, & cultu indigent. At in diuina voluntate nulla huiuſmodi miſericordia eſt, ſed tantum rectiſſima, & conſtans volitio odio habens malum, & amans homini bonum, etiam eſt, quo is caret, aut indignus eſt. Quæ miſericordiæ ratio longè diuerſa eſt à noſtrate hac; qua de præſens ſuſcipitur diſputatio. Illa tota tranquilla, & ſuauis eſt omni mæroris amaritie carens, noſtra cum dolore, cum ægritudine, ac perturbatione permiſcetur, ſiue in appetitu ſenſitiuo, ſiue in eo, qui rationalis eſt, ponatur. ſemper enim triſtitia eſt ex malo alterius. Ad quam licet ſequatur voluntas quædam benefaciendi ei, qui malo opprimitur, tamen hæc neque neceſſario ſemper conſequitur, neque quando excitatur, ad rationem pertinet miſericordiæ, quæ paſſionibus animæ accenſeatur. Sed vero non eſt noua, neque inſolens apud Theologos ſententia virtutes diuinas ſaltem pleraſque analogice conuenire, ſed ratione differre a noſtris. *Excuſatur. Dei miſericordia qualis. Humana qualis.*

Iam quamquam vindicatus in hac parte Ariſtoteles eſt, ſuperat tamen inquirendum, an verum ſit id, quod docuit, ſcilicet eum ſolum miſericordia tangi, qui poſſit pati, aut ipſe, aut ſuorum quiſpiam. Exiſtimare quis poſſet Ariſtotelis mentem eſſe; facilius quidem huiuſcemodi homines miſericordia ſolere affici; ſed non ſolos. quandoquidem, & apud Homerum Dij propter filiorum ſuorum iacturam lacrimari, eorumque miſericordia commoueri inducuntur. Sic apud noſtrum Alcides Pallantis morte, pietate concutitur. *Examinatur Ariſtotelis doctrina. Dij miſericordia tanguntur apud Poetas.*

Audijt Alcides iuuenem, magnumque ſub imò
Corde premit gemitum, lacrimaſque effudit inanes.

Diana Camillæ diem ſuum pariter obituræ. Iuno, Iuturna Turni. neque tamen, cum Dij ſint paſſuros ſe quidpiam pertimeſcũt. Sed in dijs ſuis antiquitas inſanijt, & contraria poſuit.

At Philoſopho propoſitum nullum tale eſt. quandoquidem non dicit ſolere hos procliuiores ad miſericordiam videri, ſed neceſſe eſſe, qui miſereatur, vt poſſit pati. additque; *quamobrem nec, omnino perditi miſerentur, nihil enim amplius paſſuros ſe eſſe putant, paſſi enim ſunt. Nec qui ſe valde felices eſſe putant, &c.* *Neque tamen pati poſſe videntur. Conatus explicandi Ariſtotelis verbus.*

Ariſto-

Item alius eonatus irritus.

Ariſtotelis doctrina explicari hoc modo poteſt. Triſtitia eſt d malo, quod vel omnino proprium, vel aliqua ratione ſit eius, qu moleſtiam, triſtitiamque experitur. Cum ergo miſericordia triſ titia quædam ſit, neceſſe eſt malum illud, ſuper quo miſeratio commouetur, aliqua ratione ad miſerantem ſpectet, igitur ille ſemper, ac ſolus miſeretur, qui aliqua ratione pati poteſt malum id, ſuper quo miſeretur, aut ſimile.

Sed neque in hoc animus vſquequaque conquieſcit. Quid enim obſtat quominus contriſter, aut miſereſcam ex eo ſolo; quod qui indignè patiatur; etiam ſi malum illud ad me, neque ad meo peruenturum ſit vnquam? ſic miſerentur, qui olim paſſi, vt Re gina Dido, quæ ſibi felix videbatur,

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Aen.1.

Et rectè de ſe ipſo Neuius Poeta, quamquam ambitiosè in ſu ſepulchro inſculpendum ſcripſit.

Mortales, immortales flere ſi foret fas
Flerent diuæ Camanæ Neuium Poetam.

Non flent verò; quia dolere non poſſunt, cùm ſint diuæ. ſed a ideo dolere non poſſunt; quia pati non poſſunt? Vt vt eſt. Diu apud Poetas. vt oſtendi, miſereri finguntur, & pati nihil poſſe perhibentur.

Aliud Ariſtotelis doctrina examen. An miſericordia ſit erga digna pa- ti ...tem. Aeoli, & Vlyſſis exemplum.

Alia præterea oritur ex dictis Ariſtotelis dubitatio. An ſi qui dignè, & pro merito ſuo patiatur, miſereri illius poſſumus? Indi gnus enim videtur, qui damnum ſuo merito quærit. Vlyſſes po naufragium reuerſus iterum ad Aeolum, auxilij contra tempeſta tes repetendi reijcitur, & tanquam iure, omnia perpeſſus, de In ſula ita exploditur, vt à rege alioqui clementiſſimo miſericordi auram conſequatur nullam.

Homerus odyſſ.

Valeas ocyus ex inſula peſſimè viuentium.
Neque enim mihi fas eſt excipere, neque dimittere
Virum illum, qui dijs inuiſus eſt beatis
Abeas. quoniam certè dijs inuiſus huc veniſti.

Publius apud Gellium.

Ex hoc Aeoli facto credo Publius, expromſit illud apud Gelliun

Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

Et Ariſtoteli ſuffragantur Sophocles, & Euripides diſertiſſim vterque viri; ille.

Sophocles. Euripides.

Miſereri oportet iuſtorum hominum, non improborum

Hic. *Miſericordia digni ſunt non malefici, ſed probi homines,*
Malos homines caſtigare dignum eſt.

Q. Curtius.

Rectè ergo apud Q. Curtium homines nimium ſcelerati *miſeri cordiam conſumpſiſſe* perhibentur Hæc pro Ariſtotelis dicto.

Erga improbos eſt quidem miſericordia, ſed frigidior.

Fateor ægrius, ac frigidius miſericordia erga improbos, & for tes excitatur vt Ariſtoteles in poetica docet. cuius verba hoc loc pretium eſt operæ recitare. *Quoniam conſtitutionem pulcherrimæ tra*

gediæ

gœdia oportet eſſe non ſimplicem, ſed nexam; eamque terribilium, & miſerabilium imitationem. Primum quidem manifeſtum eſt neque æquos viros mutatos apparere oportere ex proſpera fortuna in aduerſam; id enim non eſt terribile, neque miſerabile, ſed ſceleratum. Neque improbos, ex infortunio in proſperam fortunam, id enim maximè omnium à Tragędia alienum eſt; quia nihil habet eorum, quę oportet, neque enim gratum hominibus; neque miſerabile, neque terribile eſt. Neque rurſus valde malum ex proſpera fortuna in aduerſam cadere, quod enim gratum eſt hominibus, id quidem habet talis conſtitutio. Sed neque miſericordiam hab t, neque timorem. Illa enim eſt circa eum, qui indignè aduerſa fortuna vtatur. Hic verò circa ſimilem. Quare neque miſerabile, neque terribile apparet quod contingit. Reliquus, & inter hos interiectus. Eſt autem talis, qui neque virtute pręſtat, & iuſtitia, neque propter vitium, aut prauitatem mutatur in aduerſum fortunam. ſed propter errorem aliquem eorum, qui ſunt in magna exiſtimatione, & fortunę proſperitate.

Locus Ariſtot. ex Poetica aſſertur.

Duo video in recitatis explicatu difficilia, alterum id, de quo agimus, miſericordiam non excitari erga ſceleratiſſimos in aduerſam delapſos fortunam. Alterum neque erga valde iuſtos, & virtute præditos cum in graues ærumnas deuenere.

Reuocatur ad trutinam.

Quid hoc? an non Ciceronis illud eſt *eorum miſereri oportet, qui propter fortunam, non propter crimen in miſerijs ſunt*, & Oratores in iudicijs, quo nam alio capite magis ad miſericordiam iudices impellunt, quam eò, quod ex innocentia rei petitur? *Petant*, inquit Quintilianus, *innocentes miſericordię auxilium*. Exiſtimo tamen ex enodatione poſterioris nodi lucem priori difficultati ſuborituram. non negat Ariſtoteles, ſi quando iuſtiſſimus quiſpiam ab aliquo crudeliter patitur miſericordiam vllo modo poſſe ſuſcitari. Hoc enim experientia falſum eſſe comprobatur, & ipſe in Rhetoricis aſſeruit. Sed in eo facto docet eminere potius cruciantis ſcelus, & crudelitatem, quam patientis miſerabilitatem; atque adeo in eo, qui tragædiam audit, ſuſcitari potius indignationem aduerſus malè agentem, quam miſericordiam erga malè patientem, quod eſt contra conſtitutionem Tragædiæ, cuius eſt miſericordiam præcipuè commouere. qua ex cauſſa Philoſophus exigit vt malum illud, quod infertur, illatum intelligatur ex errore aliquo, non verò ex malo inferentis conſilio, aut ex ſcientia. nam ſi ſecus accidat auditor è miſericordia auocabitur ad deteſtationem, abominationemque mali. Non contendit ergo Ariſtoteles miſericordiam aduerſus improbiſſimos dum patiuntur commoueri nullam, ſed non tantam, quantam ſi pateretur iuſtus, iniuſtè, rurſus ſi iuſtiſſimus quis, & iuſtus mediocriter, ab aliquo male patiantur; contendit Ariſtoteles, & iurè puriorem exoriturã eſſe mi-

Ariſtoteli Cicero aduerſatur.

Ariſtotelis mens illuſtrata in Poetica.

Quando & erga quem miſericordia magis commouetur.

ſericordiam erga mediocriter iuſtum, quam erga iuſtiſſimum; erga hunc enim miſericordia cum indignatione magna coniuncta eſt, erga illum ſola, aut pœne ſola miſeratio conſurgit. Hinc in Rhetoricis idem docet ad miſericordiam in iudice concitandam oportere oſtendi, eum qui ab oratore defenditur, virum eſſe maximis virtutibus ornatum. Nam oratoris propoſitum eſt, vt reus liberetur per concitationem affectionum, præſertim miſericordiæ, ſiuè illa pura moueatur, ſiuè cum maxima indignatione permiſta, quandoquidem vtrolibet modo fiat, pro reo fiet.

Poteſt autem accidere, vt aliquando iuſtiſſimus quis patiatur, non tamen per alicuius hominis crudelitatem, ſed fortuito, vt ſæpè ſolet, aut ex naturæ humanæ imbecilla conditione, vt ſi quando ex graui diuturnoque morbo decubuerit, ſi fortunarum ſuarum naufragium fecerit, ſi illum in familia, in liberis, in vxore ſæuior fortuna vexauerit. Hoc euentu, ſi patiens cum viro mediocriter iuſto eadem patiente componetur, quis neget maiore nos miſericordiæ concitatione permotum iri erga illum? & hæc eſt mens Ariſtotelis. de qua ſatis circa miſericordiam. nunc de altero genere triſtitiæ, quæ inuidia dicitur, aut inuidentia.

Inuidentia quid. Ex Cic. 4. Tuſc. Azor. l. 3. c. 13.

Ea ſic ab aliquibus deſcribitur. *eſt triſtitia ex proſperitate alterius, quæ nihil inuidenti nocet*. Sumptum à Cicerone apud quem extat. *Inuidentiam eſſe dicunt ægritudinem ſuſceptam propter alterius res ſecundas quæ nihil noceant*. Alij aliud quidpiam addunt; aiunt enim. *Inuidia eſt triſtitia de bono alterius æſtimato, vt malo proprio*. quod deſumptum ex Sancto Thoma, de quo paulo poſt.

Alia ex S. Thom. p. 2. qu. 34. art 6. 2. 2. q. 35. ar 1.

Examinatur prior definitio.

Inuidentiæ definitio declaranda eſt. Quis enim vero triſtari queat de bono alterius, niſi id malum eſſe ſibi deputet? Triſtitia enim omnis de malo eſt. Igitur cum alterius res ſecundæ, noſtrum eſſe damnum, aut malum exiſtimantur, tunc triſtitiam in nobis excitare dicentur. At tunc ea dolor eſt, non inuidia, aut potius inuidentia, dolere quippe dicimur, cum de malo noſtro aut vt noſtro contriſtamur. An vt ſit inuidentia debet bonum alterius non re vera eſſe, ſed exiſtimari eſſe noſtrum malum? nequaquam. nam etiam tunc ea, quæ conſurgit triſtitia, in nobis aut dolor erit, aut Timor, aut ira, inuidentia erit nunquam.

Declaratur cum Valentia.

Adhibenda igitur eſt illa declaratio, quam ex Sancto Thoma accepit Valentia. Tunc inuidentia oriri quando triſtamur de bono alterius. quatenus per bonum alterius apprehendimus nos ab altero ſuperari, ſuperari inquam, non lædi, aut excruciari, affligiue ab eo malo, quod eſt bonum alienum. Ex hoc capite emanans triſtitia, inuidia eſt. quam ſolent etiam comitari ira, timor & dolor, ex alijs tamen, ſed propinquis exorti fontibus riui.

Quomodo inuidus dicatur ſuperari ab eo cui inuidet.

In hoc autem ex Sancti Thomæ doctrina ſuperare dicitur is, cui inuidetur, inquantum bonum illius eſt diminutiuum gloriæ, vel

excel-

excellentiæ eius, qui inuidet. & hoc modo de bono alterius triſtatur inuidia. *Et ideo præcipuè de illis bonis homines inuident, in quibus eſt gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione eſſe, vt Philoſophus docet.* Lib 2.Rhet.

Rectè addit Sanctus Thomas, illud, *præcipuè*; nam inuident, & pueri, & mulieres, & ſerui, & plebeculæ, quæ nulla honoris cupidine, ſed ſola vtilitate trahuntur, & figulus figulo inuidet, non honoris, ſed lucelli gratia. niſi etiam in his quædam honoris ſcintilla eluceat, aut ſtilla congliſcat, aut gutta concreſcat, quam ſibi diminui ægreferant à felicioribus, præſertim ſi ſimiles ſint, ſi cognati, ſi conſanguinei, ſi æquales, ſi propinqui; nam cum inuidia quamdam habeat contentionis ſpeciem, contentio autem nulla ſit, niſi inter pares, ſequitur inuidentiam frequentiſſimè inter hos naſci, cuius deſcriptionem ſi velis videre habes in Ouidio, in Gregorio Niſſæno. *Pueri, plebs, mulieres, quomodo inuideant.* *Metam.l.2.*

De alijs triſtitiæ ramis, & fructibus alij latè tractant. ad quos facilis Lectori aditus. *L.8.de beatitud.*

SECTIO III.

DE CAVSSIS TRISTITIÆ.

Rerum iactura: deſideria. quæ reprimenda vt triſtitia deſit. quis beatus ex Seneca. Stylponis, & Biantis vox. opum menſura neceſſitas. Cupiditates dotem quærunt, & miſerum faciunt. Voluptas triſtitiæ cauſſa. Boetius illuſtratus, emendatus. Voluptas abiens quid. triſtitia nox eſt ex Tertulliano, & Tobia. lumen ad id. Sapientia triſtitiæ cauſſa. Salomon variè declaratus. Ignorantia dolorum expers. Inter Christi dolores præcipuus, ſcientia eorum. Iſaiæ lux.

GNato famoſus apud Terentium paraſitus ſic de quodam qui in miſeria inciderat ſermonem inſtituit. *Ter. Eunuch.*

Conueni hodie adueniens quemdam mei loci hinc atque ordinis.
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona
Video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis, anniſque obſitum
Quid iſtud ornati? inquam, quoniã miſer quod habui perdidi. hẽ.
Quod redactus ſum, omnes noti me, atque amici deſerunt.

Hæ ſunt præcipuè triſtandi cauſſæ, fortunarum iactura, & amicorum, notorumque deſertio. in ſumma. res aduerſæ omnes, vt ex ipſa triſtitiæ definitione conſtat. *Cauſſæ triſtitiæ.*

Deſideria triſtitiam pariunt, quia eo in homine innaſcuntur, qui quopiam caret, quod ſibi ad quietem parandam neceſſarium putet. rectè Epicurus apud Senecam. *Si cui*, inquit, *ſua non vi-* *Deſideria triſtitiæ cauſſa.*

dentur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt. hanc Epicuri ſententiam ſic accommodat Seneca, *miſer eſt, qui ſe non beatiſſimum iudicat, licet imperet mundo*. additque. *vt ſcias autem hos ſenſus communes eſſe, natura ſcilicet dictante apud Poetam amicum inuenies*.

Epiſt. 9.

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat

Publius.

Igitur miſeri, ac triſtes omnes ſumus, quis enim in mundo omnia, quæ cupiat conſequitur, aut habet. Aſſentitur Socrates, negabunt Stoici quorum ſapiens nunquam eſt miſer. lege paradoxa Ciceronis, lege Senecam apud Lipſium in manuductione ad ſtoicam diſciplinam plurima reperies. Non miror hæc ſomniaſſe Stoicos, miror Scepticos, miror Epicureos. Stilponis ſceptici vox eſt illa apud Senecam. *Omnia bona mea mecum ſunt*. Hanc his reſponſionem dedit Regi Demetrio interroganti numquid perdidiſſet. Perdiderat autem Patriam tum ab ipſo Poliorcete captam, atque direptam; amiſerat liberos, amiſerat vxorem, fortunaſque ſuas omnes, & ſolus ab incendio publico exibat, *& tamen*, vt ait Seneca, *beatus*. Hoc Stilponis dictum Bias etiam vnus ex ſeptem græciæ Philoſophis vſurpauit, vt eſt in Cicerone.

Stob. ſer. 97. Parad. 2. & 6. Epiſt. 10. Lib. 3. Epiſt. 10.

Nihil videlicet hi extra ſe cupiebant; nam

Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſollicitat mare
Nec ſæuus arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hædi.

Horat. l. 3. od. 1.

Animus hominis diues, non arca appellari ſolet, & animus felix, aut triſtis eſt, non domus; quamuis hæc plena ſit, hominem ego, & dominum diuitem, beatumque non putabo, ſed infelicem, ac triſtem. Etenim ex eo quantum homini ſatis eſt metiuntur homines diuitiarum, beatitatis, triſtitiæ, infelicitatiſque modum. filiam quis nubilem habet, & viro maturam. pecunia patri opus eſt. duas. maiore. plures multo maiore. ſi ei vt Danao quinquaginta ſint filiæ, tot dotes permagnam quærent pecuniã. Quantum enim cuique ſat eſt, ad id accommodatur, vt ante dixi diuitiarum modus. Qui igitur non filias multas, ſed innumerabiles cupiditates domi ſuæ educat; hunc quomodo appellabis diuitem, aut felicem? cur illum non potius miſerum, ac triſtiſſimum prædices? Sed aduerſæ fortunæ impetus triſtitiarum cauſſæ ſunt propriæ, & ex propoſito ad eas inducentes. Mirum, cum voluptas ipſa triſtitiæ videatur inimica tamen triſtitiam parit. En Boetium.

Cupiditates quaſi filiæ nubiles.

Fortunæ impetus cauſſa triſtitiæ. Voluptas cauſſa triſtitiæ.

Habet hoc omnis voluptas
Stimulis agit furentes.
Apiumque par volantum
Vbi grata mella fudit.

Boet. de conſol. Phil.

Emendatus.

Fugit

Fugit, & minus tenaci
Ferit icta corda morſu.

Aurea, & ſententia, & ſimilitudo. in qua primum tria noto in ſecundo verſu pro furentes, legendum videri, fruentes, in tertio apium, quanquam in vſu ſit frequentiore apum, tamen latinum eſſe, & Varroni aliјſque vſurpatum. demum pro minus tenaci in penultimo verſu vellem, magis tenaci; vult enim Boetius oſtendere ex breuibus voluptatum illecebris diuturniores ſequi triſtitiæ morſus.

Hinc Ariſtoteles vt ad euitandas voluptatum delitias incitaret, aiebat ipſas conſiderari oportere. *Vt abeuntes, quas quidem ſic oſtendendo minuit. feſſas enim pœnitentiaque plenas animis noſtris ſubiecit, quo minus cupide repetantur.*

Voluptates quomodo conſiderandæ ex Ariſtotele. Val. Max. l. 7. c. 2.

Præſente gaudio dies eſt, & ſol nitet, poſt diem, & ſolem tenebræ, triſtitia. *Dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur. funeſtatur mundi honor. omnis ſubſtantia denigratur. Sordent, ſtupent, ſilent cuncta, vbique iuſtitium eſt, quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur.* hæc Tertullianus habet de ſole, & die. Tu ad gaudia, & triſtitiam applica, & rectè iudicabis dixiſſe Tobiam. *Quale gaudium poteſt eſſe mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video*, & hic quidem ſolum oculorum lumen, gaudiumque amiſerat: quæ vero eſſe poſſunt, & quantæ tenebræ, ei qui gaudia, & ſenſus, & animæ perdiderit?

Voluptas vt dies quam nox triſtitia ſequitur.

Tertull. de reſurrectione. Tob. c.

Eſt alia etiam, quam mireris, triſtitiæ cauſſa, quæ nam vero illa? ſapientia. ſic enim dixit ſapiens. *Dedi cor meum, vt ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroreſque, & ſtultitiam, & cognoui, quod in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritus, eo quod in multa ſapientia, multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam, addit & laborem*, alij legunt *dolorem*. Scio cauſſam dolendi à ſcientia variè à varijs intelligi. Interpretis chaldæi expoſitio illa eſt. *Namque vir*, inquit, *qui multiplicat ſapientiam, quando peccat. & non conuertitur ad ſapientiam, multiplicat indignationem à Domino, & qui addit ſcientiam, & moritur in pueritia ſua, addit dolorem propinquis ſuis*. Aliorum. *Ei ſcilicet qui ſcientiarum acquiſitioni operam nauet*, quæ ſuaptè natura occultiſſimæ ſũt, labores multos exantlandos. in iras, & triſtitias magnas incidendum. Alij ſenſum Salomonis eum eſſe dicunt quo quis in ſcientijs maiores fecerit progreſſus, eo ſe longius diſtare cognoſcit, à perfecta ſapientia, ergo dolet, & triſtatur mirificè. Alij ſapientiam, & ſcientiam in viris, eas poſſidentibus, acuere quam maximè aciem mentis ad videnda hominum peſſimorum ſcelera contra Deum, & Rempublicam, hinc dolores haurire quam plurimos. Alij demum, quod ad rem noſtram facit maximè, ſenſum hunc adhibere videntur. Hominis vita per ſe vanitas, & afflictio ſpiritus eſt. triſtitiæ plena, niſi etiam fons. Qui ſcientiæ expers eſt, miſe-

Sapientia triſtitiæ cauſſa. Eccleſiaſt. c. 3.

Loci huius expoſitio multiplex.

miſerias is ſuas peruidere non poteſt; atque adeo minus ſentire, ac minus miſer eſſe videtur. ſcientia miſeriorem facit, cum ad triſtitias cognoſcendas perſpicaciores oculos habeat. Rectè enim Euripides. *Intelligo autem*, inquit, *quæ patior*, *& hoc ipſum non leue malum eſt. Ignorantia enim voluptatis aliquid habet, & inſcitia lucrum eſt in rebus aduerſis*. Acutiſſimè Iſaias. cum dolores Chriſti domini maximos, & incomparabiles fore, vellet oſtendere, vocauit illum *virum dolorum*, *& ſcientem infirmitatem*, hoc eſt afflictionem ſuam. quaſi diceret, vir dolorum erit Chriſtus, & in regno omnium dolentium ipſe ſceptrum, & principatum geret, ſed ex eo maximè quia ſuos dolores ſciet metiri, atque æſtimare quanti, & quam graues ſint.

Euripid.

Ignorantia doloris expers.

Iſai. cap 51.

SECTIO IV.

DE EFFECTIS TRISTITIÆ.

Nemo non triſtis, triſtitia in omni ætate. Infantia, puerilitatis Adoleſcentiæ triſtitiæ propriæ. Hæc nauis inſtar. Fortunæ vi in hominem; ea potentior Ioue, ea adultera. Triſtitiæ effecta. primum negligit curam corporis Tacitus expoſitus, ac correctus, alter effectus ſolitudo. mæſtis cur odio lux. Iaponum in luctu mos. Octauiæ mærentis ſolitudo. Seneca explicatus cauſſa luctus in Octauia. Triſtitiæ ſummæ cauſſa. Hecubæ luctus, effectus triſtitiæ oris deiectio. an hac oſtendenda? fortuna aduerſa ſuperanda ferendo. Aeoli fabula ad id explicata. Rex lux, & ſol populis. is ſi triſtis quid operatur in illis. Rex qualis Rex apum. Aeneæ timor excuſatus. hic fortis in mærore. Dauidis nimium mærentis exemplum periculoſum.

NIſi fallor actum ago, & in re manifeſta operam ludo. quis enim homo non in ſe tales aliquando imò frequenter effectus perſentiſcit? *Dies autem ipſe perpetuo ſecum triſtitias affert* ait Poſidippus, hoc eſt à prima hominis luce ad vitæ veſperam. Hem quid eo infelicius; quid triſtius, dum naſcitur? A lacrimis & vagitu viuendi ſtadia auſpicatur, & hæc non ſunt effecta doloris? faſciatur infans, vincitur, ligatur in pœnam ſolum quia natus. an culpa fuit enaſci? deponitur terræ, & veluti compoſitus ac depoſitus ante quam auras videt, inter deſideratos cenſetur, & iſthæc omnia non à triſtitia, vel ad triſtitiam?

Stobeus ſer. 97. Triſtitiæ effectus manifeſti, & frequentes multi. Ab initio hominis ad finem

Qui in infantia.

Abijt infantia, & reptare per domum puer occepit. quanti illum morbi à natura? quanti caſus à caſu? & puer quidem dolores ſuos aliquantulum ſentit quos ætatula per ignorantiam deminuit quid parentes? quorum amor ingens, & ſcientia cum annis acutior?

Qui in pueritia.

tior ? itaque ſi domus, & coniugium liberis careat, triſte, ſi abundet eo triſtius; nam dolorum, & cauſſæ, & occaſiones frequentiores.

Succedit adoleſcentia, campus ad triſtitiam patens,& præceps. quantis hæc roſa aculeis dolorum, quot ærumnarum vepretis circumuallatur, vellicatur ? Ipſe adoleſcens diſciplinæ impatientia adigitur pœne in deſperationem. amorum qui illud æui exagitant æſtu. violentiaque abreptus, eget, pallet, vigilat. febreſcit, ardeſcit, in iras, in rixas, in furta in cædes abit. quantus hinc, diui boni, triſtitiarum cumulus ? & ex his malorum aceruus?

Qui in adoleſcentia.

Et naues quidem, quæ alto mari curſum inſtituunt non tam frequenter aduerſis ventis impelluntur. quod ſi quando improuiſa tempeſtas ingruerit; contractis nunc velis, ac depreſſis furorem eludunt, aut iactis in profundum anchoris ſubſiſtunt, aut ſeſe celeriter in portum, aut ſtationem aliquam conijciunt. Demum, ſi quid implacabili cœlo deterius acciderit, quod euitari omnino peritus gubernator haud potuerit, iactura mercium pericula redimit, raro in naufragium, & in ſcopulos itur.

Comparatur naui ventis agitatæ.

Citiùm quid in nauium venti curſum
Marcinum per profundum dirigunt. At mortalium fortunam
Magnam, ad nihilum tandem longum tempus
Redigit. minorem vero auget.

Euripides apud Stobæum ſer. 101.

Quid ais longum tempus ? fortuna auara, Daniſta eſt. Vſuras exigit. Kalendarium habet, imò diarium, & ephemeridas. Kalendæ illi prolixæ, moroſæ, annus ſunt, in dies, in horas fores pulſat, fœnus expectat, imo eripit. *Homo profectò nihil omnino, quam ipſa calamitas eſt, & fortuna* vt Bion aiebat, *diuitibus pecunias non donauit, ſed mutuo dedit*, neque vero ea vlli vnquam homini quidquã dedit, aut contulit liberaliter, fraudulenta eſt, & vafre ſuum ingenium diſſimulat, liberalitatem ſimulat, permutas cum illa, & verſuram facis, non hæreditatem adis, aut patrimonium, neque vero eſt porta diuitiarum tam firma ſeruis tam munita repagulis, quam non impetu fortuna ſuo diruat, ac deſtruat. Non ſola aggreditur, neque ſola ingreditur comitantibus multis bellum infert, & accedit, quid aurem illam accedere dico, quaſi procul fuerit, quæ ad fores tuas aduigilat eaſque pulſat. Vntu? fortunæ auxiliarias cohortes de ſpecula tanquam olim Priamus cum Helena græcas,& nuper Solimanus cum Herminia Chriſtianas agnoſcere ? iniuriam, morbum, naufragium, furta, inimicitias, delationes, lites, & poſt hæc, paupertatem, exilia, infamiam, triſtitiam, deſperationem.

Hominis miſeria

Herodotus l. 1. Stobæus ſer. 103. A fortunæ leuitate, & inconſtantia.

Ab iis, quæ ipſã comitantur, & quæ hæc ſint.

Homerus Iliad. Taſſus in ſua Hieruſalem.

Incluſam Danaen turris ahenea
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis

Horat. l. 3. od. 16.

Noc-

Nocturnis ab adulteris
Si non Acriſium virginis abditę
Cuſtodem pauidum Iuppiter, & Venus
Riſiſſent.

Fortunæ vis, & impetus.

Violentior eſt fortuna hoc Ioue, omnia perrumpit obſtacula nihil infractum, inacceſſum habet, & ſi quando ſe in aurum ingreſſa permutat, adulterinum eſt, ne crede. Mox euaneſcet, & triſtitiam relinquet. Sed & Adultera fortuna eſt; nulli fidem ſeruat. omnibus ſpondet; non nubit, ſed meretriculatur, & in proſtibulis ſubſeda, nunquam conſtans, ſemper amans cum odio, & cum triſtitia.

Infidelitas.
Eius amor cum odio.

Triſtis fortunæ effectus primus negligentia.

Primus triſtitiæ effectus; negligentia curandi corporis eſt, & rerum neceſſariarum incuria, imo ſordium, & lugubrium curadiligens. in funeribus non priuatis modò, veſtimentorum commutationes; ſed & publicos luctus domi, militiæque infert. ſic in Germanici funere. *Pręcedebant*, inquit Tacitus, *incomita ſigna, verſi faſces, atque vbi colonias tranſgrederentur, Atrata plebs; trabeati equites* quem locum more ſuo illuſtrat Lipſius addens, quod ad rem eſt *In dolore omnia fieri præter morem*: Hæreo in eo verbo. Trabeati equites, de quo ſic lipſius: *Trabea quid ad luctum? imo contra. vtebantur ea in diebus ſollemnibus lętiſque, deniquè nuſquam trabea in luctu. Credo igitur*, inquit, *veſtem hanc ſumptam hic non doloris indicium, ſed ordinis ad diſcriminandum in coloniis equitem à plebe, ſplendorem funeri conciliandum, trabeę ſumptę*: Hæreo adhuc, mi Lipſi, neque te ſequor præeuntem. Dolor hic à Tacito, & luctus deſcribitur, non ſplendor, neque tam locus erat diſcriminandi equitis, ac plebis, quam confundendi præ dolore inclino. vt legam *Intrabeati equites*, & particulam illam In, facile perſcribentium inſcitiam deleram; vt enim ſignis ornamenta auulſa; & plebs veſtitu ſuo ſpoliata; ita eques trabea ſua depoſita nihil penſi habere ſuum decorem oſtentans.

Tacitus 1. annal.

Expoſitus à Lipſio.

A nobis aliter explicatus, & correctus.

Secundus. Solitudo.

Alius mos in triſtitia cum priuata tum publica, ſecretum; ſolitudinemque amari, forum frequentiamque vitari. Triſtibus enim ſol ipſe, & lux in odio eſt, & tanquam tenebras amantibus, quæ lumine diſſipentur, officere ſibi illud quam maxime, deputant, atque adeo ab illo abhorrent. præclarè Chriſoſt. *Occidit*, inquit, *illis ſol in meridie, non tanquam ſidere diſſipato, neque tanquam ſe huius curſus eſſet inſcius, ſed quod in mæroribus animia conſtituta, etiam diei lucem noctem putaret. lucem pro nocte habent, quamobrem illam deuitant mærentes, qui noctem amant*. Amant illi noctem, tamquam ſuis mœroribus amicam, fauentemque, atque idcirco eam, pro ſua luce, & ſole amplectuntur; ſolem ipſum, qui tenebras diſpellit, & mœroris nubes liquefacit, tenebrarum loco accipiunt, ſibique aduerſantium. hic ſenſus eſt Chriſoſtomi. Quo magis Iaponicum hominum morem demiror, qui in funeribus ſuorum, non pulla veſ-

Chriſoſtomus.

Mœrentibus cur lux odio habita.

Chriſoſt Ep.7.

te

te duæ tenebras refert, ſed candida, quæ luci magis conuenit adoperiant. Niſi forte per hunc colorem, qui inelaboratus eſt, & naturalis, negligentiam omnis apparatus oſtentent, & ſola ſint naturæ, integumento contenti, nullo artis fuco quæſito, ſed vero audiamus quid de Octauia Octauiani ſorore Seneca ſcribat, cui cum Marcellus filius in ipſo ætatis flore ſublatus morte fuiſſet, optime ſpei, & ad Imperium auunculi natus atque optatus adoleſcens mater mœrore prorſus occupata. *Tenebris*. inquit, *inter alia, & ſolitudini familiariſſima, ne ad fratrem quidem reſpiciens, carmina celebrandæ Marcelli memoriæ compoſita, aliosque ſtudiorum honores reiecit, & aures ſuas aduerſus omne ſolatium clauſit. A ſolemnibus officijs ſeducta, & ipſam magnitudinis fraternæ nimis circum lucentem fortunam exoſa, defodit ſe, & abdidit*. & alia quæ ſequuntur.

Senec conſol:t ad Martiam c. 2.

Octauiæ mærentis ſolitudinis exemplum.

Sed quod carmina in honorem Marcelli ſcripta reſpuerit, id à Tacito dictum puto, propter Virgiliana præcipue. ſcripſit enim Virgilius in ſexto quædam de Marcello ad quæ cum inter eum librum recitandum deueniſſet Octauia defeciſſe legitur apud Donatum in vita Poetæ. Illud à Seneca præclare dictum. *Circum lucentem fortunam exoſa*. Quemadmodum enim ijs, qui ophtalmia laborant ſi in apertum proferantur lux ipſa, quæ valentibus ſolet eſſe gratiſſima, moleſta, ac incommoda videtur, aut ſicut noctuis, ac veſpertilionibus vſuuenit, vt quoniam debilitate oculorum laborant, non niſi veſpertinis, & ante lucanis horis auolent ad cibos aucupandos, ita qui triſtes ſunt, cum mentis aciem infirmam ægramque gerant proſperis aliorum, ac veluti circumfulgentibus fortunis offenduntur, præſertim ſi mœroris cauſſa non ab amore rei amiſſæ ſolum exoriatur, ſed ab impotentia, ac ſuperbia, quemadmodum in Octauia accidit, cui mœror non ex Marcelli filij iactura, ſed ex Imperij ſpe amiſſa, atque euacuata, quam ipſa animo iam deuorarat, obuenit. *Oderat*, inquit Seneca, *omnes matres, & in Liuiam maximè furebat, quia videbatur ad illius filium tranſiſſe, ſibi promiſſa felicitas*.

Seneca de fortuna circumlucētis ꝓpuberto duobus exemplis locus explicatur.

Octauiæ luctus, & ſolitudinis præcipua cauſſa.

Summa nec inficias iero, dolendi cauſſa, atque triſtandi eſt à ſumma ſe felicitate deiectum videre, & ſuper caſui viuere. Itaque rectè Chorus Troadum apud Senecam.

Triſtitia magna cauſſa quæ.

Senec. in Troade.

Felix Priamus
Dicimus omnes, ſecum excedens
Sua regna tulit. nunc elyſij
Nemoris tutis errat in vmbris
Interque pias felix animas
Hectora quærit. felix Priamus
Felix quiſquis bello moriens
Omnia ſecum conſumpta videt.

 Nimi-

Cum ſolo miſerus moriens non ita miſer.

Nimirum quamuis regni ſui vaſtationem, deflagrationemque rex aſpiciat, ſi tamen & ipſe immoritur, & regni ſui ruinis, tanquam nobiliſſimo tumulo vtitur, &

Idem.

Liber manes
Vadit ad imos, nec foret vnquam
Vincta Graium ceruice iugum.

Sed qui imperij excidium oculis contemplatur ſuis quo nam hunc in gradu miſeriarum collocabis?

Quis huic alio infelicitatis genere ærumnoſus adæquabitur? *Ego ille quondam opulentus*. inquit Rex quidam. *olim* quidem feliciſſimus, poſtea autem in miſeriam adactus, *repente contritus ſum*. Vis eius dolores audire? *ſed quid agam?* ſi loquutus fuero non quieſcit dolor meus, & ſi tacuero non recedet à me. nunc autem oppreſſit me dolor meus, & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei. *Nunc autem in memet ipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis*. ſane non tantum triſtitiarum ex præſenti corporis ægritudine, quantum ex præterita fœlicitatis memoria hauriebat. Sed & Hecubæ, vt ad Senecam reuertar, verba ſunt.

Iob. c. 16.

Iob. c. 30.

Senec. in Troade.

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos
Animumque rebus credulum lætis dedit
Me videat, & te Troia.

Hecuba luctus ingens ſuperueniens regno exciſo.

Me ſcilicet viuentem, videntemque. & te Troia, de cuius eg[o] imperio proſtrato deiecta adhuc ſuperſtes vitam traduco. & hin[c] quam atrociſſimè excrucior.

Quæ maior triſtitia ex poſſeſſis amiſſis an ex certa ſpe poſſidendi deperdita.

Verum vtra maior triſtitia, illa ne, quæ ex regno poſſeſſo iam ſed amiſſo, an quæ ex ſpe certa regni adipiſcendi, ſed deiecta ſu[-] ſcipitur, quemadmodum in Octauia accidit.

Ambigua ſanè atque anceps diſquiſitio, in qua vtramque in partem argumenta rationeſque ſuppetunt. ſed ſi regnare felicius eſt, quam regnum expectare, & regnandi ſpes eo dulcis, quod fo[-] re quis ſperet, vt aliquando de ſpe ad rem regnumque perueniat, quis neget maiorem ineſſe in regni, quam in ſpei deiectione triſtitiam?

Effectus triſtitiæ oris vultuſque deiectio.

An homini triſtitiam in vultu oſtentare debeat.

Præſertim ſi Rēp. gubernet.

Effectus triſtitiæ eſt oris deiectio, pallor in vultu, contractio eiuſdem, & totius corporis quidam quaſi torpor, & horror ſqualidus, ac macilentus internos animi deiecti, atque oppreſſi indicans mœrores inexhauſtos. Quæri in præſentia ab aliquo poſſet hiccine iuſtitiæ effectus admittendus vnquam homini eſt, an omnino reijciendus? ita vt nunquam molliter, aut familiariter, & vt ita dicam muliebriter quiſquam, ſed temperatè ſemper, ac viriliter, & pro ictibus fortunæ quas nihilominus ſentit, minus doleat.

Prolixa diſceptatio eſt, ſi per ſingulos hominum ſtatus, perqu[-]

vniuer-

vniuerſas, quæ accidere poſſint, calamitates eundem ſit. Solos Principes viros ſeligamus, qui cum imperio, ac poteſtate alijs præſunt. Et ſane his ora vultuſque non ex animi ſui priuata ſententia colorandi, ſed ex officio, ac debito muneris quod gerunt, contra proprium ſenſum, ad vſum tamen reipublicæ fingendi. prudenter enim, *Non debuit*, inquit, *ille cum Prætor eſſet ſuum negotium agere*.

Triſtitia quam fieri poteſt ſupprimenda viro Principi.

Cic. in Piſon.

Sed generale in præſens præceptum eſto. Dolor nullus tantus eſt, cui ut foras prodeat totus permittatur, occulenda eius aliqua pars, ac ſuffocanda ne ab externis in os, ac vultum impreſſionibus animus occubuiſſe videatur.

Nullus dolor foris totus patefaciendus.

Quidquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Virg. l. 1. Aen.

Superanda, inquam, neque committendum vt deuaſtatis rebus tuis, & quæ circa te ſunt omnibus, te idſum in tuo vultu ſuperet, vince illam patiendi robore, ac ferendi; & conſtanti eſto vultu, atque impauido. Obſiſte ne arcem oris tui ſuis cuniculis debilitet, neue palloribus impreſſis victoriæ de te ſigna conſcribat. Eſto.

Superanda eſt aduerſa fortuna.

Duris vt Ilex tonſa bipennibus
Per damna, per cædes, ab ipſo
Sumit opes, animumque ferro.

Hor. l. 6. od.

In omnibus autem etiam damnoſiſſimis hoſtilis fortunæ congreſſionibus, Regum, Imperatorum Imperantiumque animi eo ſunt pacto in ore, in vultu, in geſtu componendi. quo Aeolum Regem compoſuit Virgilius.

Aeolus Rex Regibus exemplum.

Hic vaſto Rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, & vinclis, & carcere frenat.

Aen. 1.

Ventorum nomine, perturbationes animi appellat. Animus antrum eſt, & quidem vaſtum, atque inſcrutabile. Mens in eo regnat, & frænandarum perturbationum officium exercet, quæ intus in animo coercenda, ne in os erumpant, & illæ quidem.

Venti quid ſignẽt Antrum, & Aeolus quid.

Indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

Hoc eſt, impetum faciunt vt exeant, impellunt animum vt frangant, in arcto, & anguſto comprimi indignantur. Verum.

Celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.

Et venti quidem furunt; viri autem Principis conſilia in eo omnia verſantur ne erumpant, aut ne cum impetu erumpant, opprimantque omnia.

Ni faciat, maria, ac terras, cælumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum verrantque per auras.

Iure ſuo populi à Regibus depoſcunt quemadmodum à Sole mundus lucem. niſi hanc preſtent, fruſtra altiſſimum ſuper om-

Populi à Rege lucem poſcunt, vt à Sole mundus.

nes locum, & hunc non diu occupant. *qui enim præſunt* verba ſunt Bedę Venerabilis in gloſſa ad prouerbia, *ſi volunt eſſe firmum ſolium ſuum, ſemper hilaritate, & gratia plenos vultus, exhibeant ne per arrogantiam rigidiores effecti, plebis alium incurrant*. neque enimuero ex ſola animi arrogantia, & rigiditate alium plebis incurritur; triſtis, ac turbulentus vultus hilaritatem ex ore depellens quemdam in populis terrorem ingenerat, à quo metus, & odia naſcuntur; ab his primum muta quædam muſſatio in plebe, & ſilentium valde loquax, tum repentini clamores, ac tumultus. Rex ergo talis eſto.

Beda in prouerb.

Rex triſtis quid in populis operetur.

Qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciat dare iuſſus habenas.

Rector qualis eſſe debet alijs, & ſibi.

Non alijs modo ſed & ſibi, & vultui ſuo. Qui vrbes armis expugnant ſolent in editiſſimis locis vexilla in ſignum victoriæ collocare, quo quicumque aduerſariorum ea conſpiciunt debellata omnia cum intellexerint, animos, atque arma deponant. ita ſi in vultu Principis veluti in alto excelſoque faſtigio ſeſe mæſtitudo explicauerit, quid quæſo præſidij, aut conſilij reliquum erit ciuibus, ac populis, quorum ſalus ex illa arce pendet vniuerſa.

Rex apum qualis

Regem apes habent ſuum cuius nutu reguntur, aſpectuque gaudent, atque animantur omnes. idcirco aſpectabiliorem ceteris illum natura formauit.

Virg. Geor. 4.

Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes
Et ſepe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant pulcramque petunt per vulnera mortem.

Fac hunc langueſcere, & morbo forte aliquo de ſua alacritate deficere, ilico Reſpublica omnis apum tam bene compacta tam familiariter coagmentata, tam aſſiduè communiterque collaborans, diſſoluitur.

Rege incolumi meas omnibus vna.
Amiſſo rupere fidem.

Regi apum, Principes ſimiles ſūt. Senec. ep. Princeps vinculum pacis in Republica.

Hoc exemplum Seneca ad Imperatorem, & Imperia tranſtulit, ille eſt enim vinculum, per quod Reſpublica coeret, ille ſpiritus vitalis quem hæc tot millia trahunt nihil ipſa per ſe futura ſi mens illa Imperij ſubtrahatur. mens hæc tum demum incolumis, & conſtans ſibi eſſe creditur, dum eius vultus triſtitijs, ac meroribus nequaquam defædentur.

Aeneas in naufragio timet.

Inciderat in fædiſſimam tempeſtatem cum ſua claſſe nauigans in Italiam Aeneas ventis vndique conſpirantibus nulla ſpes euadendi ſuperarat, præſentemque viris intentabant omnia mortem.

Aeneid. l. 1.

Extemplo Aeneæ ſoluuntur frigore membra
Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert.

Timorem hunc quidā accuſant.

Non deſunt, qui talem in Aeneæ Principis, atque omnium

Troia-

Troianorum Regis vultu pallorem hunc accuſent, & ſoluta frigore, ac defecta ſanguine membra carpant tanquam rem Imperatore indignam, ſunt etiam, qui excuſent, & eſt ſane excuſationi locus, immo & laudi. timor enim ille, & frigus in ora dulcis Phrigij pallorem inducens diſpungitur fortitudine orationis tam magnanimæ ex ore eiuſdem prodeuntis.

Sed eſt laudabilis.

Oterque quaterque beati. Et quæ ſequuntur manifeſta

Aeneid. l. 1.
Aeneas non ſibi, ſed alijs timet.

Animi omni fortuna ſuperioris indicia. itaque pallor ille, & metus quicumque emicuit in vultu Principis non de Principe, ſed de Populi, & claſſis incolumitate fuit, atque adeo pietatis, & fortitudinis index laudeque excipiendus: quod manifeſtum etiam inde eſt. Aeneas enim poſt ſociorum miſerabile naufragium dum portum cum claſſis ſuæ reliquijs ijſque vehementiſſime iactatis tenet, & ſocij.

Egreſſi optata potiuntur Troes arena
Et ſale tabentes artus in littora ponunt.

Aen. l. 1.

Quanta vſus eſt animi fortitudine, quantam vultus alacritatem adhibuit, cum omnium eſſet mæſtiſſimus; qua diligentia, & liberalitate epulas apparari curauit ad mçrorem eorum depellendum? oratio autem ipſius quam plena conſolationis, & Principe digna fortiſſimo? cum

Idem in mærore magno fortis, liberalis, & alios cõſolans.

Dictis mærentia pectora mulcet
O ſocij neque enim ignari ſumus ante malorum
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

Sed tu inter hæc vehementiſſimos fuiſſe dolores Aeneæ internos ſcito quos tamen ne in vultum aliquid palloris, aut mæroris Principe viro indigni effunderent, prudentiſſimè, nec minus fortiter impediuit.

Corde mærens vultu hilaris.

Curis ingentibus æger
Spem vultu ſimulat premit altum corde dolorem.

Indue diſſimilem (Oratio eſt Senecæ ad Polibium) *animo vultum, & ſi potes, proijce omnem ex toto dolorem: ſin minus, introrſus abde, & contine, ne appareat: & da operàm, vt fratres tui te imitentur.*

Senec. de conſol. ad Polyb.

Exemplum tibi proponam ex Sacra Regum hiſtoria luculentum, ac patens, quantum à vultu Principis populorum quies dependeat. Abſalon Dauidis filius contra Patrem inſurrexerat, cum exercitu maximo ad eum appugnandum magnis itineribus conuolabat Regnum ſibi adepturus, parenti vitam ſceleratè, atque impiè adempturus. Dauidem, non multi quidem, ſed fidiſſimus quiſque fortiſſimuſque ſequebatur. Committitur prælium, victoria pro innocentia ſtetit, Filius perduellis transfoſſus telis pœnas debitas luit, exercitus Dauidis pœna concinens ad Regem redit. Rex Regem ſe oblitus,

Lib. 2. Reg. c. 19.

Lib. 2. Reg. c. 20.

litus,

litus, Patremque indutus filium Abſalonem dum luget deperditum; ita molliter ſe gerit, vt diſſimulare neſciret. *Operui enim caput ſuum, & clamabat voce magna Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi*. neque id vero clam, aut ad horam. diuturnus mæror fuit, & manifeſtus. *Contriſtatus enim Rex. aſcendit cœnaculum portæ, & fleuit*; ſi Dauidem, ſi patrem, ſi hominem conſideras, ſuccurret fortaſſe excuſatio aliqua tanti doloris in illo. Sed ſi Regem iuſtum, ac prudentem; populorumque rectorem; vereor vt vlla poſſit illum tam indulgenter palam triſtandi cauſſa defendere. Audi qua hunc oratione obiurgauit Ioab, exercitus ductor. neque vero integram orationem tranſcribo, ſed partem. *Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatisfac ſeruis tuis: iuro enim tibi per dominum, quod ſi non exieris, ne vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac.* Nempe ſi Rex mærore ſe nimio opprimat, populis lux deerit, nox vero ingruet, & ad ſua quiſque rege demiſſo abit.

LIBER

LIBER SEXTVS.

DE SPEI PERTVRBATIONE.

HVC ad ſis ſpes alma tuo me protege amictu; non illa caduca, & fortunæ fallacis filia fallax: ſed conſtans fidelis à Deo veniens in Deum ferens. Huc adſis, quæ me infantem pupillum ſinu fouiſti. & in exteris agentem terris educaſti, prouexiſti, quam in meis corporis animique ægritudinibus alumnam matrem ſum ſemper expertus. qua monente, atque adiuuante ſuffurabar negotijs horas, & veluti ſubſecabam, quas ſtudijs hiſce in ſpem tuam impenderem, neque me, ò, mea feſelliſti. nunc huic meo labori eſto, ò ſpes corona ſertum ornamentum, hic te locus me libente in opere meo excipiat, tu mihi apud Deum ſpei, & conſolationis patrem, locum optatum volens aperias.

SECTIO I.

QVID SIT SPES.

Definitionis communis cenſura: alia allata. de arduitate in ſpe reiecta quorumdam opinio. Item alia aliorum validè: expectatio quid; quid arduitas: ea in obiecto ſpei duplex: natura in beſtijs meticuloſis, ſolers: de Plinio, & Lucretio iudicium: Conſilium ſine ſpe nullum: Atheorum, Stoicorum, Epicureorum ſunt ſpes aliqua.

SPES eſſe dicitur. *Appetitus excellentis boni, cum fiducia obtinendi.* Quid neceſſe eſt fiduciam apponere, quæ aut idem eſt cum ſpe, aut videtur præſupponere in intellectu fidem, & credulitatem quamdam adipiſcendi? eo præſertim quod in brutis fiducia non ſit, ſpes autem ſit. *Quid ſpes.* *S.Th. 1.2. qu. 40. ar. 2 ad 2.*

Excellentia boni neceſſario admittitur, ſignificat enim arduitatem, & difficultatem quamdam in bono conſequendo poſitam, ad quam exſuperandam ſpes inſurgit. Quamobrem quo clarius ſpei natura cognoſcatur, ita eius definitio ſtatuatur. *Spes eſt motus appetitus iraſcibilis ad bonum arduum poſſibile acquiri, & futurum.* *Spei definitio alia.*

Per arduitatem differt à cupiditate, ſeu deſiderio, vt docuimus cum Sancto Thoma, nunc hæc arduitas in re præſenti explicanda ſupereſt. quidam exiſtimant per hanc non conſtitui eſſentialem diffe- *Quid arduitas in ſpe.*

Aliquorum explicatio iam reiecta.

differentiam, ſed ſolum accidentalem, quandoquidem arduitas malum quidpiam eſt, quare conſtituere in ſpe rationem formalem nequit. his abundè reſponſum eſt.

Aliorum alia. Vaſq 1. p. diſ. 44. n. 4. Becan. Turrian. Raynaud.

Volunt autem aliqui arduitatem ſpei in eo eſſe, quod acquiſitio obiecti pendeat ab alio potentiore, & ſuperiore, in cuius poteſtate ſit præſtare, aut impedire eius conſecutionem: quæ quidem poteſtas, ſeu facultas facit, vt ille dicatur in re propoſita ſuperior, & potentior, etiam ſi alijs deinde rationibus ſit re vera ſuperior, vt Deus, vt Rex, vt Pater: ſiue non ſit, vt famulus, vt filius, vt vxor; habent enim hi facultatem, & voluntatem liberam, qua abſolutè poſſunt, ſi velint, etiam nolentibus illis, obſiſtere, atque ne id quod ſperant, conſequantur, impedire. Solius Dei comparatione nemo vnquam homo facultatem nactus eſt vllam, qua eius poſſit reſiſtere voluntati, qua de re apud Theologos latè agitur. Contra hanc expoſitionem acriter inuehitur recentior quidam.

Alijs diſplicet. Lorca 2. 2. ſect. 2. n. 17. diſt. 1.

Et nobis etiam.

Quæ neque mihi arridet; primum quia Sanctus Thomas hanc ſpem, cuius arduitas ſit, tanquam ab aliquo ſuperiore pendens, vocat expectationem. propriè enim dicitur expectare, qui ſperat in auxilio virtutis alienæ, dicitur enim expectare, quaſi ex alio ſpectare. At verò Sancto Thomæ non omnis ſpes eſt expectatio, & tamen omnis ſpes eſt ardua; igitur non omnis arduitas verſatur in auxilio, aut impedimento potentioris, aut ſuperioris.

Quid ſit expectatio. 1. 2. qu. 40. art. 2.

Rurſum ſecunda expoſitio arduitatis exploditur.

Præterea eſſe quædam ardua non dependentia ex alterius auxilio, aut impedimento patet, non in hominibus ſolum, ſed in beſtijs ipſis ſperantibus. vt in cane ſperante ſe iam iam aſſecuturum leporem non nimis diſtantem; aut in eodem cane per odorem inueſtigante, & ſperante propinquam prædam.

Reſpondent quidam, canem tunc non aliter ſe habere, quam ſi interſtantem cum baculo aliquem videret à quo eſſet abigendus, ſi inſiſtat inſecutioni leporis. Ridicula reſponſio, & animalis, ſeu puerilis potius. fugeret ſanè canis, ſi id in phantaſia ei, quis imprimeret. at ille tunc hilarior, & velocior apparet, & clamores, quos edit lætitiæ eſſe videntur, non timoris, credibilius affingerent cani quodammodo apparere aliquem inter ſe, & leporem, qui hunc ſtimulet, atque adiuuet ad fugam, & vt eum obtegat à periculo; ſic enim acuitur magis curſus, & ſolertia canis, & tamen arduitas oriretur ab aliquo impediente. Hæc autem reſponſio nimis acuta eſt, vt poſtea dicam.

Præterea valido argumento.

Vlterius nulla res, ne minima quidem, aut maxima ſperari ab homine dicitur, quam ſtatim in ſua habeat poteſtate, ſi velit; vt Sanctus Thomas docet, ſed nulla res ne minima quidem non à Dei voluntate, ac poteſtate pendet valente impedire, ne ſtatim, aut ne vllo modo fiat. Quod in multis ſæpe factis præſtitum videmus.

mus. vt ſpuere, ridere, hiare, hiſcere, ſpirare, ire, redire, ergo hæc etiam ſperantur Quis autem hæc ſperare dicitur ob hanc rationē, quia eorum executio pendet à Deo potente impedire. Neque vis argumenti effugitur, ſi dicatur exinde hæc non eſſe ſub ſpe, quia certum homini eſt cauſſam vniuerſalem non deeſſe ad exigentiam cauſſarum particularium. Nam, vt dixi ſæpe hæc impedita repentino vidimus; & nulla afferri cauſſa, aut fingi poteſt. Cur non à Dei libera voluntate pendeamus.

Alia arduitatis expoſitio reijcitur Lorca ſupra.

Neq; vero declaratio illa nobis cordi eſt, quæ arduitatem omnem ſpei ponit in ipſo ſolo obiecto, quod in ſe habere debeat hanc difficultatē, vt ſpes ſudet in illo. Nā S. Thomas expectationem, quæ pars ſpei eſt, vult eſſe illam, cuius obiectum, eiuſque poſſibilitas, & acquiſitio pendeat ex alterius auxilio, impedimentoue.

Quid ſit arduitas.

Declaranda igitur eſt arduitas obiecti ſpei, ſpei, inquam, quæ ſit perturbatio animæ enaſcēs ab appetitu ſenſitiuo iraſcibili. id quod hoc fiet pacto Arduitas, ſeu difficultas debet eminere, atque emicare in bono obiecto, ita vt, id, quod ſperandum eſt, dicatur eſſe, aut apparere tanquam acquiſitu difficile, & ſedulam operam ſperantis exigens. Hoc docet Sanctus Thomas. Hæc autem arduitas poteſt eſſe intrinſeca, & innata ipſi obiecto non dependens ab alio potente illam tollere, vel ponere, ſi velit. ſicut accidit in lepore, quando eſt obiectum canis veſtigantis, aut ſequentis. lepus enim in ſe ipſo talem habet inclinationem, facultatem, aut aſtum, vt facile ſe ab oculis inſequentium ſubducat, quem natura, quamuis ad menſas, & vſum hominum factum voluit, huiuſmodi tamen finxit, vt ſe tueri poſſet. Is enim pernicitate pedum pollet velociſſima, & fugiendo ingenium non in pedibus ſolum habet, ſed in ingenio, modo enim cum recto curſu ſe iturum demonſtrauit, & canes eo impetu poſt ſe inſequentes vidit, repente curſum, vel retorquet in latus, vel intra obuiam glebam penetrans abrumpit; canes vero ſuo impetu delati præda, & ſpe prædæ deſtituuntur. Huic concolorem terræ pilum conceſſit, & infra pedum plantas etiam appoſuit, ne inter gradiendum ſentiatur, huic vt ſomnos captaret leuiſſimos, vt patentibus obdormiſceret oculis datum. Eodem ſe modo habent obiecta nautarum in tempeſtatibus ſummis, tranquilla ſperantium. Venatorum, aucupum, piſcatorum, cetariorum, agricolarum in ſuis, quæ à ſuperiore potente impedimentum creare, non pendent. A Deo, inquies; ſed tu paulo ante cauſſam vniuerſalē cauſabaris nūquā deficiētē particularibus. Vnde ſpē ridendi, ſpuēdi auferebas: cur ego ad eam nunc tanquam ad machinam recurris?

1.2.q.40.art.1.

Vna obiecto intrinſeca.

De lepore.

Ariſt. hiſt. l. 1. c. 11.

Plin. l. 8. c. 55.

Sed fac homines hoſce ſperantes Stoicos, Epicureos, Atheos eſſe; primi enim fato omnia ferri, alteri Deum inferiora non curare, tertij Deum nullum eſſe autumant. igitur hi non ſperabunt? igitur illi nunquam quicquam ſperauerunt?

Plinius atheus fuiſſe videtur. l. 2. c. 7. & alibi Tamen ſpes in eo erat.

An Plinius, qui ſe inter Atheos ponit ipſe, cum claſſis præfectus in magna maris tempeſtate nauigaret in timoribus Nauarchi, quem confirmabat, ipſe, nulla interim ſpe niteretur? An cum Veſuuium aſcenderet, ſine ſpe ibat deſcendendi? An cum Veſuuio ſæuiente conſilium captabat cum amicis eundum ne, an ibidem commorandum eſſet, ea conſilia ſine ſpe erant, cum ſine ſpe conſilia nulla ineantur?

Sine ſpe conſilium nullum.

Epicureorum de Deo doctrina eſt.

Lucr. II.

Omnis enim per ſe deuum natura neceſſe eſt,
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaque longe.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri.
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Lucretio Epicureo ſpes.

Ita Lucretius ex ipſis vnus. & tamen hunc hominem ſpes tetigere multæ.

Non me animi fallit quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor.

Plutarc. Sympoſ. 4. 6. 4.

Stoicis Elpiſticorum quidem ſpes non placuit, omnia in ſpe ſola ponentium, eaque vna contineri vitam aientium, vnde, & nomen à ſpe ſunt ſortiti. Sed ſpes metu temperata non diſplicuit, vt ſcilicet in ſecundis nemo confidat, in aduerſis nemo diffidat; quandoque dixit Venuſinus.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus.

Arduitas altera obiecto extrinſeca

Poteſt etiam arduitas in obiecto ſpei eſſe non intrinſeca, ſed aliunde, & ab alio aſcita. quod & Sanctus Thomas fatetur, & patet. Poteſt enim vir ſtrenuus, & fortis ab Imperatore ſuo, & Rege præmium ſperare, poteſt filius à patre hæreditatem locupletem, ſeruus à Domino libertatem, poteſt ægrotus à medico potum frigidæ, valetudinem, amicus ab amico ſubſidium, beneficium.

1. 2. qu. 23. ar. 1.
1. p. q. 81. ar. 1.

Hæc tamen arduitas, quæ ab extrinſeco in obiectum profluit, perinde ſe habet reſpectu ſpei, ac ſi obiecto intima eſſet. Iam enim per hanc eleuatur ſupra facultatem ordinariam eius, qui eſt ſperaturus. quod Sanctus Thomas docet.

SECTIO II.

QVA RATIONE SPES SIT DE FVTVRO.

Hoc duplex: illa de præſenti non eſt. an de eo quod ſolum eſſe poteſt? nequaquam. Tibullus elucidatus. Spes cur credula eius vituperationes, & laudes non nullæ: ſpes eſt de eo quod

fore

fore creditur, licet nunquam ſit. Eius, & deſiderij diſcrimen. reiecti quidam. Sententia verior. an illa in brutis? reſponſio duplex.

POteſt accipi futurum, vt ei, quod præſens eſt opponitur; Et hoc pacto ſpes ſemper eſt de futuro, nunquam de præſenti. qua ratione diſcriminatur à gaudio, quod tunc exoritur cum rem deſideratam, aut ſperatam, veluti manu tenemus. Itaque exurgente gaudio, ſpes emoritur, ſuo defuncta munere conſequendi ſcilicet eius boni, quod nondum præſens erat, vulgatum eſt illud Auguſtini, *Cum adeſt res, non eſt ſpes*.

Futurum duplici ratione capitur.

Spes de præſenti non eſt.

Alia ratione futurum dicitur id, quod poteſt aliquando præſens eſſe, ſiue deinde erit, ſiue non erit, at ſpes non ſolum fertur in rem hoc poſteriore modo futuram, ſed quæ vlterius acquirenda ſit Nemo enim ex eo ſolo rem quampiam ſperauerit, quia poteſt illam adipiſci, ſed quam ſperando ſit adepturus. ſic Ariſtoteles dixit *ſpem eſſe futurorum*, & Poeta ſpei verba eſſe illa dixit *Cras melius fore*. cui affine eſt illud arbitri. *Quod hodie non eſt, cras erit, ſic vita truditur.* Sed afferamus carmen Tibulli integrum, eſt enim dignum.

An ſpes ſit de eo, quod poteſt ſolum eſſe.

Nequaquam.

Ex Ariſtot. l. 1. Rhet. c. 10. l. 2. ca. 12.

Arbiter. Satyr.

Tibul. Eleg.

Iam mala finiſſem leto, ſed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore ſemper ait.

Quid eſt illud *credula?* An quia id, quod nunquam erit, ipſa tamen credit fore, ſibi ipſi adblandiens, & fucum faciens? & quaſi de ſecura poſſeſſione rei bonæ ſomnians? nam & illud.

Sperantium ſomnium ſpes eſt.

An qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Virg. eclog.

Sperantibus etiam ſomniare datur ab Epicteto, qui *ſpem vigilantium ſomnium* vocat, *& ſomnia fallaci ludunt temeraria nocte*. Ciceroni *fallaces, & inanes humanæ ſpes ſunt, & nauigijs ſimiles, quæ medio ſæpè curſu franguntur*. Seneca *ſpem incerti nomen boni appellat*, ſed Archilochus *Malum*, vocat, *à Ioue hominibus datum.* Cur verò malum? an quia fallax? an quia longa, *& ſpes longa reſecanda*, iuxta Horatium, *& ſpes quæ differtur affligit animam?* Sed Tertullianus ideo hominibus ſpem datam dicit, *vt haberent conſolatricem domeſticam, & leuarentur in tot moleſtijs. ipſam*, ait, *eſſe alimentum animarum.* Quamobrem nihil eſſe ſpe communius hominibus pronunciauit Thales Philoſophus. hanc enim etiam illi habent, qui præterea, nihil. nam ſpes mentibus anxijs ſuccurrit, & vadem ſe præſtat fortunæ melioris. Ex his manifeſtum eſt ſpem non eſſe ſemper eius rei, quæ reuera præſens erit, ſed eius, quæ re vera credatur eſſe futura, quæ tamen quandoque ſperantem fallit, neque vnquam erit. Ita ſpes. modo in laude eſt, modo in vituperio.

Epictetus.

Tibull.

Cic. de orat. 2.

Sen. ep. 10.

Stobæus ſer. 109.

Hor. l. 1. od. 11.

Eccleſ.

Tertull de pudic.

Stob ſupra.

Spes eſt de eo, quod creditur fore quamuis non erit.

Atque hæc credulitas tam arcte coniuncta ſpei eſt, vt credatur ab aliquibus eſſe ratio diſtinguens ſpem à deſiderio efficaci. Vtraque enim paſſio fertur in futurum, ſed ſpes eſt cum appre-

Spes à deſiderio quomodo diſtinguatur ex quibuſdam.

 hen-

henſione, ſeu credulitate, quod res futura ſit, imo aiunt ipſum efficax deſiderium ſi adſit illa credulitas eſſe actum ſpei. Male, ita me Deus amet, nam ſpes non eſſet in parte animæ iraſcibili, neque differret eſſentialiter à deſiderio, ſed tantum ex accidente per aliquid ipſum antecedens, aut conſequens. Si enim quidpiam deſidero tanquam quod poſſim conſequi, & deinde credo illum me conſecuturum, anteibit deſiderium credulati, ſin vero prius credo, poſtea deſidero, poſtibit, & deſiderium, ſiue anterius, ſiue poſterius credulitate in ſe ipſo varietatem accipit nullam, quapropter à ſpe nonniſi accidentaliter differet, per aliquid, quod ſibi accidentarium eſt.

Reijciuntur.

Deſiderij, & ſpei diſcrimen verum

Verum res ita habet, ſicut amor fertur in rem tam abſentem, quam præſentem, ita deſiderium in rem, vel quæ poſſit ſolum eſſe futura, vel quæ ſit futura. ſpes autem eiuſdem rei non ſolum, vt quæ poſſit fieri, ſed etiam quæ reuera futura ſit, eſt appetitio vim habens exuperandi difficultates, quæ adeptioni impediendæ occurrunt. Itaque vtraque appetitio eſt quædam motio, aut itio in rem abſentem, & vtramque poteſt credulitas prædicta comitari; quid enim impedit deſiderantem credere ſua deſideria eſſe complenda, imò facilius deſiderio adiungitur hæc fides, quam ſpei, quæ nonniſi in arduis exiſtit.

An ſpes in brutis

Iam ſi credulitas vel iudicium de futuro ſpem comitatur, videbitur in brutis ſpes eſſe non poſſe, quis enim dixerit tale in beſtijs ineſſe vim, vt iudicium de re faciant, incitenturque ex eo ad bene ſperandum? Adde quod, neque poſſunt iudicare, an res fieri poſſit, vt manifeſtum eſt. Quidam huic quæſito reſpondet animantes quadam ſpe ſua ferri. quod exemplo Accipitris; & canis confirmat Sanctus Thomas. neque tamen neceſſe eſſe, vt ab ipſis apprehendatur ratio futuri; ſed ſatis eſſe, ſi rem abſentem apprehendant, vt ſibi bonam. qua poſita apprehenſione ex inſtinctu naturæ illis indito, incitari ſpe in rem tamquam futuram. Non ita habet de rei poſſibilitate, quam animantes ſua facultate apprehendunt, formantque notitiam quandam ipſius in particulari, vt docet Sanctus Thomas, ita cum Caetano Valentia.

Reſponſio quædã.

1.2.q.40.ar.3.& ad primum.

Reſponſio noſtra.

Mihi eodem pacto ratiocinandum videtur de apprehenſione rei poſſibilis, ac de futuræ; eadem enim ratio videtur vtriuſque. Intellectus ergo diuinus omnia inferiora gubernans tria appetituum genera rebus indidit, quaſdam ornauit appetitu rationali, hiſque dedit, vt de futuris rebus, deque his, quæ fieri poſſunt iudicarent, alijs appetitum conceſſit naturalem ſine vlla apprehenſione, qui non eſt aliud, quam inclinatio rei à natura inſita, qua inclinatione mouetur ad ſuum finem, & bonum, vt lapis, niſi detineatur, ad centrum, & aqua ad mare, ſuis enim elementa locis conquieſcunt, & hos naturaliter appetunt.

Ignea

Ignea conuexi vis, & ſine pondere cœli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus, eſt aër illi leuitate, locoque,
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt grauitate ſua, circumfluit humor
Vltima poſſedit, ſolidumque coercuit orbem. Ouid. Metam. l. 1

Eſt in animalibus tertium, ſeu medium appetitus genus, qui ſenſitiuam ſequitur apprehenſionem boni, & conuenientis eius, quod præſens eſt; cui naturæ ſentienti inſitus naturaliter inſtinctus eſt, vt bonum apprehendat, & appetitum moueat ad quærendum illud, ſi præſens non eſt, ſine diſcurſu, aut ratiocinatione vlla. vt Sanctus Thomas docet. Ibid. ad tertium.

SECTIO III.

IVVENTVS CVR FACILE SPERET.

Iuuenes ſpe faciles non ita ſenes, ex Ariſtotele: prima cauſſa calida natura: Sanctus Thomas ex Virgilio illuſtratus, & hic à nobis. Iuuentus ebria imo ebrietas. cor paruum, & magnum quid ſignet. Secunda cauſſa iuuentus multum habet de futuro: Explicatur: Iobi locis binis item alteri Ezechiæ lux data. Figulina, & textoria deſcriptio. Vita vas, & tela eſt. Tertia cauſſa inexperientia: an experientia auget, vel minuit ſpem? varia in vtramque partem.

DE hoc argumento loquens Ariſtoteles, *Iuuenes*, inquit, *bonæ ſpei ſunt, vt enim temulenti, ſic calidi ſunt iuuenes natura: Simul vero etiam, quia non dum in multis opinione lapſi ſunt, & viuunt vt plurimum, ſpe. Nam ſpes futuri eſt. memoria vero præteriti. Iuuenes autem futuri multum habent; præteriti parum; primo enim tempore ſe meminiſſe, nihil arbitrantur, ſperare autem omnia, & idonei ſunt, qui decipiantur ob id, quod dictum eſt. ſperant enim facile.* Hæc ille de iuuenibus. antea autem de ſenibus dixerat, eos ſcilicet malæ ſpei eſſe, *quia periti ſunt. nam vt plurimum res malæ ſunt: cadunt igitur plerumque in peius. Et præterea quia timidi. Et viuunt memoria magis, quam ſpe. Nam vita quod futurum eſt, exiguum eſt, præteritum vero multum. Eſt autem ſpes futuri. memoria vero præteritorum.* In comparatione duorum horum multa elucent declaratione digna.

L. 2. Rhet. ca. 12. Iuuenes ſpe faciles.

Senes ſpe difficiles

Primum iuuenes ex eo eſſe ſpei bonæ, ideſt, facile, vehementerque ſperantes, quia calidi ſunt. hoc ita à Sancto Thoma declaratur. *Iuuenes propter caliditatem naturæ habent multos ſpiritus, & ita in eis cor ampliatur; ex amplitudine autem cordis eſt, vt aliquis ad ardua tendat, & ideo iuuenes ſunt animoſi, & bonæ ſpei.* Ita magnus Doctor.

Cur iuuenes facile ſperent. Cauſſa prima 1. 2. q. 40. art. 6.

Quæ

Quæ magnopere illuſtrat Virgilius, dum iuuenis niſi ſpem explicat conceptam de Aenea adeundo.

Aen. 7. Virg. explicatus.

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt
Euriale, an ſua cuique Deus fit dira cupido?

Ardet. quia iuuenis. & ardet vehementiſſimè, ita, vt cœlo delapſus ignis eſſe credatur. hinc *Cupido*, ideſt ſpes *dira*. Quid eſt illud, dira? magna potens, bona ſpes. Tantam ſpem Ariſtoteles, illuſtrat ebriorum exemplo, quos alibi bene ſperantes appellat. de quibus Horatius ad Amphoram loquens ſic habet.

Eth. 3. c. 8. Ebrioſi ſperant.

Lib. 3. ode. 23.

Tu lene tormentum ingenio admoues,
Plerumque duro. Tu ſapientium
Curas, & arcanum iocoſo
Conſilium retegis lyæo,
Tu ſpem reducis mentibus anxijs
Vireſque, & addis cornua pauperi.

Et iuuentæ ſua ineſt ebrietas, niſi ipſa ſit mera ebrietas.

Iuuentus ebria.

Lib. 1. od. 16.

Me quoque pectoris, inquit Venuſinus,
Tentauit in dulci iuuenta
Feruor, & in celeres iambos
Miſit furentem.

Et alibi *calidum iuuenta* ſe fuiſſe dixit, & *feruidam* Seneca dixit *adoleſcentiam*. & quæ ardeat. Ouidius. Hic feruor in adoleſcente magnum, & amplum cor facit, atque adeo animoſum, vt Sanctus Thomas docuit. At Plinius audaciam tribuit, quibus paruum cor eſt. pauida eſſe, quibus prægrande, vnde muribus, lepori, aſino, ceruo, pantheræ, Muſtelis, Hyenis, & omnibus timidis, aut propter metum maleficis, maximum cor ineſt. Sed aliud eſt amplitudinem cordis cauſari ex feruore ſpirituum, qui cor ex ſe exiguum dilatant: aliud habere cor mole quidem magnum, & amplum, cui calefaciendo ſpiritus illi feruidi non ſufficiant, quod in timidis, & ſenibus ſolet accidere.

Senec. Oedip. Plin. l. 11. c. 37. Cor paruum, & cor magnum. Rhodig. l. 4. c. 13.

Altera ſperandi cauſſa in iuuenibus eſt, quia multum habent, aut habere ſe credunt de futuro, & circa futura ſpes verſatur. Nam iuuenes vitam ſemper ſibi longam, & hanc veluti ex debito, & iure ſuo ſibi promittunt. ne fruſtra in mundi theatrum producti à natura eſſe videantur. in hunc ſenſum querebatur Sanctus ille Iob. *Manus tuæ fecerunt me, & pſalmauerunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me?* quaſi dicat, non dum à me formando manum amouiſti, ſed etiamnum in digitis tuis argilla verſatur. adhuc ſupra rotam figularis creta conuoluitur, & in habitum hominis, ſimilitudinēque confingitur, & tu veluti operi tuo ſubiratus fictile hoc tuum imperfectum, impoſitum repentino impulſu de rota proijcis, & proiectum, fractumque de vitæ figlina præcipitas? Idem Iob paulo ante vitam ſuam operi textorio compararat. *Dies mei*

Cauſa 2. Iob. c. 10. Illuſtratus. Figulina deſcriptio.

mei velocius tranſierunt. quam à texente tela ſuccidituꝛ, & conſumpti sũt abſque vlla ſpe. quidam ſic vertunt, dies mei velocius fugiunt quam tela, & trama deficiente finiuntur.

Quod ipſum de ſe Ezechias Rex dixit. *Præciſa eſt velut à texente vita mea, & dum adhuc ordirer ſuccidit me, de mane vſque ad veſperam finies me: ſperabam vſque ad mane.* *Eſaia.*

Quam vero plena ſpei tela eſſet, ſi ſperare poſſet, dum penſa linea, aut ſerica ad textrinum in Calathis ferri videret, tum extrui textrinam, & iugo ſtamen inuolui, ac circum duci, tum capita pectini inſerta, vſque ad liciatorium protendi, atque in eo alligari ſcapo. Tum vero textricem aſſidentem alterna manu radium ſtamini hinc illinc immittentem tramam inſertantem, & telam ſubinde liciatorio conuoluentem operam paulatim, atque laborem ſuum producere. Quam lætabunda ſe tunc tela, & quanta ſpe hilaris, productionem ſuam expectaret ſic in mundi textrino fit. textris natura eſt; textura corpus, tela vita, hanc ordimur, cum naſcimur, ſtamini trama intuitur cum dies diei innectitur, & producitur tela vitæ per annos, & liciatorio temporis voluitur infantia primum, tum pueritia poſt adoleſcentia; in hac, quæ per ætatem cognoſcere incipit vitæ commoda, ſpes, diui boni, quam multæ, quam acutæ, quam vehementes inſurgunt? vitæ prorogandæ, honorum comparandorum, opum, pecuniæ, magiſtratus acquirendi. quæ omnia dum repente auferri abſe vident immane quantum debent, quantum quæruntur. *Textoria deſcriptio.* *Vita tela eſt.*

Tertia ſperandi cauſſa eſt inexperientia rerum. Adoleſcentes enim ſuorum deſideriorum repulſas non dum paſſi ſunt, neque impedimenta ſuis obſtantia cupiditatibus experti; itaque facile ſe omnia conſequi poſſe ſperant, neque pericula aduertunt, quamobrem plus habent deſiderij. Quod ſpectat ad hanc partem, quam ſpei quamquam ex alia cum calidiſſimæ naturæ ſint, atque ideo audaces, ac fortes, facillimè in illis potentia iraſcibilis ad ſperandum excitatur, atque adeo ad operandum quod ſpes præſtat. *Cauſſa ſperandi. Tertia.*

Sed quærendum occurrit, Augeat ne ſpem potius experientia, quam impediat; diſputabilis enim quæſtio eſt, & agitari dupliciter poteſt; primum vt quæratur an ad ſperandum inclinetur magis is, qui expertus eſt multa; an vero qui non dumeſt expertus. Et hanc quæſtionem diluiſſe videtur Ariſtoteles, cum dixit, Iuuenes bonæ ſpei eſſe, propter inexperientiam; ſenes verò malæ, propter experientiam, ſic vnus, idemque homo plurima in adoleſcente ætate ſperat, pauca timet, contra, ingraueſcentibus annis, multa timet, per pauca cupit, pœnè nulla ſperat. *Augeat ne an minuat ſpem experientia. Quæſtio duplex.* *Prima.*

Alter ſenſus quæſtionis eſt, vt ſecum ipſa comparetur experientia, quæraturque, an ipſa minuat potius, vel augeat ſpem. Sanctus Thomas augere potius docet, quam diminuere: Augere in homi- *Altera.*

S.Thom.indicit; homine ſpe ea dicuntur, quæ in eodem augent facultatem acquirendi, aut quod idem eſt, quæ faciunt res faciles factu, & acquiſitu, vel ſaltem, quæ inducunt in hominem, exiſtimationem quamdam poteſtatis, & facultatis rerum adipiſcendarum. Cum enim ſpes feratur in bona, quæ conſequi poſſumus, ſi nos nobis ineſſe videamus, aut exiſtimemus conſequendi facultatem facile in ſpem inducimur. Iam experientia inſtar Artis eſt, quæ facultatem tribuit, atque edocet, multa perficiendi, quæ ante experientiam homini difficillima erant. Ex hac igitur parte experientia ſpem in homine adauget. Rurſum experientia talis eſt, vt inferat etiam in hominis animum opinionem, quod plura fieri poſſint, & multa etiam fieri non poſſint. Ex hac itaque altera parte experientia perinde ſe habet ad ſpem minuendam, atque ad augendam. Igitur experientia auget magis ſpem, quam minuit; ex priore namque capite illam ſolum auget, ex poſteriore vero æque auget, ac minuit. Ita Sanctus Thomas. Et ſane experientia homini cauſſa fuit.

Experientia ſpem augeri.

Art.5.

Vt varias vſus meditando excuderet artes. &
Per varios vſus artem experientia fecit.

Virg. Georg. l. 1. Manil l. 1.

Vereor tamen, vt Sanctus Thomas mitior pro experientia iudicet, ego contra inclino; nam Ariſtoteles ait, *ſenes male ſpei eſſe, quia periti ſunt. Vt plurimum autem res malæ ſunt; cadunt igitur plerumque in peius.* Ex quo liquet, ſi per experientiam quis diſcat rem vnam, aut alteram poſſe ſperari, diſcet idem plures alias non poſſe.

Iudicium contrarium. Experientia ſpem minui.

Terent. Adelph.

Nunquam ita quiſque bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui:
Aliquid moneat, vt illa, quæ te ſcire credas, neſcias
Et ea, quæ tibi putaras prima, in experiundo repudies.

In his quidem, quæ expertus quis ſperat, fortius ſperat, & pericula minus metuit; nemo etenim facere metuit, quod bene ſe didiciſſe confidit. Sed & illud ſcio, *Vir in multis expertus cogitabit multa*; & videtur quodammodo experientia ex difficultatibus, quas ſentit etiam ſuperatis inducere timorem circa alia aggredienda. Iamvero qui ſunt hi, qui facile, ac multum ſperant? audaces, fortes, iuuenes, inexperti, fortunati, diuites, potentes, nobiles, hilares, ebrij, amantes, iracundi, cupidi, calidiores, ignari, cauſſæ ex dictis patent.

Prou.

Qui multum ſperant.

(:✱:)

SEC-

SECTIO IV.

DE DESPERATIONE.

Actus animæ ad illam tendentis multiplex: & in quo ſita ſit vera de hoc ſententia. Deſperationis obiectum. Definitio. bonũ quomodo obiectũ in ea, & quibuſdã alijs perturbationibus.

SPei opponitur deſperatio, cuius obſcura, & difficilis notitia adeo, vt nonnulli deſperent in deſperatione cognoſcenda; quæ tamen, vt percipiatur; exponendum videtur, quemadmodum anima deſperans procedat in actibus ſuis. Qui deſperatione premitur, is de bono, quod ab ſe acquiri non poteſt, deſperat, abijcitur enim ſpe eius comparandi, quod ita arduum ſit, vt eius facultates exſuperet. Igitur hic præter actum intellectus, quo iudicat illud bonum, eiuſque conſecutionem eſſe ſibi impoſſibilem; habet etiam actum aliquem voluntatis, quo impenſe diligit illud ipſum bonum actu proſecutiuo, quod tamen acquirere non valet. Atque hinc oritur nolitio quædam, ſeu odium impedimẽtorum tam arduorum, vt ſuperari nequeant. Qua ex nolitione magna ſuboritur triſtitia animum vehementer occupans.

Difficilem eſt deſperationẽ explicare.

Actiones animæ ad deſperationem euntis.

Intellectus iudicans de arduitate obiecti.

Voluntas amans obiectum.

Item odio habens media inefficacia.

Præterea ſe contriſtans ob hoc.

Opiniones de deſperationis actu.

Iam verò quidam deſperationem in eo primo actu intellectus collocant. Alij in ſecundo, qui eſt Voluntatis in amore proſecutiuo conſiſtens. Sunt etiam, qui in tertio odij, aut nolitionis impedimentorum; & tandem qui in poxtremo, qui eſt Mæror.

Ego in hac re mihi videor cum Sancto Thoma poſſe ita ratiocinari. Bonum arduum cognitum obiectum eſt ſpei, aut deſperationis, vt patet. Spes fertur in bonum ſub arduitate poſitum, quod tamen acquiri, & cuius arduitas vinci poteſt. Deſperatio recedit à bono, qui propter inuincibilem arduitatem comparari non poteſt. Obiectum ergo formale Deſperationis eſt arduitas, ſeu difficultas inſuperabilis ſita in eo bono, quod amatur, & vehementer quidem. Itaque actus deſperationis ſupponit intellectionem arduitatis in bono, & actum Amoris, & deſiderij eiuſdem boni, in quo arduitas apparet, vt Sanctus Thomas docet.

S. Thoma, & noſtra ſententia.

Deſperationis obiectum.

Eſt autem ipſa receſſus à bono arduo, quia re vera quamuis homo bonum illud amet, cupiatque, tamen fugit arduitatem, quæ in illo eſt, quod dum facit, fugit etiam à bono, quod amat. fugit autem non per actum voluntatis odio habentis, id quod amabat, ſed per actum ceſſationis inueſtigandi bonum illud, & per nolitionem earum difficultatum, quæ cum ipſo bono ſunt intime coniunctæ. Quare materialiter ſe habet bonum ad hanc fugam, ſiuè vt aliquid ſubſtratum formali ob-

Quid ſit deſperatio.

Bonum quomodò obiectum deſperationis.

obiecto deſperationis, quod eſt difficultas, aut arduitas inſuperabilis, vel demum ſe habet vt obiectum terminans actum amoris, & deſiderij, qui neceſſario præhaberi debet ante ipſam deſperationem. Neque enim quiſquam deſperare vnquam dicitur de re quapiam adipiſcenda, cuius ille nunquam amore exarſit.

Et aliquorum perturbationum.

Itaque propter horum duorum actuum coniunctionem communi tamen loquendo modo obiectum deſperationis eſſe dicitur bonum acquiſitu impoſſibile. quin imò ſi prima fronte, & veluti in cortice deſperatio conſideretur videbitur pro principali obiecto habere bonum ipſum à quo recedit, ſicut ſpes habet id ipſum, ad quod accedit bonum. ſicut audacia, quæ prima parte reſpicere videtur malum, contra quod inſurgit cum re vera obiectum audaciæ bonum aliquod ſit. Atque in hoc ſenſu loquitur Sáctus Thomas cum audaciæ pro obiecto tribuit malum, & deſperationi bonum.

SECTIO V.

DESPERATIONIS EFFECTA.

Deſperatio mala. quid illa. eius quidam effectus, exemplo declarantur. Præcipuus effectus vitæ ſpontanea priuatio. quæ vt terribilis, tamen ſacilis. Senecæ, & Horatij loci collati. Deſperantium confugium mors. Adagium ad id. An per deſperationem ſe licet occidere? Plinij, Senecæ, ſtulta opinio. de Catone Vticenſi plura. hic à multis laudatus. ſed non laudandus. Horatij de eo ſenſus ambiguus. Ab Auguſtino accuſatur animi obiecti. Quæſtio propoſita ſoluitur cum Auguſtino, non licere. An vllo in alio euentu liceat. Remittitur ad Theologos Auguſtini ſenſus. Non eſſe deſperandum. Teucri factum, & oratio in deſperationis euentu. In eodem Oratio Aeneæ; ex deſperatione ſalus quàndoque, ſed eſt effectus fortuitus, Virgilius illuſtratus. Themiſtoclis dictum. Auſonij verſus ad rem.

Chriſ. hom. 6. de pœnit. Deſperatio mala eſt. Quænam ſit deſperatio.

DEſperatio mala ſemper eſt, & ſi Chriſoſtomo fides, *nihil ea deterius*. neque vero, ſi quem ſpei, aut amoris pœniteat, quo erga quidpiam ferebatur amatum, is deſperare dicetur, qui cum amorem ſimul cum ſpe obtinendi depoſuit: ſed pœnitentiam ſui amoris ſuſcepti laudabilem, aut vituperio dignam, ſponte ſuſcipere. Deſperare is dicitur, qui idcirco quod conſequi rem concupitam non potuit eo procedit, vt amore retento, ſed ſpe depoſita conſequendi, mœrore, ac triſtitia obruatur. qui nonnunquam tanta mœſtitudine adigitur, vt volens nolenſue damnum

num ſibi aliquod, aut in animo, aut in corpore, aut in re familiari turpiter inferat. Ita effecta deſperationis enumerari ſolent, facultatum diſſipatio, amicorum deſertio, odium tædiumne familiæ, faſtidium conſolationis, & medicinæ. ſui ipſius inhumana tractatio, ſæuitia in ſuos, altiſſima ſocordia, ſolitudo, immanitas, inquies mentis. Amentia. *Effecta deſperationis.*

En illum Menedemum, patrem quidem ſeuerum, ſed amantem filij, ac prouidum, quo abduxit deſperationis mæror ex filio vnico, quem genuerat in longinquas regiones, propter patris obiurgationes abeunt, & clam patre, in Aſiam profecto.

Vbi comperi ex his, qui ei fuere conſcij *Ter. Actaut. act. 1. ſc. 1.*
Domum reuertor mæſtus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine *Exemplum hominis deſperātis.*
Aſſido. accurrunt ſerui: ſoccos detrahunt:
Video alios feſtinare, lectos ſternere.
Cenam apparare: pro ſe quiſque ſedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Vbi video hæc cœpi cogitare. hem tot mea *Cum effectis deſperationis.*
Solius ſolliciti ſunt cauſſa, vt me vnum expleant?
Ancillæ tot veſtiant? ſumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſed gnatum vnicum
Quem pariter vti his decuit, aut etiam amplius
Quod illa ætas magis ad hæc vtenda idonea eſt,
Eum ego eieci, hinc miſerum iniuſtitia mea.
Malo quidem me dignum quouis deputem
Si id faciam: nam vſque dum ille vitam illam colet
Inopem carens patria ob meas iniurias
Interea vſque illi de me ſupplicium dabo
Laborans, quærens, parcens, illi ſeruiens,
Ita facio prorſus nihil relinquo in ædibus
Nec vas, nec veſtimentum; conraſi omnia
Ancillas, ſeruos, niſi eos, qui opere ruſtico
Faciundo, facile ſumptum exerceant ſuum,
Omnes produxi, ac vendidi: inſcripſi ilico
Aedes mercede: quaſi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus ſum: hic me exerceo
Decreui tantiſper me minus iniuriæ
Chreme me meo gnato facere, dum ſiam miſer
Nec fas eſſe vlla me voluptate hic frui
Niſi vbi ille ſaluus redierit meus particeps.

Vides amantem genitorem, ſed de reditu filij, quam minimè ſperantem, ac proinde ægritudine mæſtitiaque perturbatum, omnium tædere omnia diſtrahere, diuendere, ſolitudinem quærere, animo deficere, ac pœne ſeipſum vita ſpoliare, *Epilogus effectorum.* *Præcipuus deſperationis effectus*

Sed ecce alium.

Tibull. El.

Iam mala finiſſem leto. ſed credula vitam
Spes fouet, & melius cras fore ſemper ait.

Seſe interimere. Ariſt. 3. Ethic. c. 6.

Videlicet interitus violentus, ac præceps, quamquam grauiſſimum malum eſt *mors enim*, teſte Philoſopho *vltimum hoc eſt ſummum terribilium* eſt, tamen is ante omnia deſperantibus occurrit: in hac ſe mortis ſinu conquieturos putant. Hinc illud Comici tanquam adagium vulgo receptum. *Ad reſtim res redijt.* videlicet deſperata res eſt. En quemadmodum miſeros alloquitur ille. *Quid gemis demens? quid expectas vt te, aut hoſtis aliquis per exitium gentis tuæ vindicet; aut Rex à longinquo potens aduolet? Quocumque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum? illuc ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem, breuem retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides iugulum tuum guttur tuum? effugia ſeruitutis ſunt. Nimis mihi operoſos exitus monſtras, & multum animi, ac roboris exigentes. Quæris quod ſit ad libertatem iter? Quælibet in corpore tuo vena.* Hæc Seneca, qui ad ſuam libertatem, hoc vltimum elegit iter, videlicet facillimum, quippe ſenex iam & multi æui, ac propterea operoſorum exituum, & multum roboris exigentium itineribus impar. Sed non defuere, qui dicerent idcirco à Seneca electam venarum ſectionem, moroſum lentumque ad mortem iter, ſi forte interea Neronem pœnituiſſet mandati.

Terent. Phorm. Sen. l. 3. de ira c. 15.

Via ad hoc mala.

Tacit. Ann.

Hor. l. 3. od. 27.

Iam vero orationi Senecæ componamus elegantiſſimum Horatij carmen. in quo Europam ab Ioue in Taurum verſo raptam, ac propterea deſperantem, luctu mæroreque oppreſſam loquentem facit.

Europa deſperano.

Vilis Europe pater vrget abſens
Quid mori ceſſas? potes hac ab orno
Pendulum Zona bene te ſequta
Elidere collum.
Siue te rupes, & acuta letho
Saxa delectant; age te procellæ
Crede veloci: niſi herile mauis
Carpere penſum
Regius ſanguis, dominæque tradi
Barbara pellex.

Pl. l. 7. c. 5.

Vere Plinius de morbis agens hominem infeſtantibus. *Tot*, inquit, *periculorum genera, tot morbi, tot metus, toties inuocata morte, vt nullum frequentius ſit votum. Natura vero nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius.*

Mortis votum frequens.

An laudabile ſit ſe per deſperationem accidere. S. Aug. de C. D. lib. 1.

An vero ſeipſum de vitâ per deſperationem quoquomodo deturbare, res ſit aliquando laudabilis, ac decora, quæſtio eſt apud Senecam frequentius propoſita; & apud S. Auguſtinum tractata, & in-

& inter recentiorum ſcriptorum plurimos agitata. Plinius in his, quæ Dei ſunt ſtultiſſimus, cum contra ſit in rebus naturæ indagãdis ſolertiſſimus affirmantem ſequitur partem. *Mortem*, inquit, *ſibi poſſe conſciſcere, natura dedit homini optimum in tantis vitæ pœnis.* Quod ſi quis fuerit ſenſus hac in re Senecæ, præter ea, quæ allata ſunt quæque in Epiſtola 23. iuxta Moreti ordinationem late ſcribit, hæc etiam quæ ſequuntur, oſtendent nempe cum Catone Vticenſi, qui ſe ipſe accidit, ſermonem infert. *Quantum in illo vigoris, ac ſpiritus, quantum in publica trepidatione fiducia eſt? Scit ſe vnum eſſe de cuius ſtatu non agatur; non quæri an liber Cato, ſed an inter liberos ſit. Inde periculorum gladiorumque contemptus lib. t admirantem inuictam conſtantiam viri inter publicas ruinas non labantis dicere. Luxuriatque toris animoſum pectus. placet narrare, & exponere Catonis illud vltimum, ac fortiſſimum vulnus, per quod liber amiſit animam.* Hæc de Catone Seneca, cuius penultimum verbum emendandum puto, neque enim Catoanimam amittere dici rectè potuit, qui ſponte illam dimittebat, ſed emittere potius conſonatque cum verbis illis ex Ep. 23. ſpiritum non emiſit, ſed eiecit. quod exaggerando virtutis Catonianæ gratia dixit. Alio loco idem ſcriptor, *Accipe hunc.* inquit, *M. Catonem recentiorem cumque, & infeſtius fortuna egit, & pertinacius: cui cum omnibus locis obſtitiſſet, nouiſſimè, & in morte: oſtendit tamen virum fortem poſſe inuita fortuna viuere, inuita mori.* Orationis huius ſenſus is eſt; Catoni cum ſe ferro percuteret fortunam obſtitiſſe, ne altius vulnus infligeret ſibi; aditumque ad mortem ſtatim patefaceret, ſed illum cum poſtea vulnus manibus ſuis diſcerpendo præſtitiſſet amplius, mortuum eſſe etiam in vita fortuna ſed alia fortaſſe cauſſa eſt cur non profundius ferrum infixerit, quam fortuna, quam excutere ſuperfluum ſit.

Pl. l. 2. c. 7. Ait Plinius.

Sen. Ep 95. Ait Seneca.

Catonis Vticenſis laudes.

Ep. 104.

Senec. illuſtratus.

Mortem Catonis nemo antiquorum quis non celebrauit. Horatius nobile lætum Cicero præclarum appellat. Valerius Clariſſimum exceſſum fortiſſima vulnera. At, quorſum, inquies abduceris ab quæſtione propoſita? An per deſperationis Cato potius quam per fortitudinem diem intercidit ſuum? Non abducor. quin inſiſto. Deſperatio fuit, ſed fortitudinis adoperta pallio. detexit fortaſſe aliquantulum, aut certe voluit Horatius cum appellauit *Atrocem animum Catonis*. Atrox enim conſtantem, & imperterritum ſignificat; quod fortitudinis eſt, ſed crudelem, & obſtinatum quod eſt vitij accedentis ad deſperationem. Sed quid quod D. Auguſtinus acutiſſimi vir ingenij, & ad indagandam veritatem naris ſagaciſſimæ factum Catonis timiditati aſcribit? *De cuius facto*, inquit, *quid potiſſimum dicam niſi quod amici eius etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius diſſuadebant; imbecillioris, quam fortioris animi facinus eſſe cenſuerunt: quo demonſtraretur non honeſtas turpia præcauens, ſed infirmitas aduerſa non ſuſtinens.* Doctos viros quos de nomi-

Hor. l. 1. od. 12.

Cic. ep. fam ad Papir. Pœtum & lib. 1. off. Valer. l. 3. Cato non fortis; ſed imbecillis.

S. Aug. l. 1. de C. D. cap. 23. Auguſtini ſententia de Catone.

Plut. in Catone.

nomine non appellat apud Plutarchum reperio Apollonidem, Stoicum, & Demetrium Peripateticum; nam quod Ludouicus inter doctos Cleantem medicum numerat fruſtra mihi eſt; libertus hic Catonis fuit, neque diſputationibus Philoſophicis intereſſe conſuetus. Sequitur autem Hipponenſis Antiſtes imbecillitatem Catonis probans. *Nam ſi turpe erat ſub victoria Cæſaris viuere cur auctor huius turpitudinis pater filio fuit, quem de Cæſaris benignitate omniā ſperare præcepit? Cur non, & illum ſecum coegit ad mortem.* Idem de Catone iudicium tulerat olim Brutus ille C. Cæſaris extinctor, & Romanæ libertatis quantum potuit, aſſertor. Eius verba referam ad Caſſium facta, paulo ante quam arma cōſererent cum Octauio, & Antonio. Adhuc cum iunior eſſem Caſſi, & rerum inexpertus, neſcio quomodo in Philoſophia ſermonem edidi magnum in quo aduerſus Catonem ſum inuectus, quod ſeipſum interemiſſet, tanquam nefas, & inhumanum eſſet fatis cedere, neque intrepide recipere, quæ contingunt, ſed ea fugere. Hæc apud Plutarchum Brutus. Verumtamen deflexit ipſe poſtea à veritate, & deſperatione adactus gladio incubuit, atque occubuit.

Bruti ſententia de Catone.

Plutar. in Bruto.

Aug. l. 1. C. D. c. 21. & c. 22.

Nunquam licet ſe occidere per deſperationem.

Verum enimuero quæſtionis propoſitæ nodum iam in hunc modum Africanus Doctor ſoluit. *His exceptis, quos vel lex iuxta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit. homicidij crimine innectitur. Et quicumque hac in ſeipſis perpetrauerunt, animi magnitudine fortaſſe mirandi, non ſapientiæ ſanitate laudandi ſunt. Quamquam ſi rationem diligentius conſulas; nec ipſa quidem animi magnitudo recte nominatur, vbi quiſque non valendo tolerare, vel queque aſpera, vel aliena peccata ſeipſe interemerit.*

Farinac. tom. 4. q. 128. à n. 1.

Ratio.

Auguſtinum ſequuntur Theologi, & Iuris vtriuſque Conſulti, quos laudat Farinacius. Nam præcepto diuino non occides; quod naturali etiam lumine notum eſt. Non ſolum ab alieno homicidio, ſed à proprio ſui ipſius eſt cauendum. Vitæ enim tuæ non tu dominus es, ſicut rei tuæ familiaris, ſed illa in ſolius Dei eſt dominatu. Animum quem Deus in corpus tanquam in ſuum domicilium intromiſit eijcere inde non tui iuris eſt, ſed Dei, neque enim corporis huius domicilia animus ipſe dominium habet, vſus tantum illi conceſſus fuit, vtatur eo, non diruat, non diſſipet, non peſſundet.

Aug. l. 1. c. 17. & 18

An aliās in euentibus licet.

Reſtat vero quærendum an vllo euentu liceat vitam ſibi præripere? Euentus eſſe poſſunt varij. Primus eſto ob pudicitiam corporis tuendam, quemadmodum puella nobiliſſima factum legimus, quæ capta Cypro cum in naui Bizantium ferenda, ac dono Imperatori illi danda, tamen adhuc in porta moraretur, iniecto igne ſe nauemque vniuerſam concremauit.

Deinde in pugna pro patriæ bono cum quis hoſtes inuadentes

videns obuiam occurrit cum armis ſecurus certæ occumbere morti. perinde enim eſt huic ab hoſtibus cæſo, ac ſi ſe ipſe occidiſſet. Præterea cum claſſis, & nauis cum hoſtili alia claſſe, aut naui pugnam conſerit, ſi pars altera peiores in bello partes eſſe ſuas videns, ignem in puppibus proprijs excitet, ſeque cum omni claſſe, & ſupellectile in cineres conuertat; ne in hoſtium manus incidens eos ditiores, ac potentiores ſuperbioreſque reddat.

Auguſtinus de ijs, quæ propter caſtitatem ſeruandam mortem ſibi conſciuerunt, *Quæ ſe*, inquit. *occiderunt, ne quidquam huiuſmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignoſci*. Itaque vir egregius Auguſtinus compati videtur, in hoc euentu ijs, qui per voluntarium interitum pudori corporum conſulunt, non tamen eorum cauſſam factumque defendere. De alijs euentibus conſule Theologorum varias ſententias. Nobis illud conficiendum in deſperationis euentu, qui in ſe manus coniecerit nefas, ac piaculum eſto: Igitur homini ſemper ſperandum. Teucer, & Aiax vir vterque fortiſſimus, fratres ex vno patre fuerunt, hi ambo in Troiam cum Græcis abierunt, Aiax occubuit Teucro ſuperſtite. Ob id in ſuſpicionem patris incidit, quaſi ipſe fratrem proditione interemiſſet. ergo adueniens Salamina, à patre primum maximis acerbiſſimoq; eſt exceptus opprobrijs, ac contumelijs, tum demum expulſus, atque eiectus è conſpectu parentis, & ſinu patriæ ipſe, & omnes ipſius ſocij. Quid hoc euentu ageret Teucer? quid ſocij? quibus poſt decennale exilium, alterum imminebat diuturnius. certe vniuerſi in deſperationem adacti, niſi Teucro ſpei animique ſcintilla ſuperaſſet. ſed audiamus primum patris irati iurgia ex Pacuuio apud Ciceronem.

Aug. negat.

Sed Conſule Theologos.

Non deſperandū.

Teucri exemplū.

Cic l. 2 de orat.

Oratio Patris ad Teucrum.

Segregare abs te auſus, aut ſine illo ſalamina ingredi?
Neque paternum aſpectum es veritus,
Quem ætate exacta indigum liberum
Laceraſti, orbaſti, extinxiſti, neque fratris necis
Neque gnati eius parui, qui tibi in tutelam eſt traditus?

His tamen in maximis animi anguſtijs Teucer hanc ad ſocios orationem habuiſſe fertur.

Hor. l. 1. od. 7.

Teucer Salamina patremque
Cum fugeret: tamen vda Lyæo
Tempora populea fertur vinxiſſe corona
Sic triſtes affatus amicos
Quo nos cumque feret melior fortuna parente
Ibimus ò ſocij, comiteſque
Nil deſperandum Teucro duce, & auſpice Teucro
Certus enim promiſit Apollo.
Ambiguam tellure noua Salamina futuram
O fortes, peioraque paſſi

Mecum

Mecum ſæpe viri nunc vino pellite curas
Cras ingens iterabimus æquor.

Sed de remedijs contra perturbationem deſperationis tertio in volumine pluribus eſt agendum.

Viri de ſua ſpe deturbati, ad eiuſdem viros oratio illa eſt.

Virg. Aen. l. 2. Aeneæ deſperantis oratio.

Iuuenes fortiſſima fruſtra
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi. quæ ſit rebus fortuna, videtis.
Exceſſere omnes adytis, ariſque relictis
Dij quibus imperium hoc ſteterat, ſuccurritis vrbi
Incenſa: moriamur, & in media arma ruamus.
Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Iſid. l. 1.

Orationem hanc quæ Aenææ eſt de incenſa iam patria deſperantis, & ſocios ad moriendum adhortantis, confuſam appellat Iſidorus quem etiam alij ſequuntur, ſed nulla in ea confuſio ineſſe videbitur, ſi verba illa, *Quæ ſit rebus fortuna*, & reliqua ad illud vſque *Moriamur*, parentheſi adhibita coerceantur. ſenſus autem eſt, O iuuenes pectore prædici fortiſſimo, ſed incaſſum, ſi vobis placet me ſequi non minus audentem vobis imo audentem ad extremum halitum, & mortem vſque; eia moriamur nam videtis quo ſint res noſtræ adductæ, Dij etiam nos deſeruere in quibus vrbis omnis fiducia; & vrbi ipſi iam incenſæ veſtrum auxilium fruſtra impenditur. moriamur ergo nam

Effectus deſperationis fortuitus.

Salus ex deſperatione ſalutis.

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem. ſcilicet.

Forte vnde minime ſpes fulget ſalutis, inde ſalus emerget.

Atque hic eſt fortuitus deſperationis effectus. Nam vt ait Ariſtoteles, à malo bonum non niſi ex accidenti. euenit; atque ita rarum. Virgilij ſententiam Curtius expreſſit. *Ignauiam, inquiens, neceſſitas acuit, & ſæpe deſperatio ſpei cauſſa eſt.* Ad hunc ſenſum ſpectant illa Iuſtini. *Non alia cauſſa victoriæ fuit, quam quod deſperauerunt.* & Velleij *ſpes deſperatione quæſita*.

Q. Curt. l. 5. Iuſtin. l. 2.

Vell. l. 3.

Themiſtoclis dictum celebre.

Huc etiam maximè facit illud Themiſtoclis *Perieramus niſi periſſemus*. Hic vir cum eſſet multis domi militiæque præclariſſimis virtutibus ornatus per inuidiam Athænis in exilium eiectus cum ad perſas, hoſtes Græcorum acerbiſſimos confugiſſet, vitam potius apud hos poſiturus, quam ſeruaturus, per benigne, ac liberaliter exceptus eſt ab Artaxerſe, & multis ad vitam cum omni hilaritate degendam ciuitatibus donatus; ergo conuerſus ad ſuos, qui ſequuti eum fuerant. Perieramus, inquit, niſi periſſemus. Lege Plutarchum. Conſonat huic; euentus hominis eius, quem cum Deſperatio ad funem cogeret, inuentorem fecit Theſauri.

Plut. in Themiſt.

Auſonius.

Theſauro inuento, qui limina mortis inibat
Liquit ouans laqueum quo periturus erat.
At qui, quod terra abdiderat, non repperit aurum;

Quem

Quem laqueum inuenit, nexuit, & periit.

Habes in hoc epigrammate exemplum vtriuſque effectus ex deſperatione prodeuntis. Ceterum nonnulla referuntur ab Hiſtoricis exempla eorum, qui cum inſanabili vlcere vexarētur abijſſentque in bellū, morte per eam occaſionē acerbitatem dolorum redempturi, cum eſſent ea in parte ab inimicis vulnerati, quam afflictam habebant, præter ſpem conualuere.

SECTIO VI.

DE AVDACIA.

Audax, & audens quid. Saluſtius defenſus. Auguſtinus excuſatus. Thomas explicatus. Audacia quomodo à ſpe diſcrepet. Obiectum eius Thomas iterum excuſatus. Ariſtotelis locus optimus ad rem. fortis, & audacis diſcrimen. Gallorum mos ex Ariſtotele. Item audacium. Ariſtoteles illuſtratus. Audaciæ, & fortitudinis diſcrimen. Plato explicatur. An audacia ſeruet medium. Ariſtoteli lux. ne quid nimis. Audaces verbo qui. talis Dranees. qui deſcriptus. Audax ſæpe etiam timidus. Fortitudinis, & timiditatis diuerſi effectus. Audaciæ effecta. Audax Turnus. in eo conſiderantur effecta audaciæ varia. Icarus audax vt iuuenis, Archidami dictum. Audacia vires excedit. Phætontis exemplum. eiuſdem audaciæ ſigna, & caſus.

SVper illud Poetæ, audentes fortuna iuuat, quidam ſic adnotāt ex veteribus grammaticis, *Audentes qui fortes, audaces temerarij ſunt, ſicut audentia fortitudinis. Audacia temeritatis eſt.* Sed falli plerumq; hoc diſcrimē aduertūt alij, & audaciam cum laude dici probāt. Et ſane miror in malā partē acceptū fuiſſe illud Saluſtij cū dixit, *ſēper in prælio his maximū periculū eſt, qui maximè timēt, Audacia pro muro habetur.* Nam quamquam in ſolo bello verſari Audaciam pronunciarit Ariſtoteles, ibidē tamen non ſemper temeraria eſt. *Quid audax, & audens, quid audacia, & audentia.* *Saluſtius defenſus.*

Bene Sanctus Thomas dum explicat illud Sancti Auguſtini aſſerentis audaciam vitium eſſe, aduertit, paſſionem omnem importare ordinem ad appetitum cum motu potētiæ in aliquod bonum, vel malum, vel ſecundum quod cum hoc motu adiūgit inordinationem quandam ab ordine rationis, & ſic eſt nomen vitij; eodem pacto audacia, & paſſio eſt indifferens ad bonum, & malū, & quandoque vitium, & virtus etiam nonnunquam, & qui ea ſic vtitur, poteſt dici *feliciter audax.* quod de Horatio dictum eſt à Quintiliano in alium tamen ſenſum. *S Auguſtinus Audaciam eſſe vitium ait. Explicatur à S. Thoma,* *Aliquando tamē virtus, & bona.*

Audacia definiri ſic poteſt. *Eſt motus appetitus iraſcibilis in aliquod opus arduum exiſtimatum vtile ad conſecutionem boni ſperati.* *Audacia definitio.*

E e Ita-

Quomodo à ſpe differt.

Itaque eius obiectum nequaquam malum eſt, ſed bonum, ſaltem apparens. nempè opus illud vtile fini conſequendo, & à ſpe differt, quia hæc verſatur circa bonum conſequendum, illa circa medium, quo bonum acquiritur. ſpes præcedit audaciam. Audacia ſpem conſequitur. Cum Sanctus Thomas ei pro obiecto aſſignat malum euertendum reſpicit, vt dictum eſt ad id quod primo aſpectu nomen audaciæ præbet, non ad rem intimè conſideratam, vt rectè adnotarunt Caietanus, & Valentia. Quod ex eo etiam patet; quia Ariſtoteles idem obiectum tribuit fortitudini, & confidentiæ, & audaciæ, niſi quod audaciam pro vitio acceptam, peccare dicit in circumſtantibus obiectum; qualia ſunt tempus, modus, & alia huiuſmodi: confidentiæ autem nomine intelligit Ariſtoteles audientiam moderatam. Audaciam veto tanquam vitium nominat. Sed præſtat eius verba tranſcribere quamquam multa, plurimum enim ad rem faciunt. *Honeſti igitur cauſſa vir fortis, & ſuffert, & agit omnia, quæ fortitudini conſentanea ſunt. Ex iis autem, qui modum ſuperant, is qui metus vacuitate ſuperat, caret nomine. eſſe autem multa, quibus impoſita nomina non eſſe ſupra diximus. Sed appellari poteſt vel inſanus quidam, vel doloris omnis expers, ſi nihil metuat, neque terræmotum, neque procellas, quales eſſe aiunt Gallos. Qui autem in eo modo ſuperat, quod in rebus formidoloſis præfidat audax eſt. Atque audax etiam arrogans eſſe, ſibique fortitudinis laudem ſumere videtur. Itaque quo ille animo eſt in rebus formidoloſis, eodem vult hic videri. Quibuſcumque igitur rebus poteſt, eum imitatur. Itaque fit etiã, vt plerique eorum timiditatem habeant cum audacia coniunctam. Nam cum in his ſe iactent, audaciamque oſtentent, res formidoloſas tamen non perferunt. At qui metuendo modum ſuperat, is ignauus, timiduſque vocatur. Nam & quæ metuenda non ſunt, & quemadmodum non ſunt, metuit, omniaque eiuſdem generis eum comitantur. confidendo quoque modum deſerit. Sed cum in doloribus, atque moleſtiis modum ſuperat, magis ſeſe indicat, ac prodit. Ab omni igitur ſpe ferè derelictus eſt ignauus: omnia enim pertimeſcit. fortis vero contra. hominis eſt enim bona ſpe freti, beneque ſperantis confidere. In iiſdem igitur rebus timidus, audax, & fortis verſantur. Sed non eodem modo in eas affecti ſunt. Illi enim modum tranſeunt, ac deſerũt: hic mediocritatem ſeruat, ſeſeque in his, vt debet, gerit. Atque audaces ſane præproperi ſunt, ac præcipites, periculumque ante quam in periculo verſentur, adire volunt. In ipſo autem periculo ſunt tardiores, & à ſententia deſiſtunt. At viri fortes in factis ipſis acres ſunt, & celeres, ante facta ſedaces, & quieti.* hæc ille.

S. Thomas explicatur aſſignans malum pro obiecto audaciæ.

Ariſtoteles.

Fortis, & audacis diſcrimen.

Gallorum natura minimè timida.

Audacium mores.

Illuſtratur Philoſophi dictum. Audacia à fortitudine diſcrepat.

Illuſtrandus mihi tantiſper videtur Ariſtoteles in iis, quæ affert ad diſcriminandum audacem à forti. Audacia perturbatio eſt à natura homini inſita, quæ poteſt tam bona prodire, quam mala, fortitudo virtus eſt ſtudio hominis comparata, ac ſemper bona. De vtraque Plato dum pro Socrate Apologiam contexit,

xit, ſic habet ſimiliter, & in illis nequaquàm idem eſſe, cenſendum eſt fortitudinem, & audaciam. Quapropter contingit, fortes quidem audentes eſſe. *At vero non omnes audentes fortes ſunt. Audacia enim ab arte hominibus, ab ira, ab inſania datur; fortitudo autem à natura, debitaque educatione prouenit animorum.* Quod Plato velit audaciam eſſe ab arte, ira inſania; non ideo negat eam etiam eſſe à natura, ſed aſſerit audaciam cum abit in vitium efficiturque mala, tunc vel ab arte, ſeu conſuetudine, aut ab ira, aut ab inſania adiuuari, ac fœdari. Quemadmodum fortitudo etiamſi, eius exortus à natura eſt, imo idem qui audaciæ, tamen habet principium etiam alterum, quod eſt educatio, ſeu conſuetudo bona, itaque per Ariſtotelem fortitudo eſt audacia ipſa mediocritatem ſeruans. *Plato Apolog.* *Plato explicatur.*

An vero audacia abſque eo quod fortitudo ſit, poſſit mediocritatem ſeruare? Ariſtoteles in partem negantem eſſe videtur. atque in hoc audacem à forti diſpeſcere. Sed eius ſenſus, Poſſe quidem audacem mediocritati adherere, ſed raro id accidere; neque enimuero, ſtatim ac naturalis facultas, ac bene quidpiam agit; atque in ſua operatione obſeruet illud, ſeu Chilonis Lacedæmonij, vnius ex ſeptem Philoſophis, ſeu cuiuſuis alterius dictum, *Ne quid nimis*, eo ipſo virtutem conſequuta eſſe dicitur. ad quam conſequendam non vna ſemel operatio bona ſufficit; ſed plures neceſſariæ ſunt, multum enim inter diſpoſitionem, & habitum intereſt. Itaque quando Ariſtoteles pronunciat audaces in ipſis periculis effici tardiores, atque à ſententia deſiſtere, accepit id quod in audacia ſola vt perturbatio eſt, & à fortitudine multum diſſita, ac remota. nam ſi audax ipſo periculo non ſe præſtet tardiorem, ſed audeat magis, tunc ad fortitudinem accedere videbitur. quàquam non dum, vt dixi, fortis eſſe dicitur. *Audacia an perseuet mediocritatē.* *Ariſtoteles explicatur.* *Clem. Alex. lib. ſtrom. 1.* *Adagia Mm.*

Qui cupit optatam curſu contingere metam, *Horat. Poet.*
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit.

Ea his quidem, qui in periculis deficiunt, & ante pericula animoſos ſe præferebant; audaces plerumque non ex naturæ conditione, ſed ſolo verbo, & inſtantiæ flatu elati, atque tumidi ſunt. *Audaces lingua.*

Qui vero lingua ſunt audaces
Cladem fugientes ſecuri ſunt à malis *Sophocl. in Phrygibus apud Stob. ſer. 8.*
Mars namque timidos nihil reputat.

Huius farinæ hominem deſcribit Vates Mantuanus dum Drancem deſcribit. *Drances audax verbo.*

Largus, opum, lingua melior, ſed frigida bello
Dextera, conſilijs habitus non futilis auctor
Seditione potens, (genus huic materna ſuperbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.

Quem etiam Turnus graphice delineat.

Larga quidem ſemper Drances tibi copia fandi
Virg.l.11. *Tum cum bella manus poſcunt.; patribuſque vocatis*
Primus ades, ſed non replenda eſt curia verbis
Quæ tuto tibi magna volant, dum deſtinet hoſtem
Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ
Proinde tona eloquio, ſolitum tibi: meque timoris
Argue tu Drance: Et poſt paulo.
Imus in aduerſos? quid ceſſas? an tibi Mauors
Ventoſa in lingua pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?

Audacia ſpuria. Sed hæc verboſa ſcurrentoſa audacia; audaciæ, aut nihil habet, aut ſpuriæ cuiuſdam audaciæ nomen ſortiri poteſt. Itaque ex Ariſtotelis Platoniſque ſententia, audaciæ plerumque permiſta timiditas eſt. *Audaciæ miſta Timiditas.* Ita ab illa in bellum inducimur, ab hac reuocamur. illius impetu protrudimur in pericula, huius tarditate frigeſcimus, & retrocedimus abacti. *Fingamus*, inquit Demetrius Philoſophus, *belligeranti, & in acie ſtanti, hinc fortitudinem, illinc timiditatem aſſiſtere, quantum putas diuerſas orationes habebunt? Nonne fortitudo quidem permanere iubebit, & ordinem ſuum conſeruare? Sed ingruunt tela: ſuſtinendum eſt. At vulnerabor. Tolerato. Sed moriar. Morere potius, quam relinquas aciem. Hæc oratio dura videtur, atque immitis. Contra vero timiditatis humana per Iouem, atque mollis. Nimirum enim, recedere iubet trepidantem. Sed ſcutum ægre fero. Abijcias. Moleſtat me Thorax. Ergo reſolue.*

Sed non ſemper.

Sub.ſer. de fortitudine.

Nonnunquam perſeuerat. Veruntamen vt dixi audaciæ non vſquequaque comes: it timiditas. Perſeuerat quandoque ad exitum vſque belli, vulnera ſuſtinet alacriter, morti etiam ſe ſubijcit libenter: ſed peragit omnia inconſiderate, impatienter, cum violentia, ſine conſilio ſine moderatione, vno verbo, eoque ſecundum vulgi ſenſum accepto, audacter. Vincu in audaci, quodam viro interſpicere omnes audaciæ conditiones, effectuſque. En Turnum illum Rutulorum Regem, quem pro audaci viro proponit Virgilius, ac propterea illum ſæpe hoc eodem nomine appellat. Audacem ad Turnum, audacis Rutuli ad muros. Hic ſine conſilio operatur. vide quemadmodum ſenior illum latinus alloquitur.

Aen. *Aen.7.* *Audacis exemplum in Turno.*

O præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci
Aen. 12. *Quis cõſilij expers* *Virtute exuperas, tanto me impenſius æquum eſt*
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.

Hinc violentia.

Lib.11. *Talibus exarſit dictis Violentia turni*

Hinc ſubitus in arma furor.

Qui furens. *Arma amens fremit, arma thoro, tectuſque requirit.*
Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli
Lib.7. *Ira ſuper.*

Hinc curſus in pericula præceps, & inconſideratus.

Tur-

Turnus vt anteuolans tardum præceſſerat agmen. &c *Qui præceps. Lib. 9.*
At non audaci ceſſit fiducia, Turno
Vltros animos tollit dictis, atque increpat vltro. &c
Haud aliter iuuenis medios moriturus in hoſtes
Irruit, & qua tela videt denſiſſima, tendit.

Hinc bonorum conſiliorum imprudens contemptus. *Qui conſiliorum contempt r.*
Tunc ſi affatur regem, atque ita turbidus infit.
Nulla mora in Turno, nihil eſt, quod dicta retractent *Aen. 12.*
Ignaui Aeneadæ; nec quæ pepigere recuſent
Congredior, fer ſacra pater, & concipe fœdus.

Et alia, quæ ſequuntur.
Olli ſedato reſpondet corde Latinus.

Hinc multa audacter contra voluntatem Dei ſuſcepta. *Qui contra numinis voluntatem. Aen 9.*
Aeriam cælo nam Iuppiter Irim
Demiſit germanæ haud mollia iuſſa ferentem
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

Hinc in extremis periculis, aut deſperatio præceps. *Qui deſperans?*
Excindine domos, (id rebus deſuit vnum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? Et Turnum fugientem hæc terra videbit? *Aen. 12.*
Vſque adeo ne mori miſerum eſt?

Aut indecora fuga. *Qui fugit indecore. Ibid.*
Ergo amens diuerſa fuga petit æquora Turnus
Et nunc huc, inde huc inceſtos implicat orbes

Demum preces ad hoſtem indignæ atque humiles. *Qui hoſti ſupplicat abiecte. Ibid.*
Ille humilis ſupplexque, oculos, dextramque precantem
Protendens,

Quod autem audaces in periculis afferat Philoſophus plerumque deficere, ac retro etiam cedere; id etiam illis euenire ex ea caußa ſolet quod audacum mos eſt; ſupra vires audere; quod & iuuenibus frequens eſt, quibus audacia tribuitur, quorum vni Aeneas ſic loquitur. *Iuuenes Audaces.*

Quo moriturus abis, maioraque viribus audes
Fallit te incautum pietas tua. *Aen. lib. 9.*

Audaciæ exemplum tibi præbebit Icarus Dædali filius, cui cum pennas ad effugium appoſuiſſet pater, ille de uolatu tumeſcens, altiora ſe quæſiuit, & de cœlo præceps in pontum decidit. audi Naſonem. *Icarus audax.*

Cum puer audaci cœpit gaudere volatu *Ouid. Metam. l. 8. Qui ſupra vires tentat.*
Deſeruitque ducem, cælique cupidine tactus
Altius egit iter. & quæ late proſequitur.

Rectè igitur Archidamus Lacedæmoniorum Rex cum vidiſſet filium ſuum nimis temere contra Athenienſes audacterque pugnantem. Aut vires, inquit, fili tibi ſunt augendæ, aut minuen- *Stob ſer. 51. Archidami dictum de audaci filio.*

da

da audacia recte, inquam, Archidamus, conſilium audaci filio præbet, cuius audaces cum egeant maximè, minimè tamen illud excipiunt; ſed

Horat.l.1 od.7.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.
Vim temperatam Dij quoque promouent.

Audax menſurā excedit. Stob.ſerm. 51.

Vt omnis *audacia virium menſuram excedit* teſte Clitarco hiſtoriographo apud Stobæum, ita & omne conſilium reſpuit, quo admiſſo audacia eſſe deſinit; & in fortitudinem euadit.

Phaton audax.

Animaduertens omnia in Phætonte ſi mentem adhibeas. Is vt fingunt Poetæ ſolis ſe eſſe prolem cum agnouiſſet, audacior factus primum terras cæpit deſpicere, &

Caſus Phatontis

Concipit æthera mente.
Aethiopaſque ſuos, poſitoſque ſub ignibus Indos
Sydereis tranſit. patrioſque adit impiger ortus.

Et audacia effectus.

Adit ego Patrem ſuum, qui ſol erat in cœlo fulgens, & curru ſuo lucem vehens eamque inter mortales late ſpargens, hunc ergo vt

Sol oculis iuuenem, quibus aſpicit omnia vidit.

Nate, inquit, ecquid à me petis? age expone ſi quid expetis.

Currus petit ille paternos.
Inque diem alipedum ius, & moderamen equorum.

Audax, & temeraria petitio.

Magna petis Phaton, & quæ non viribus iſtis
Munera conueniunt, nec tam puerilibus annis.

Ergo illum ſuæ liberalitatis, & promiſſi pœnitens Pater dehortari nititur ne in poſtulatis perſeueret, ſuamue agnoſcat mortalem conditionem, ac naturam, vltra fas ne audeat; alia omnia poſcat, impetrabit; ille cetera præter id, deſpicit omnia; nec aliud optat; repetit monitus Pater, pericula commemorat in petitis.

Finierat monitus. dictis tamen ille repugnat
Propoſitumque premit: flagratque cupidine curus.

Videlicet hic inter præcipuos audaciæ effectus numeratur; bonis nolle acquieſcere conſilijs. Ergo cum ſortitus eſt ſuæ petitionis exitum, quem conſequi ſolet audacia conſilij expers, hoc eſt mole corruere ſua.

Voluitur in præceps longoque per aera tractu
Fertur. Vt interdum de cælo ſtella ſereno
Et ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.

Eius tumulo carmen inſculptum, in teſtimonium audaciæ.

Ouid.met 2.

Hic ſitus eſt Phaton currus auriga paterni
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

(:*:)

SEC-

SECTIO VII.

DE TIMORE.

Definitur ex Ariſtotele, diſtinguitur, quomodo timor ſit rei grauis cur leuia quandoque timentur. Leo cur gallum. Opiniones exploduntur. Lucretius in primis. Leo flammas, & ſtrepitum rotarum timet. cur vero gallum? an deſperati timent. Argumenta ad partes. In timore conſilium. Maro elucidatus. noſtra opinio. Chriſti Domini timor.

Timoris definitio ex Ariſtot. L. 2. Rhet.

TImor Ariſtoteli eſt *Moleſtia quædam, & perturbatio ex phantaſia futuri mali, vel idonei ad interimendum, vel moleſti cum ſpe euadendi*. ſuper qua deſcriptione nonnullæ emergunt difficultates.

Declaratur. *Timor duplex. Quid quo timetur*

Primum docet Ariſtoteles grandia ſolum mala timeri, quædã autem mala minimè; *quis enim*, inquit, *timeat ne ſit iniuſtus, aut tardus*? ſed enim vero vir ſtudioſus, quid metuat magis? Diſtinguendum igitur in hac re. Metus duplex, ſicut & aliæ quædam paſſiones rationalis, & naturalis priore timentur ea, quæ moleſtiam rationi, & menti incutiunt, qualia ſunt peccata, ignominię. poſteriore alia, quæ interitum, aut moleſtiam ingerunt ſenſui, de hac poſteriore ſermo Philoſopho.

Grauis timentur, & qua. *Mulieres, & pueri cur leuia timeant.* *Thegite, timidus.* *Leo cur gallum timet.* *Opinio quorundam reijcitur.* *Sententia probabilis.* *Lucretij poeta de timore leonis à gallo opinio.*

Præterea grauiora timeri docet. Igitur mala, quæ leuia ſunt, nequaquam timentur, ita ſanè. quis enim timeat muſcam, aut pulicem ad ſe venientem? quod ſi puer, aut muliercula quandoque ſibi à muſculo, aut à muſca pertimeſcunt, id vero eſt, quia magnum hoc ſibi malum eſſe exiſtimant. Vt enim quidpiam timeatur ſatis eſt, vt exiſtimetur moleſtiæ illatiuum. exiſtimatio vero non in omnibus vna eſt. In hac re nimius fuit Thegites ille, qui cum omnia timeret, nunquam domo pedem efferebat, quin prius Hecates ſimulacrum in ſuo Carario domeſtico poſitum conſuleret. Itaque id quod metum infert, *graue ſit oportet*, inquit Philoſophus. At obſtat experientia, videmus enim leonem à gallo gallinaceo, præſertim ſi ſit albus, ſibi timere. Sunt qui leonem defendant à metu, dicantque illud odium eſſe quoddam efficax, & præſens. At odium iſtud, ſi eſt, mali alicuius particularis eſt; fuga autem mali huius ſine timore eſſe non poteſt. Oderit ergo leo, ſed timebit. nam timidi oderunt, vnde illud, *oderint, dum metuant*. Exiſtimo igitur leonem metu agitari, & damnum ſibi à gallo inferendum apprehendere, niſi caueat, ſed audiamus Epicureum Poetam de leone, & gallo Philoſophantem.

Quin etiam gallum noctem explaudentibus alis

Auro-

Auroram clara conſuetum voce vocare
Nenu queunt rapidi contra conſtare leones,
Inque tueri. Ita continuo meminere fugai
Nimirum quia ſunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum ſunt oculis immiſſa leonum
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, vt nequeant contra durare feroces.

Refellitur. Multis argumētis.

Friuola cauſſa. & hoc de ſeminibus in omni re inſitis Epicureum figmentum eſt. tum quæ iſta ſunt ſemina tam collimata, vt recta in oculos incurrant leonis, exiguos. tum cur non oculos taurorum, equorum, hominum, canum, vulpium, felium interfodiunt? tum vnde illis tanta efficacitas, vt totam leonis animoſitatem ſubuertant. momento? præterea an illa ſemina continenter ex gallorum corpore effluant? an dum cantant, an dum leo præſens eſt, vltro emittuntur telorum inſtar, & ceu Hyſtrix ſuos eiaculatur aculeos ſeſe ſubrigens. Ita Gallus gallinaceus ſuam pelliculam aſtringens ſemina dirigit in oculos leoninos. At pennæ credo impedirent eiaculationem, & ſemina in ſilua illa plumarum hærerent. ſed auolent in leonem. An non leo inuerſo corpore ictum ab oculis defendere poſſet, an capitis deflexione, an palpebrarum demiſſione, & clauſione luminum pericula euitare nón valeret. Scio feram hanc animoſam fulgorem armorum non expauiſſe, ſed oculis in ſolum demiſſis irruiſſe in hoſtes armatos. cur non contra vnum gallum?

Plinius l. 8.

Leo flammas timet.

Sed eſto gallus pugnet ſeminibus eminus coniectis. Leo flammam etiam pertimeſcit. an e flammis ſemina, & ſtricturæ? Ita credo, reſpondebit Epicurus. nam omnia ſeminibus facit plena. ſed cur à leone non etiam emittuntur ſeminum iacula in gallum; & flammas? an ne etiam à rotis carrorum ſtrepitantibus feritur ſeminibus emiſſis leo; quas timet?

Et ſtrepitus carrorum.

Iam cum timor in parte ſit iraſcibili, debet ab eo, quod timetur, arduitatem, & difficultatem inuenire fugiendi, quæ autem leoni poſſit obijci difficultas euitandi alitis illius, quæ de corte ſua, deque vxorculis ſuis pedem efferre foras vix ſciant?

Cauſſa fugæ leonis à gallo quæ?

An hæc leonis inuidia potius eſt, quam timor? & fuga illa abominationis eſt; quam timoris. Cauſſa inuidentiæ; quia cum vtrúque animal ſolare ſit, & de ſolis virtutibus participet, gallo tamē principalior hac in re locus datus eſt. ergo ipſe ſolem ſalutat orientem, ſolem in medio cœlo ſtantem cantu veneratur, ſolem ad nos noctu ſubinde accedentem cantu ſuo prænunciat, ad eius occaſum, gallus cum ſuo gynęceo ſtatim ſeſe veluti plorans occulit ſilentio, & redeunti ſubinde collactatur.

Lege Plinium.

An deſperati timeant.

Grauior dubitatio eſt, an timor occupare quemquam valet, cum ſpes euadendi nulla effulget? ſunt enim pro vtraque parte, &

auctores, & rationes. Negant Ariſtoteles, & Sanctus Thomas. ratio horum. Timor admittit conſilium, ſed in malo neceſſario, atque ineuitabili nullum adhiberi poteſt conſilium. igitur nullus ibi timor, ſed tantum triſtitia. Ratio altera. Timor eſt mali futuri, ſed quod neceſſario euenit, præſens ſuo modo eſſe putatur igitur in eo metus non eſt. *Negant Ariſtoteles, & S. Thom.* *Rationes. Timor conſilium admittit.*

Aientes confirmant exemplo. nam Ieſus Chriſtus generis humani aſſertor, certus de futura morte, timuit tamen, & vero timore, vt Sancti aſſerunt Patres. *Affirmant a'ij exemplo D. Ieſu. Marci ca. 14.*

Maro in vtramque partem exempla nobis ſuggerit. primum in Didone. *Maronis in vtramque partem exempla.*

Illa dolos, dirumque nefas in pectore verſat.
Certa mori. *Aen. 4.*

Recte igitur infra ſubdit.

Quem metui moritura.

Quaſi dicat qui mori iam decreuit, metuere, aut mortem, aut aliud quid, non poteſt. ſed an recte poſtea Virgilius ſubdit?

At trepida, & cęptis immanibus effera Dido
Sanguineam voluens aciem, maculiſque trementes: *Ibid.*
Interfuſa genas, & pallida morte futura.

Et poſtea in Mezentio, qui omnem à ſe metum propulſans ait.

Quid me erepto ſæuiſſime nato
Terres? hæc via ſola fuit, qua perdere poſſes. *Aen. 10.*
Nec mortem horremus, nec diuum parcimus vlli
Deſine, Iam venio moriturus.

Tanquam ſi diceret. Ego mortem neceſſario ſubiturus ſum, idcirco timere neque debeo, neque poſſum. quo argumento vtitur. ſæpe Seneca, ad mortem non modo non timendam, ſed contemnendam. Ego ſane in partes Ariſtotelis, & Sancti Thomæ inclino; & exiſtimo timorem inſtar ſpei eſſe. Quæ circa ea, quorum acquirendorum facultas nulla ſit, nulla verſatur. ita eorum, quæ ineuitabilia ſunt, timor non eſt, & cum malum aliquod ineuitabile perhorreſcere videmur, re vera non illud, ſed aliud malum timemus coniunctum, quod euitari à nobis poſſe confidimus, vt accidit in morte. De Chriſto Domino aio, ipſum eo pacto timuiſſe, quo voluit mortem à ſe auferri. Quidam timorem bifariam diuidunt, in abſolutum, & efficacem, & in conditionatum, atque inefficacem. Hunc ſecundum in obiectis neceſſarijs aduenire concedunt priorem ſecus. *Auctoris inclinatio.* *Quomodo timemus in malis necessarijs.* *Quomodo Chriſtus dominus timuit.* *Timor duplex.*

(:*:)

LIBER SEPTIMVS.

DE IRÆ PERTVRBATIONE.

TAndem tecum ſucceſiuis hinc cogitationibus modum, ac manum adhibeo, ò cos fortitudinis, & calcar ira. Ecquid ſane aliter poteram cui tui igniculi ab ipſius ortus mei natalibus naturales ſunt, atque congeniti. Opus quidem à me te ſine comite, atque adiutrice ſuſceptum nullum: an ſine modo licet non ſine obtrectatoribus. iudicium eſto eorum qui actionum mearum momenta trutinarint. nec tu vſquequaque mala es, & Stoici ita ſentientes alibi cum prudentibus à me reiecti. Profecto me tui non pœnitet etiam ſine dote acceptæ. Mecum nata mecum mane, manentem libens ſuſcipio. idcirco te in has conatus laboriſque mei poſtremas operas diſtuli compellandam ne medio forte me in labore deiectum à te frigidus conquerer. Ne ergo tuas à me celeres vnquam quate pennas viuens amplectar, ac teneam moriens deficiente manu, nam non malæ indolis omnino, & virtutis comes es.

SECTIO I.

IRÆ DEFINITIONES DECLARANTVR.

Hæ binæ ex Ariſtotele, is defenſus: quæ finitio perturbationis melior motio caloris in ira quid eſt: Integra iræ definitio alienum bona: aliorum definitiones variæ: Ira quomodo generalis, & peculiaris perturbatio.

IRam duplici definitione explicari poſſe docuit Ariſtoteles: Altera dialectica; phiſica altera, ſeu naturali, priorem dari per formam, poſteriorem per materiam: ea eſt: *Ira eſt appetitio doloris viciſſim aduerſario inferendi*. hæc eſt ſermon ebullitione ſanguinis, *& eius caloris, qui circa cor eſt*.

Rhet 2. & lib. 2. anim

Duplex iræ definitio.

Quo loco Ariſtoteles nomine formæ, non ſolam differentiam ſine genere accipit: vt aliqui exiſtimant, tanquam ea definitio vitioſa ſit, quia genus non aſſignat iræ, aſſignat enim appetitionem, in quo cum ceteris perturbationibus conuenit. Nomine igitur formæ intelligit eo loci philoſophus quidditatem, ſeu eſſentiam rei metaphiſice acceptam, conſtantem genere, & differentia, quæ forma dicitur; quia abſtrahitur à materiali concre-

Defenditur Ariſtoteles.

Quid nomine formæ per quam datur definitio.

tione, & diſcriminatur ab ea definitione, quæ ſolet à phiſico præberi accepta à partibus rem naturaliter componentibus, qua in re nulla per phyſicum fit abſtractio à materia. Quamobrem huiuſmodi definitiones conſueuere materiales dici, quamquam in his, & forma aſſignatur, quæ ſolet in materia conſiſtere.

Quid nomine materia.

Addit vero Ariſtoteles, cum perturbationes, de quibus loquimur, ſine corpore non ſint, neque à corpore, & materia ſint ſeparabiles, & phiſicus à materia nullatenus abſtrahat; ſequi meliorem eſſe definitionem eam, quæ à materia ſuſcipitur, non tamen eſſe perfectam, niſi etiam formalem includat, alioqui eſſentia ipſius perturbationis perfectè non cognoſcetur. Ex quo patet motionem caloris, & ſanguinis circa cor, non eſſe definitionem ex effectu iræ ſumptam, Ebullitio enim illa non effectus iræ eſt, ſed ſubiectum, ſeu materia. Nam iræ perturbatio totum hoc eſt, appetitio recruciationis cum ebullitione illa, ſeu in ebullitione illa ſanguinis. quamquam ſi lato modo loquemur, vt alibi à nobis dictum eſt. effectus quodammodo dici poſſit.

Quæ definitio perturbationis melior.

Motio caloris in ira non eſt ſimpliciter effectus, ſed ſubiectum.

Definitio iræ integra.

Tomo primo.

Patet etiam appetitionem recruciationis haud eſſe ſuperficiariam, aut falſam definitionem. cum ab omnibus recepta ſit, & ipſa, quæſo, in quo peccat? quod ſic efficaciter probo. Ea definitio bona eſt, qua percepta intellectus rei definitæ ſubſtantiam percipit, & eam ab omni re alia diſcriminat. Sed percepto, quod ira ſit appetitio recruciationis intellectus percipit ſubſtantiam irç, & illam ab omni alia re diſcriminat, igitur bona definitio eſt.

Definitio prima bona eſt.

Probatur.

Non percipit, inquiunt, in quo ſubiecto ſit iſta appetitio. Sed vero cum audiunt hominem eſſe animal rationale percipiunt ne materiam, ſeu partes hominis materiales? minimè vero, niſi obſcurè, aut implicitè, eodemque pacto euenit circa iram ſub nomine enim appetitionis ſubiectum ipſius, quod eſt potentia appetens intelligitur.

Obiectio ſoluitur

Age nunc videamus quemadmodum aliorum ſapientum definitiones iræ, non multum ab Ariſtotelica diſſideant, Seneca ſic habet. *Ira eſt concitatio animi ad vltionem voluntate, & iudicio pergentis*. Sed de Seneca propriam inſtituam diſputationem.

Aliæ aliorum definitiones iræ.

Seneca de ira.

Poſidonio apud Lactantium *ira eſt cupiditas puniendi eius à quo te putes læſum*. Tullio apud eundem *libido vlciſcendi, aut puniendi eius, qui videtur læſiſſe iniuria* Sancto Auguſtino *Appetitus vindictæ*, à quo Sanctus Thomas accepit. Stet igitur Ariſtotelis definitio in Rhetoricis aſſignata. *Ira eſt appetitio cum dolore coniuncta eius, quæ apparet vltionis propter eam, quæ apparet deſpicientiam, vel in ſe, vel in ſuorum quempiam non conuenienter*. Alio modo iuxta aliam ex græco verſionem, *eſt appetitus vltionis cum dolore propter apparentem immerito, vel in ſe, vel in ſuos contemptum*, quæ breuiter declaranda eſt. Sanctus Thomas quærit an ira ſit ſpecialis paſſio, an vero generalis,

Poſidonij.

Lact. de ira.

Tullij.

Aug. & S. Tho.

Ariſtotelis.

 atque

Ira ſit ne perturbatio generalis an particularis.
Quomodo ſit generalis.

aitque ipſam quidem eſſe particularem à ceteris omnino diſtinctam, diuerſamque, ſed dici poſſe quodammodo generalem. Non quod cauſſa ſit ceterarum? hoc enim ſoli conceſſum eſt amori, quem radicem omnium paſſionum Sanctus appellat Auguſtinus, ſed quatenus, ex concurſu multarum, ipſa conſurgit. Non enim excitatur iræ motus, niſi propter aliquam triſtitiam, aut dolorem illatum, & niſi adſit deſiderium, & ſpes vlciſcendi. Adde etiam voluptatem. Hinc eſt quod Ariſtoteles in definitione iræ ponat cum appetitione dolorem, & in explicatione definitionis apponat etiam voluptatem, & ſpem. adde quod ex ſpe oriatur audacia. Neque hærendum eſt in eo, quod quidam dixere, iram ſcilicet componi ex triſtitia, ac deſiderio, hæc enim non eſt compoſitio, aut coagmentatio vnius rei ex multis veluti partibus, ſed conſociatio plurium rerum, aut conſecutio vnius ab alia. Ex triſtitia enim, & dolore, ac deſiderio naſcitur ira, neque refert, quod illæ ex parte concupiſcibili deriuentur, hæc ex iraſcibili. Habent enim ambo hæc capita vnionem in anima, ita vt paſſiones ex vno emergentes prouocare alias poſſint, quæ alterius ſunt regionis. Quo etiam ſenſu accipiendum puto Sanctum Auguſtinum dicentem. Iram in odium creſcere, qua de re dictum eſt in tractatu de odio.

Eſt tamen ſpecialis.

Naſcens poſt aliquas alias.

SECTIO II.

EXPENDITVR DEFINITIO IRÆ ALLATA A SENECA.

Affertur ex libro ſecundo Seneca à Mureto correptus. à Lipſio tectus, ſed non perfectè. à nobis omnino defenſus. at in primo libro iram definit, quæ concitatio ab ipſo requiritur in ira mens Senecæ affertur. nec Ariſtoteles videtur opponi. Elucidatio prædictis datur. Ratio duplex. proponens præcipiens, illam ſequitur. hanc ira quandoque preit. quando ira peccatum eſt. quando ante, & poſt rationem excitatur, eius, & aliarum perturbationum in oriendo diſcrimen.

Seneca de ira locus ex lib. 2.

HVius definitio eſt: *Ira eſt concitatio animi ad vltionem voluntate, & iudicio pergentis.* Quam antequam ad trutinam vocemus, libet hunc auctorem tantiſper explicare. Ait ergo ipſe. *Quorſum hæc quæſtio pertinet? Vt ſciamus, quid ſit ira.* quo loci Muretus, *Nonne*, inquit, *priore libro profligata iam hæc quæſtio eſt? neque hic tam quæritur, quid ſit ira, quam quas, animo ſemel occupato, vires habeat.* Exiſtimat ergo Muretus pro eo, *quid ſit ira*, legendum, *quid poſſit ira*.

à Mureto correctus.

Lip-

Lipſio non ſedet Mureti iudicium. Aliter enim putat. vt contextus illum docet. *docet enim*, inquit, *hoc ſecundo libro Seneca naturam iræ omnem, & formam, initia, progreſſus, & quomodo ſedari, tolli- ue poſſit*. Accedit ad mentem Senecæ, ſed non attingit. Priore libro Seneca iræ definitionem, aut potius definitiones attulerat communes, & ex aliorum opinionibus Philoſophorum acceptas; neque illi curæ fuerat exactam iræ definitionem, hoc eſt ex ſcholaſticorum deprompam producere in apertam lucem. Quamobrem ita habet in primo *Ariſtotelis finitio non à noſtra abeſt; ait enim iram eſſe cupiditatem doloris reponendi. quid inter noſtram, & hanc finitionem interſit, exequi longum eſt*. Exequitur autem hoc ipſum Seneca libro ſecundo, vbi docet iram eſſe concitationem animi, & cet. nullo ergo modo corrigendus Senecæ locus. *A Lipſio deſen- ſus.* *Non omnino.* *Noſtra Seneca vera defenſio.*

Sed quo in loco, inquies, primi libri, iram Seneca definiuit? hoc autem ſi fecit certè ante caput tertium fieri oportuit; capite enim hoc tertio. *Diximus*, inquit, *iram cupiditatem eſſe pœnæ exigendæ*. Ita eſt, fateor cum Mureto, & Lipſio, & ceteris omnibus, qui in libros Senecæ de ira commentati ſunt. Exiſtimant vero hi factum à Seneca eſſe in capite ſecundo, quæ tamen pars perierit. Lipſius vero illam reſarcit ex parte per ea, quæ habet Lactantius. *Definitiones*, inquit, *Lactantius, Seneca enumerauit in libris, quos de ira compoſuit. Ira*, inquit, *cupiditas vlciſcendæ iniuriæ. Alij, vt. Poſidonius*, &c. *Cupiditas puniendi eius à quo te inique putes læſum. quidam ita definiunt. Ira eſt incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit. Sola ipſa hic ſed & plura fuere*. ait Lipſius. Ex quibus vides Senecam in his definitionibus non appoſuiſſe quid eſſet ira ex Stoicorum ſenſu, & ſuo, quod erat contra Ariſtotelem. Iram ſcilicet eſſe concitationem animi, &c. quod in ſecundo libro de ira facit. quod nos nunc examinemus. Sed explicato iam Senecæ ſcribentis ordine; redeamus in viam. *Quo loco primi libri iram Seneca definit.* *Lactant. l. de ira.*

Concitationem animi Seneca intelligit, non quamcumque, ſed illam, quæ conſequitur deliberationem voluntatis, & iudicij. Eſt enim impetus. nunquam vero impetus ſine aſſenſu mentis eſt. neque quemcumque impetum, aut concitationem accipit, ſed eum, qui ratione tranſiliit, quique eam ſecum tranſuerſum rapit, ex quo duo ſequuntur, primum omnem iram malam eſſe; ſecundum iram in ſolo homine non in brutis eſſe, de quibus à nobis in priore libro dictum abundè eſt, & inferius etiam aliquid addetur. *Quæ concitatio animi requiritur à Seneca.* *Impetus quando eſt.* *Poſt voluntatem, & deliberationē.*

Iam ſuum illud principium ſic probat Seneca. Neque enim inquit, de vltione, & pœna agitur animo neſciente, & antea de hoc ipſo ſic dixerat. *Nobis placet nil iram per ſe audere, ſed animo approbante. Nam ſpeciem cupere acceptæ iniuriæ, & vltionem eius concupiſcere, & vtrumque coniungere, nec lædi ſe debuiſſe, & vindicari debere, non eſt eius* *Mens hæc Senecæ ex alijs locis.*

impe-

impetus, qui ſine voluntate noſtra concitetur. Ille ſimplex eſt, hic compoſitus, & plura continens. Intellexit aliquid, indignatus eſt, damnauit, vlciſcitur, hęc non poſſunt fieri, niſi animus eius, qui tangebatur, aſſenſus eſt.

Declaratur.

Itaque iuxta Senecæ mentem ante Iram præcedunt reflexiones, & comparationes rationis referentis iniuriam alterius contra ſe illatam, & pœnam contra alterum inferendam, ad quam comparationem voluntas, & iudicium accedunt, quibus accedentibus, & iraſcendum eſſe decernentibus. Ira demum aduocata conſurgit. Hæc Stoicorum eſt doctrina. Neque huic contraire videtur Ariſtoteles. docens, quod ratiocinans conferendo, quoniam oportet omnino quippiam oppugnare, iraſcitur ſtatim. quæ verba oſtendunt ad iram ſuſcitandam neceſſarium eſſe, vt ante eat collatio, & ratiocinatio intellectus. Adde quod animantia, quæ ratione carent non poſſunt ad ea attendere, quæ ſunt ad alterum, qualis eſt ira, quæ veluti iuſtitia computatur. Hæc autem cum ſit ad alterum in ratione eſſe ſtatuitur.

Ariſt. videtur nõ contrarius eſſe his

Et adeſt ratio.

Elucidatio prædictorum.
Iram præit ratio.
Ratio duplex.
Proponens, & imperans.

Ad hæc omnia elucidanda, aſſerimus neceſſarium quidem eſſe, vt ratio iram quodammodo præcedat. Ira enim in Ariſtotele conſequitur rationem, quia ad alterum eſt. Sed ratio duplex, proponens vna, ſeu denuncians; altera præcipiens, ſeu imperans. hæc poſterior neceſſaria non eſt, ad hoc, vt appetitus in iram excandeſcat. Satis eſt prior. Quia vt primum intellectus percipit iniuriam ſibi factam, poteſt, appetitus, imperium voluntatis præuertere, atque excitari ante determinationem voluntatis ſponte ad vltionem faciendam. Quo euentu nec dum intellectus imperauerat vltionem, nec voluntas ſeſe intellectui coniunxerat. Optimè id, ſed paucis expreſſum ab Ariſtotele eſt, *Ira cum ratione*, inquit, *non tamen cum ratione, vt ratio iubeat, ſed inuectam contumeliam, cauſſamue ſignificet.* quo etiam euentu ira non dum pro peccato ſaltem graui habetur. Ad quod, ratio aduertens, præcipiens, & iudicium cum voluntate deſideratur. Quæ tamen omnia Stoici ad iram prærequirunt, vt ex definitione Senecæ conſtat. Sed de Stoicorũ principijs circa hanc rem dictum à nobis in ſuperioribus eſt.

Illa iram præit,

Hæc non ſemper.
Ariſtot.

Ira quando peccatum.

Ira rationem præcedit, & ſequitur

Ariſtot.

Diſcrimen iræ, & perturbationũ aliarum circa rationem.

Ita conciliantur facilè duo dicta de ira celeberrima, quæ contraria ſibi mutuo eſſe videntur. quod ſcilicet *Ira rationem ſequitur*, & quod rationem ira præcurrit. Atque ad hoc intelligendum optimè faciunt, quæ Ariſtoteles docuit. *Videtur*, inquit, *ira illa quidem aliqua ex parte rationem, ſed negligenter, & confuſe audire, miniſtrorum pręproperorum more, qui priuſquam id omne, quod dicitur, audierint, exiliunt; deinde ab actione aberrant, & vt, canes, qui priuſquam attenderint, vtrum ſit amicus, nec ne, ſi quis modo fores pulſauerit, aut ſtrepitum aliquem ediderit, latrant; ſic ira propter feruorem, & celerem naturę motum, audit illa quidem rationem. Sed Imperio non exaudito ad pœnas repetendas omni impetu fertur. Ratio enim, aut viſio contumeliam, vel contemptum*

tum in facto ineſſe indicauit. Illa proinde ac ſi ratiocinando concluſerit huic tali, qui contumelia affecerit, vel contempſerit, bellum inferri oportere, continuo ſequit, atque excandeſcit. Qua in re diſcrimen aduertendum eſt inter iram, & perturbationes reliquas, quod hæ excitari poſſint ante rationem etiam demonſtrantem. Amor enim v.g. aut odium ſpes, &c. excitari poſſunt ſola imaginatione, & phantaſia obiectum proponente. quod in ira euenire nunquam poteſt. Itaque illa duo manere adhuc integra videntur, quæ Stoici de ira dicebant. *Malam* ſcilicet *omnem iram eſſe. & in brutis nullam eſſe.* de quibus nunc differendum.

Ira ſtoicis ſemper mala, & ira carere beſtias.

De quo diſputandum.

SECTIO III.

AN IRA SEMPER MALA.

Perturbatio bona, aut mala quando. an ſic ira. Stoicis ira ſemper mala. Ariſtoteles annuere videtur, etiam alij, & illi etiam quandoque bona. quod luculenter declaratur Plutarchus in hac quæſtione varius. Sententia verior iram poſſe eſſe bonam, & nomen non ſemper malum eſſe.

Bonitatem, & malitiam in perturbationibus ex imperio, & rationis, & voluntatis oriri docent Theologi, quamobrem cum ex eo imperio ſecundum rectam rationem facto moderatæ conſurgunt, bonas eſſe, contra verò, malas fore ijdem docent, & nos alibi diximus. Id quod nunc de ira ſigillatim quærimus. Vtrum ſcilicet appetitio vltionis, quæ iræ nomen mereatur, poſſit eſſe aliquando bona, an ſemper mala ſit. Ridicula inquies, eſt quæſtio. ſi enim appetitio hæc moderata eſt, bona eſt, at hoc ipſum quæro, an tunc, cum moderata eſt, & bona, ira dici debeat, aut poſſit. Stoici moderatam iram negant. & ſi ira ſit, moderatam eſſe poſſe negant. hoc igitur primum in ſchola Peripateticorum diſſeramus. tum quid ſimpliciter, ac vere dicendum ſit inueſtigemus.

Perturbatio quando bona, aut mala

Ira an, & quando mala, aut bona. quærendum.

Contra Stoicos.

Cum peripateticis primum.

Poſtea ſimpliciter

Videtur Philoſophus cum cupiditates ferè omnes contra rationem eſſe concedat, ira autem cupiditas ſit, iram Ariſtoteli contra rationem etiam eſſe, ac proinde ſemper malam. Alibi docet ea, quæ per iram fiunt, conſilio minimè conſentanea eſſe videri. præterea in ira incontinentiam quãdam agnoſcit. & vt à Stagyrita ad alios diuertamus, *Inſanimus*, inquit ille, *omnes. cum iraſcimur. ira enim peior eſt inſania. Et ira furor eſt, ſed breuis, & iniuſta, & omnia, quæ iratus agit, errata ſunt.* & ira Archelao, *mala* Aeſchilo *inſipiens*, Sophocli *imperita*. Sed Ariſtoteli placuiſſe iram quandoque eſſe bonam præiudicatum eſt apud Stoicos. audi Ciceronem pro

Videtur Ariſtoteles iram malam facere.

Sic & alij.

Ariſtoteli ira quandoque bona.

his

Ex Cicer. Tuſc. qq. l. 5.

his loquentem. *Quid quod ijdem Peripatetici perturbationes iſtas, quas non extirpandas putamus, non modo naturales eſſe dicunt, ſed etiam vtiliter à natura datas? quorum eſt talis oratio. Primum multis verbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis eſſe dicunt, multoque, & in hoſtem, & in improbum ciuem vehementiores iratorum impetus eſſe, leues autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent. prælium rectum eſt hoc fieri, conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Hæc nullam habent vim, niſi ira excanduit fortitudo. Nec vero de bellatoribus ſolum diſputant, imperia ſecuriora nulla eſſe iudicant ſine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accuſantem, ſed ne defendentem quidem probant, ſine aculeis iracundiæ, quæ etiam ſi non adſit, tamen verbis, atque motu ſimulandam arbitrantur. Vt auditoris iram oratoris incedat actio. Virum denique videri negant, qui iraſci neſciat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioſo lentitudinis nomine appellant.* Ex quo Ciceronis loco facile percipis, quos denotet Seneca, dum incipit diſputare, an ira ſecundum naturam ſit, & an vtilis.

L. 1. de ira. Seneca meus in libro de ira primo.

Ariſt. ſententia. Rhet. l. 2.

Sed quid Ariſtoteles? Eius hæc ſunt verba. *Porro iram quoque fortitudini aſcribunt. fortes enim videntur eſſe etiam hi, qui ira concitati, tanquam feræ in eos irruunt, qui vulnerantur. Quoniam fortes ſunt etiam iracundi. Maximum enim ad pericula adeunda calcar ira admouet, ex quo Homerus, vires addidit ira: & illud Bilem, conciuit, & iram. & acris per nares ſubijt furor, & toto feruebat corpore ſanguis. Hæc enim omnia celeritatatem, atque impetum animi concitati ſignificare videntur. fortes igitur honeſti cauſſa res omnes agunt, eoſque ira adiuuat. beſtiæ autem dolore affectę.*

Iram Ariſtoteli malam non eſſe.

Manifeſta igitur Ariſtotelis eſt ſententia. Iram de ſe malam nō eſſe, quippe quæ virtuti fortitudinis adiungi, & illi adminiculari poſſit. Virtuti autem vitium, aut malum aſſociari nequaquam poteſt. Plutarchus, qui affectuum moderationem admiſit contra Stoicos, iram tamen adiungi fortitudini poſſe negauit contra Peripateticos. *ferrum*, inquit, *nonnulli Barbarorum veneno inficiunt, at fortitudini bile nihil opus eſt, rationem pro tinctura habenti.* Alibi vero idem temperari iram poſſe, & cum fortitudine ſociari tanquam commilitonem in bello, amiſſo tamen, & deperdito iræ, & acerbitatis nomine. Alijs autem locis moderatam iram fortitudini adiumento eſſe concedit, ita varius Plutarchus eſt, & nullius addictus iurare in verba magiſtri. Ego hac in re ſic ſentio. In definitione iræ Ariſtotelica nullam inuolui rationem malitiæ, neque enim appetitio recruciationis, aut vindictæ ſemper mala eſt. cum ſit potius appetitio iuſti cuiuſpiam. Iuſtum enim eſt, vt qui damnum nobis intulit iniuſtè, damnum etiam; & pœnam ſubeat. Ira igitur, quæ appetitio huiuſmodi eſt, nullam in ſe ſimpliciter malitiam includit, & bona eſſe poteſt. ſi à voluntate prudenter agente gubernetur. Quæ voluntas ſi ita illam excandeſcere, atque

Plutarchi opinio de ira. L. de ira cohibenda.

Varius, & inſtabilis. L. de virtute morali.

Noſtra opinio.

Iræ definitionem nullam continere malitiam.

Atque adeo iram poſſe eſſe bonam.

eſſe-

efferueſcere permittat, vt regulam rationis excedat, confeſtim imbibet malitiam. quæ ſi vera ſunt, quare cum ira fortitudinis, aut armigera, aut pediſſequa eſt, ſuum iræ nomen retinere non poſſit? fateor hoc Iræ nomen male plerumque audit apud philoſophos, & poetas, & vulgo etiam pro exceſſu perturbationis vſurpatur. hinc illæ irati, aut iracundi deſcriptiones apud Senecam, apud Ciceronem, apud Ioannem Chriſoſtomum, apud Gregorium Magnum, Gregorium Niſſenum. Hinc illa iræ Elogia ſuperius allata. ſed tamen non vſquequaque famoſum eſt hoc vocabulum. *Iraſcimini*, inquit Sacer Pſaltes, *& nolite peccare, & iram cotem virtutis* appellauit Baſilius, & iræ nomen Deo in ſacris literis aſcribitur, & à Lactantio liber *de ira Dei* ſcribitur. Stet igitur iram, & iræ nomen de ſe mala non eſſe. quod ſi quando cupiditas eſſe, & incontinentiam habere dicitur ab Ariſtotele, apud quem hæc nomina exceſſum ſignificant, tunc iram eſſe cum exceſſu, & cum malitia coniunctam, quis inficiabitur?

Iræ nomen plerunque male audit.
L. 1. de ira c. 2.
L. 3. c. 3.
L. in Verrem.
L. 5 moral.
Non tamen ſemper.
Pſ.
L. de ira.
Lactantius.
Quando mala.
Ariſtot. l. 3. ethic. c. 3.

SECTIO IV.

AN BESTIÆ IRASCANTVR.

Negat Seneca: eius rationes, error, aſſerit Ariſtoteles, vt ſoluerat iam argumenta aduerſariorum beſtiæ iratæ, ſed non fortes. quid fortis. quid pugnax, quomodo ira in beſtijs. argumenta duo oppoſita ſoluuntur.

SEneca de hac re ſic habet, *feras iraſci, nec iniuria irritatas, nec pœnæ, dolorisue alieni cauſſa. Nam & ſi hoc efficiunt. non tamen hoc petunt.* Cum enim in vltione ſit reſpectus ad alterum; huic autem collationi faciendæ opus ſit virtute alia, quæ ſuperet ſenſum, & imaginationem, atque adeo excedat animæ ſentientis facultates, feræ iraſci non poſſe videntur. Quamobrem quamquam videntur ad ſe tuendum, aut vindicandum in vltionem abire, non tamen illa vltio re vera eſt dicenda, quæ intellectu ſolo ratiocinante, & voluntate id ipſum petente conficitur. Quamobrem Seneca huic argumento non ſolum dat manus, ſed de ſuo etiã multa profert ad tuendum in brutis iram non eſſe. *Dicendum eſt*, inquit, *feras ira carere, & omnia præter hominem. Impetus habent feræ rabiem, feritatem, incurſum, iram quidem non magis, quam luxuriam, nec eſt quod credo illi, qui dixit*

Non aper iraſci meminit, non fidere curſu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrſi.

Iraſci dicit: incitari, impingi, iraſci quidem non magis ſciũt, quam ignoſcere. Multa animalia humanis affectibus carent, habent autẽ ſimiles illis quoſdã impul-

Seneca opinio negans.
Et ratio negandi.
Seneca.

impulſus. Alioqui ſi amor illis eſt, & odium eſſet, ſi amicitia, & ſimultas, ſi diſſentio, & concordia. quorum aliqua in illis quoque extant veſtigia. Ceterum humanorum pectorum propria bona, malaque ſunt. Nulli niſi homini conceſſa prudentia eſt, diligentia, cogitatio, nec tantum virtutibus humanis animalia, ſed etiam vitijs prohibita ſunt. hæc Seneca. quem libuit huc afferre, vt appareat illum confundere cum virtutibus perturbationes, & actus animæ rationalis cum actionibus animæ ſentientis, quod & Stoici faciunt.

Seneca l. 1. c. 3. Eius error.

Hæc autem argumenta Senecæ multo antea ſoluerat Ariſtoteles agens de virtute fortitudinis. *Fortes*, inquit, *honeſti cauſſa, res omnes gerunt, eoſque ira adiuuat. Beſtiæ autem dolore affectæ. Nam, vel quod icta fuerunt, vel quod metuunt. nam ſi ſint in ſilua, aut palude neminem aggrediuntur. Non igitur eo fortes dicendæ ſunt, quod dolore, & ira incitatæ, periculum adeant, nihil eorum, quæ grauia ſunt, & periculoſa prouidentes; nam iſto quidem modo aſinos dici fortes licebit, cum eſuriunt, quoniam ne verberibus quidem à paſtu dimouentur. Et adulteri cupiditate inflammati multa faciunt audacius. Non igitur fortia ſunt ea, quæ dolore, aut ira elata ſe ſe in diſcrimen offerunt. Videtur autem ea fortitudo maxime naturalis eſſe, quam ira excitauit, & ſi conſilium, idque cuius cauſſa res fit, aſſumpſerit, verè fortitudo poterit appellari. Præterea homines, cum iraſcuntur, dolore, cum iniuriam acceptam vlciſcuntur, voluptate afficiuntur. At qui his cauſſis impulſi periculum adeunt, pugnaces illi quidem, ſed non fortes appellandi ſunt; non enim propter honeſtum, neque ita vt ratio monet, id faciunt; ſed perturbatione concitati; verum ſimile quid habent.* Hæc ex Ariſtotele, quæ ſanè ſi attentè legiſſet Seneca, aduertiſſet iam præuiſa, ac diſſoluta fuiſſe argumenta, quæ ipſe poſtea recitauit.

Ariſtoteles opinio, & rationum contrariarū ſolutio. L. 3. ethic. c. 11.

Cur beſtiæ iratæ, ſed non fortes dicantur.

Quis fortis, quis pugnax.

Ex quibus habes iram non eſſe virtutem, neque actionem rationis, quippe quod hæc ſupponit intentionem agendi propter finem, quæ eſt vltio, illa conſilium, & honeſtatem in actione. Perturbatio autem ſimpliciter, atque adeo etiam ira, neutrum ſupponit. Ita in animantibus ex hac parte exiſtere ira poteſt.

Quando ira in beſtijs ratione carentibus.

Sed vero, vt ceteræ perturbationes beſtijs concedantur, ira tamen neganda videtur, quæ peculiare, ac proprium habet, vt ſit ad alterum. hoc autem neceſſario rationem exigit, ſaltem vt nunciantem illatam eſſe iniuriam; quod ſupra annotatum eſt. præterea cum ira compenſationem iniuriæ reſpiciat, & hanc ratio determinet, conferens vnam alteri, videtur ira in beſtijs eſſe non poſſe.

Argumenta duo contraria.

Has difficultates multis Sanctus Thomas in locis præuidit, quarum ſolutio eſt. Animalia habere pro ratione inſtinctum quemdam naturalem ſibi à ratione ſuperiore inſitum, vt illam iniuriam, & iſtam vltionem ſentiant, ſine comparatione aliqua, ſed ſolo inſtinctu ſenſitiuo condito, & directo à ratione ſuperiore illa gubernante. Itaque quod in nobis præſtat ratio coniuncta

S. Tho. 1. 2. qu 40. ar 3. & q 46. ar. 7. Soluuntur.

parti noſtræ ſenſitiuæ, quæ res diuerſas inter ſe conferendo gubernat, ac dirigit in vltionem. Hoc in illis efficit ratio ſeparata imprimens illis inſtinctum talem, quo aſſurgant in vltionem abſque finis cognitione, & intentione, & abſque collatione terminorum. Neque enim hæ comparationes neceſſariæ ſunt ad perturbationes, quod patet in timore, & alijs.

SECTIO V.

AN IRA SIT CVPIDITAS VLTIONIS.

Quidam negant. quia iraſcimur contra quos vlciſci nequimus. Seneca aſſerit. negatur vllum eſſe contra quem non poſſimus vlciſci. Seneca videtur Ariſtotelem contraire. & hic ſibi. an ira ſit cum ſpe non eſt opus. Ira non eſt vbi non eſt potentia vltionis in hoc euentu ſola eſt triſtitia ex Sancto Thoma, & Auicenna.

IRam non eſſe cupiditatem vltionis ex eo quidam apud Senecam arguunt. *Quia infirmiſſimi ſæpè potentiſſimis iraſcuntur, nec pœnam concupiſcunt, quam non ſperant*; Huic ipſe argumentationi primum reſpondet. Iram cupiditatem eſſe pœnæ exigendæ, non facultatem, concupiſcunt autem homines ea, quæ non poſſunt. deinde alio reſpondet modo. *Nemo*, inquit, *tam humilis eſſe, quin pœnam vel ſummi hominis ſperare non poſſit, ad nocendum potentes ſumus.* *Non eſſe quidam volunt.* *Horum ratio ſoluitur à Seneca.* *Senecæ reſponſio conſideratur.*

Vtrumque hoc Senecæ reſponſum reuocandum eſt in iudicium. Quod enim ſpectat ad primum Ariſtoteli Seneca contrarius eſt. dicenti multis in locis neminem iraſci ei, qui vindicari non poſſe videatur, neque vero in ſecundo aſſentitur, ſubdit enim. *Iis verò à quibus multum ſuperantur potentia, aut non iraſcuntur, aut minus.* *Ariſtot. l. 1 & 2. Rhet. c. 2.* *Videtur eſſe contrarium Ariſtoteli.*

Sed enim verò Ariſtoteles non ſoli Senecæ ſed ſibi ipſe contrarius videtur; voluntatem enim ait eſſe eorum, quæ contingere nemini poſſunt. v. g. immortalitatis: præterea ad ea etiam pertingere, quæ nullo modo is, qui vult, per ſe agere poſſit. vt ſi quis velit Hyſtrionem illum, vel athletam ſuperiorem diſcedere. cur igitur negat Ariſtoteles iram eſſe earum rerum, quæ fieri nequeant, cupiditatem. *Sed Ariſtoteles videtur ſibi ipſi contrarius.*

Neque dicas iram non eſſe ſolam cupiditatem, aut voluntatem, ſed cum ſpe. ſpem autem non eſſe, niſi eorum, quæ fieri poſſunt. Id enim quamuis verum in ſpe ſit, tamen quid opus eſt, vt in ira ſpes vlciſcendi miſceatur? ſatis eſt voluntas, quod apud Senecam Stoici contendebant, aut quicumque alij. *An ira ſit cupiditas cum ſpe. Negandum.*

Verum quidquid ſit. an voluntas, aut cupiditas ferri in ea, quæ ſunt adinata poſſit, nec ne. Aio iram eſſe cupiditatem, ſeu ap- *Iram non eſſe contra quos non poſſit eſſe vltio.*

 peti-

petitionem vltionis . id vero manifeſtius eſt, quam vt egeat probationis . Vltionem autem cum actio ſit ſingularis , quæ recompenſationem faciat , poſſibilis vt ſit , neceſſe eſt. quod ſi ab ijs lædamur , in quos non detur inſurgere poſſe ad vlciſcendum , iram nequaquam excitari: ſed ad ſummum inchoamentum quoddam iræ , ſeu , vt loquuntur, voluntatem quamdam inefficacem , qua ille , qui læſus eſt , vellet quidem vltionem , ſi ea perfici quiret . ſignum huius rei eſt , quod in huiuſmodi perturbationis modo , nulla interuenit lætitia , ex cogitatione vltionis , quæ ſolet in vera ira ineteruenire ex ſpe vltionis inferendæ. Interuenit autem triſtitia , & maior quidem , quam ſoleat in irato euenire. nam duplex eſt , vna ex iniuria , & læſione ſuſcepta ; altera ex eo , quod vltio inferri non poſſit . Rectè igitur Sanctus Thomas cum Auicenna dixit , ſi is , qui iniuriam intulit excellentiſſimo gradu ſuperet eum , cui illa illata eſt ; hunc nulla correptum iri perturbatione iracundiæ , ſed ſola triſtitia .

In eo euentu triſtitia duplex naſcitur.

Ex S. Thoma, & Auicenna.

SECTIO VI.

AN IRA SIT DESIDERIVM, AVT ILLI HOC ANTEAT.

Videtur . ſed non eſt . eſt effectus ex S. Thoma deſiderium iræ præit . hæc cognita arduitate aſſurgit . aſſurrectio ob id dicta Aureolo . qui defenditur . Nyſſenus explicatur . declaratur cupiditas in ira cuius rei ſit . Reſponſio quorumdam allata laudatur , tametſi contraria Sancto Thomæ hinc quæſtionis occaſio. An ira iuſtum appetens, iuſta aut iuſtitia ſit . Negatur duplici ratione . Ira irata lædit . Theognis explicatus . Ira rationem exturbat non eſt ſine ingenio . nam ingenioſi iracundi , & cur . Plato in hoc . Ira ingenio , vel fumus , vel fax.

VIdetur autem ira à deſiderio non differre ; *eſt enim cupiditas , aut libido rei bonæ ; vt irato videtur* . Quod ſi ita eſt , non erit ira in parte iraſcibili collocanda , ſed inconcupiſcibili , quod abſurdum eſt, non eſt igitur ira deſiderium . quod etiam Diuus Thomas locis à me ſuperius laudatis docet . Ait autem deſiderium eſſe cauſſam iræ , & hanc effectum eſſe deſiderij. cui dicto nodus non deeſt ſuus. ſi enim deſiderium tanquam cauſſa antecedit iram , quæro cuius rei deſiderium erit? quod ſi vltionis igitur, vel deſiderium hoc , ipſa ira erit, vel ira ipſum deſiderium. quod vtrumque falſum eſt .

Videtur eſſe deſiderium.

Sed non eſt.

Ira effectus deſiderij eſt.

Quod explicatu difficile.

Iam quod iræ perturbatio non ſit deſiderium , re ipſa manifeſtum eſt ; hoc enim non verſatur, neque exiſtit in arduis . ira autem

Ira deſiderium non eſt.

tem

tem circa ardua eſt, vt ex Ariſtotele docet Sanctus Thomas. rurſum deſiderium circa delectabilia verſatur, & amoris partus eſt. & nullam ſupponit antecedentem triſtitiam ex iniurijs. Ira hæc omnia præmittit.

Ex Ariſtot. & S. Thom. 1.2 q 46. ar 3. L.2. Rhet c 3.

Dicendum ergo puto deſiderium illud iram antecedens, eſſe perturbationem ex appetitu concupiſcibili exortam, cuius obiectum eſt vltio, ſeu recruciatio nulla in eo conſiderata, aut præuiſa arduitate. Ex quo deſiderio accedente deinde arduitatis cognitione, inſurgit in iraſcibili iræ perturbatio, quæ ſolet iræ cupiditas appellari, quam optimo ſanè vocabulo Aureolus *Aſſurrectionem* vocauit, ſicut enim in difficilibus agendis ſolemus aſſurgere corpore, atque toto niſu inſilire, ita animus, per iram circa ardua aſſurgit. immerito igitur ab aliquibus Aureolus reprehenditur, ſicut, & male ab ijſdem explicatur iram, & deſiderium in ira vnū, & idem eſſe, quæ iuxta Ariſtotelis, & Sancti Thomæ ſententiam duo ſunt. Itaque rectè à Gregorio Nyſſeno *armigera concupiſcentiæ* Ira dicta eſt, quia ſcilicet, vt Sanctus Thomas exponit, *impugnat omne id, quod concupiſcentia impedit*. Alio etiam modo explicatur diſcrimen deſiderij, quod ex ex concupiſcibili eſt, & iram antecedit, à deſiderio, ſeu cupiditate, quæ ira eſt. Illud enim fertur in vltionem apprehenſam per modum ſimplicis, & incomplexi: id eſt per illud deſideratur vltio tanquam res bona appetenti. Iræ autem appetitio fertur in vltionem apprehenſam per modum cōplexi, & compoſiti cum altero, quia ſcilicet vult vindictam inhærentem in alio, in eo, qui iniuriam fecit, hæc autem inhæſio arduitatem habet ſuam.

Quale deſiderium iram præit.

Ira aſſurgit cognita arduitate.

Aureolus iram Aſſurrectionem vocat, & Defenditur.

In 3.d.23. qu. 4. ar.3.

Nyſſenus explicatur.

Raymond. diſt. 3. q.1. ar.5.

1 2.q.46 ar. 2.

Explicatur cupiditas iræ.

Sed enucleandum adhuc ſupereſt, cuius rei appetitio ſit ira. nam ſi ſolam vltionem ſpectet in homine iniurioſo, nemo iudex, aut ſuperior ſcelus aliquod, aut peccatum vlciſcetur ſine ira, quin etiam ea pars iuſtitiæ, quæ vindicatiua appellatur, ira erit, quod minimè concedendum arbitror. Aliqui ſic explicant. qui appetit vindictam in altero facere, interdum illud dumtaxat habet ante oculos communitatis ſcilicet incolumitatem, & improbitatis extinctionem per illam coercitionem hominum facinoroſorum. Tunc ea vindicta non reſpicit propriè illationem triſtitiæ, ſiue, quod idem eſt, non dicitur eſſe recruciatio, atque adeo non eſt ira. At cum vindicta eſt malum alienum relatum ad illationem triſtitiæ vindicanti illatæ, tunc ira propriè dicetur. Hæc hi, & bene.

Cuius rei appetitio ſit ira.

Reſponſio quorūdam, & bona.

Veruntamen contra id, quod prædictum eſt. videtur eſſe Sanctus Thomas dicens iram non appetere malum niſi ſub ratione iuſti vindicatiui. Vnde quando malum excedit menſuram iuſtitię ſecundum iraſcentis æſtimationem, tunc miſeretur. Quæ Sancti Doctoris verba anſam nobis porrigunt, illud curioſè inquirendi.

Sed hic videtur contrarius S. Thomas.

Ex cuius dicto quæſtio oritur.

Quo-

An ira iuſtum appetat, & iuſtè operetur.

Quomodo ira iuſtúm appetit, iuſtitia autem non ſit? an aliud eſt, iuſtum appetere, aliud, iuſtum iuſtè appetere? hoc poſterius virtutis opus eſt honeſte operantis: illud prius vitijs, & perturbationibus ſubeſſe facile poteſt. ſi quis enim pecuniam mulieri debitam ilico reſtituat eo fine, aut ab ea ametur, hic operationi non malè malitiam appinxit. Ita poteſt in ira accidere, vt dum

Reſponſio prima.

iuſtitiam vindicatiuam cupit, illam malè, atque omnino perturbate, hoc eſt in lædentis graue damnum, aut in ſolatium læſi requirat. Pt Vlyſſis quidem vltio illa de Cyclope iuſtum quid erat, & forte etiam minus, quam iuſtum poſcebat, quid enim ſit vnius hominis, & quidem peſſimi cæcitas, cum tot virorum innocentium miſera ſtrage comparata? Sed infinite perfecta eſt, propter

Homer. odiſſ. 9.

ſolam vltionem accipiendam, quare, & à Dijs caſtigata. Neque verò multum Vlyſſes curaſſet ſuum nomen antea Cyclopi ſtudioſè occultum, poſtea manifeſtum facere, niſi ſolatium iræ ſuæ, atque

Spondanus in Homerum.

animi quæſiſſet, quamobrem cum prohiberetur à ſocijs, nè clamorem excitaret, ſuum manifeſtando nomen, non perſuaſerunt.

Reſponſio altera.

Alio etiam modo petitioni propoſitæ fieri ſatis poteſt, iuſtum quod à iuſtitia vindicatiua quæritur, diuerſum eſſe ab eo iuſto, quod ira contendit, diuerſamque eſſe iuſti vtriuſque menſuram; iuſtitia enim modum vltioni ponit ex præſcripto legum, & rectæ rationis, ira ex iraſcentis arbitratu, quare facilis in ea poteſt euenire exceſſus ab recta menſura.

Plutarchus l. de ira cohibenda.

Iure ergo Plutarchus dominis iratis, ne in ſeruos manus inijciant, prohibet, quod & Plato, & Socrates obſeruarunt:

Ira iratum lædit.

Nihil tam iniuſtum eſt, quam ira quæ dominum
Suum lędit vt animo commoto miſere gratum faciat.

Apud Stob. ſerm. 20.

Theognis explicatur.

Theognidis dictum eſt, gratum autem facere animo ita dicitur, quia ſcilicet cogit hominem commotum, atque turbatum ſuo animo indulgere. Ira enim frenum animi quod ratio quaſi manu præmens tenebat, excutit, & animum infrenem tanquam equum Numidicum per deuia præcipitat. Hanc ergo *iram rationis*,

Stob. ibid.

vt ait Menander, *inſciam, refrenare in perturbationibus in primis ſapientem oportet*. quod quamquam laborioſum eſt, *magnus enim* Menan-

Menander.

dro teſte. *labor eſt iram cohibendi*, tamen præſtandum eſt; atque enitendum vt oratio deiecta reſurgat; nam quamadmodum inter

Plutarchus.

Ira rationem exturbat.

pugnandum ſi vnius exercitus Imperator deturbatus equo in terram occupatur ab hoſte, ſtatim exercitus ille capite ac duce deſtitutus in fugam ſe turpem dat, & victoriam etiam manupœne prehenſam derelinquit, atque abijcit; ita animus ratione cadenti nihil aget, aut aggreditur viro dignum. *Quæcumque enim commoti ira faciunt homines*, verba ſunt Plutarchi, *ea neceſſe eſt cæca ſint, & imprudentia, & omnino creata non enim fieri poteſt, vt concitatus ira, ratione vtatur.*

Neque

Neque tamen quia ira furor, & inſania eſt idcirco non inge- *Iracūdi ingenioſi.*
nioſa. quinimo, quod valde mirandum, in viris ingenio præpol-
lentibus ira viuacior, ac præcipitantior eſſe ſolet. Quemadmo- *Cauſa.*
dum enim ligna cum aridiora ſunt, eo facilius ignem concipiunt,
& in flammam ſuccenduntur, ita, qui ingenioſi eſſe feruntur cum
minus humiditatis habeant, & natura ignei dicantur. idcirco
irarum facibus imbibendis per quam aptum os animi habent.
Quod autem ingenioſis iracundia frequenter dominetur locuple-
tem habeo teſtem Platonem. *Eſt*, inquit, *admodum arduum homi-* *Plato de ſcientia.*
nem comperiſſe ingenioſum, qui ſimul manſuetudinis, & modeſtiæ exors
non ſit. Quippe ad hanc diem eiuſmodi neminem vixiſſe aduerto, vel etiam *Rodigin. l. 23. ca. 33.*
num eſſe nunc, cui naturæ genius ita affulſerit, vt boni ſit compos vtriuſque.
Plura ſuperaddit Plato apud quem leges. Ita neſcias ingenioſis vi-
ris ira fax ne ſit lucem an fumum ingerens. Sed fumum ſi immo-
deratior erit, ipſa certe feret quidem, contra ſi moderatius inua-
leſcet mirum quantum ingenio ad ſeſe illuſtrandum, luminis
præbebit.

Imprimatur D. Aloyſius Vic. Gen.

Imprimatur D. Ignatius de Amico pro Illuſ. Præſ. Dente.

ILCA NAZ. ROMA ORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE